
37
10 C
5



HIERARCHIA ECCLESIASTICA

IN VARIAS SUAS PARTES DISTRIBUTA

ET CANONICO THEOLOGICE EXPOSITA.

LIBER I.

CONTINENS TRACTATUS DECEM, NEMPE

I. De Episcopo Titulari.
II. De Protonotariis participantibus.
III. De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis.
IV. De Cardinali Regulari Professo ex Ordine Militari S.Joannis Jerosolymitani.
V. De Vicario Apostolico.
VI. De Vicariis Basilicarum Urbis.
VII. De triplici Vicario, Generali, Capitulari, et Foraneo.
VIII. De Episcopi officio, et potestate.
IX. De observandis ab Episcopo in authenticandis Reliquiis.
X. De tuenda pace, et concordia inter Episcopum, et Capitulum.

AUCTORE

ANDREA HIERONYMO ANDREUCCI

E SOCIETATE JESU.



ROMÆ MDCCLXVI.

TYPIS, ET SUMPTIBUS GENEROSI SALOMONI.
SUPERIORUM PERMISSU.



AD LECTOREM.



VÆ olim divisim ediderem Opuscula, ut Congregationis Sacerdotum, quam dirigebam, utilitati servirem; eadem nunc in unum collecta, typis iterum committo, ut Moderatorum meorum mandatis religiose obtemperem, & ipsiusmet fel. rec. Benedicti XIV. repetitis monitis sancte obsequar. Habes, amice Lector, suscepti hujus a me consilii causam; quæ honesta cum sit, non facile me argues, quasi superfluum quid ultro obtrudam. Et ne ignores, quænam Opuscula editurus sim, hoc ipso in limine totius hujus collectionis prospectum exhibeo. Ecce tibi illum.

Opuscula quamplura olim Latino sermone conscripta dumtaxat nunc dabo (quæ enim Italice loquuntur, alias, Deo dante, vel ipsemet, vel alius fortasse proferet): eadem Latina Opuscula tres in Libros distribuo. Primus continet Tractatus decem, nempe

I. De Episcopo Titulari.
II. De Protonotariis participantibus.
III. De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis.
IV. De Cardinali Regulari Professo ex Ordine Militari.
V. De Vicario Apostolico.
VI. De Vicariis Basilicarum Urbis.
VII. De triplici Vicario, Generali, Capitulari, & Foraneo.
VIII. De Episcopi officio, & potestate.
IX. De observandis ab Episcopo in authenticandis Reliquiis.
X. De tuenda pace, & concordia inter Episcopum, & Capitulum.

ALTER LIBER

Complectitur Dissertationes decem, nempe

I. De Patriarchis in genere, & in specie de Patriarchatu Antiocheno.
II. De Cardinalibus in genere.
III. De Ritu Ambrosiano.
IV. De Patrimonio ad Sacros Ordines hypothecæ generali subjecto.
V. De Matrimonio Conscientiæ.
VI. De privilegio aliquorum Canonicorum, quo possunt abesse a Choro, & lucrari fructus.
VII. De præcepto invocandi Sanctos, an sit, & quale.
VIII. De requisitis, & non requisitis ad lucrandas Indulgentias.
IX. Appendix Apologetica ad præcedens Opusculum.
X. De unione Beneficiorum.

LIBER TERTIUS,

Qui inscribitur Moralia, *habebit nonnulla pertinentia ad Sacrosanctum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramentum, videlicet*

I. De cultu exhibendo Sacrosanctæ Eucharistiæ.
II. De usu Eucharistiæ, seu an crebrius, vel rarius sit ea danda laicis.

Hæc sunt, mi Lector, Opuscula, quorum editionem adorno. Superest, ut Opus hoc qualecumque gratum tibi acceptumque sit: nec mireris, si nova hac editione, novæ etiam me criticæ exponam; nam, ut optime ajebat Doctor Maximus S. Hieronymus lib. 1. epist. 11. ad Desiderium: Audendum est, ut Charitas, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Proximi, reddat salutationis, *inquit ipse, dicam ego, propensioris ad benefaciendum voluntatis*, officia, quoniam locum implere non valet Præceptoris.

LAU-

LAURENTIUS RICCI

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Hierarchia Ecclesiastica in varias suas partes distributa, & Canonico Theologice exposita &c. Liber I.* a P. Andrea Hieronymo Andreucci Societatis Jesu conscriptum, aliquot nostri Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, & Sigillo Officii nostri munitas dedimus. Romæ die 7. Augusti 1765.

Laurentius Ricci.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. J. Archiep. Nicomed. Vicesg.

DE mandato Rmi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri perlegi Librum, cui Titulus: *Hyerarchia Ecclesiastica in varias suas partes distributa, & Canonico-Theologice exposita*, continentem Tractatus decem: nempe I. De Episcopo Titulari. II. De Protonotariis participantibus. III. De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis. IV. De Cardinali Regulari Professo ex Ordine Militari S. Joannis Hierosolymitani. V. De Vicario Apostolico. VI. De Vicariis Basilicarum Urbis. VII. De triplici Vicario, Generali, Capitulari, & Foraneo. VIII. De Episcopi officio, & potestate. IX. De observandis ab Episcopo in authenticandis Reliquiis. X. De tuenda pace, & concordia inter Episcopum, & Capitulum, auctore adm. Reverendo Patre Andrea Hieronymo Andreucci Societatis Jesu. In eo nedum non inveni quod Ecclesiasticis legibus, bonis moribus adversaretur, sed admiratus sum clarissimi Auctoris eruditionem. Opus proinde alias impressum, novisque additionibus auctum, quod ego magnæ judico utilitatis, ad commune bonum imprimendum censeo. Ex Monasterio S. Stephani supra Caccum Urbis die 21. Augusti 1765.

D. Joseph Colocci Procurator Generalis Congregationis Silvestrinæ, & Sacrorum Rituum Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sac. Pal. Apost. Magister.

IN-

INDEX

TRACTATUUM, ET QUÆSTIONUM.

TRACTATUS I.

De Episcopo Titulari.

PARS PRIMA

De Essentia, Causis, & Proprietatibus Episcopi Titularis.

Expo-

PARS SECUNDA

De Potestate Episcopi Titularis.

§. I.

§. II.

§. II.

§. I.

Quo ad valorem.

§. II.

Quo ad usum licitum.

PARS TERTIA

De Præeminentialibus Episcopi Titularis.

CAPUT UNICUM.

PARS QUARTA

De Obligationibus Episcopi Titularis.

CAPUT UNICUM.

§. I.

De obligationibus positivis.

Qu. IV.

§. II.

De obligationibus negativis.

PARS QUINTA

De Privilegiis Episcoporum Titularium.

CAPUT UNICUM.

TRACTATUS II

De Protonotariis Participantibus.

PARS PRIMA

De Protonotariorum Origine, Significatione Nominis &c.

PARS SECUNDA

De Obligationibus Protonotariorum, quatenus Romanæ Curiæ Prælati sunt, & quatenus tales Prælati.

PARS

PARS TERTIA

De Privilegiis Protonotariorum Participantium.

TRACTATUS III.

De Episcopis Cardinalibus Suburbicariis.

CAPUT I.

CA-

CAPUT II.

CAPUT III.

Qu. X.

CAPUT IV.

Qu.IX.

CAPUT V.

TRACTATUS IV.

De Cardinali Regulari Professo ex Ord. Militari S. Joannis Hierosolymitani.

TRACTATUS V.

De Vicario Apostolico.

§. III.

TRACTATUS VI.

De Vicariis Basilicarum Urbis.

TRACTATUS VII.

De Triplici Vicario, Generali, Capitulari, & Foraneo.

De Vicario Generali.

De Vicario Capitulari.

De Vicario Foraneo.

TRACTATUS VIII.

De Episcopi Officio, & Potestate.

TRACTATUS IX.

De Sacris Authenticandis Reliquiis.

TRA-

TRACTATUS X.

De Tuenda Pace, & Concordia inter Episcopum, & Capitulum.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

PARS QUARTA.

SAN-

SANCTO PATRIARCHÆ IGNATIO DE LOYOLA FUNDATORI SOC. JESU

MINIMUS ET INDIGNISSIMUS SERVUS ET FILIUS

ANDREAS HIERONYMUS ANDREUCCI.



Uderet me, PATER MI AMATISSIME, Dux noſter, Magiſter, & Legifer noſter, ſi me Tibi ſiſterem de paupertate mea exiguum quid oblaturus, priuſquam enixe a Te veniam expoſcerem, & gratias quammaximas pro viribus agerem. Turpis quippe eſt, nec cuiquam

 ſatis

ſatis accepta illius oblatio, qui Creditori ſuo non ſatisfecerit, & Perſonæ, cui ſit oblatio, adhuc diſpliceat. Hinc optime ajunt ſacræ paginæ (1): *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblatione iniquorum*. Propterea antequam rem aggrediar, illud a Te primum etiam atque etiam rogo, ut pro ea qua es in Proximos charitate mihi ignoſcas. Scio enim, terram, quæ ſuper ſe ſæpius venientem in ſe recipit imbrem, ſi fructum non fecerit, improbam eſſe, & proximam maledicto. Huic me ſimilem agnoſco, qui manantem jugiter Religionis imbrem ex tuis ſanctis exemplis, præceptis, inſtitutiſque non exceperim, & maluerim in eadem domo ab iis pluribus abeſſe, qui inter hos fines Cœlum meruerunt. Parcas idcirco, PATER MI AMATISSIME, & hæc qualiſcumque veniæ expoſtulatio ſit mei primum erga Te amoris, & venerationis argumentum. Supereſt deinde, ut gratias Tibi ampliſſimas referam, quippe qui per quinque & ſexaginta circiter annos in tua Familia, & inter tuos fuerim enutritus ea cura, ac diligentia, ut nihil eorum defuerit, quæ me vel

(1) Eccleſ. 34.23.

vel ad litteris informandum, vel ad ſolidis virtutibus inſtituendum, quammaxime conducebant; adeo ut ipſe, octogenario jam major, ſancte affirmare poſſim, in tua hac Religioſa Familia eo omnia collimare, ut unuſquiſque id totum ſibi uni debeat adſcribere, ſi nec pietate, nec litteris, quantum ſuæ ferebant vires, profecerit. Doleo ſane, hanc nuper Familiam ærumnis, & calamitatibus bene magnis vexari: & ideo, ſi tempeſtas hæc propter me orta eſt, peto, ut quantocyus e vivis decedam, & ſic mare conquieſcat. *Melius eſt enim mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ* (1). Iterum proinde iterumque pro tot a Te acceptis beneficiis maximas, & bene cumulatas gratias ago; & ſecurus de tua charitate, qua & ignoſces, ut ſpero, & hanc publicam gratiarum actionem acceptam habebis, meas haſce lucubrationes, quas inter exercendum injunctum mihi munus informandi Eccleſiaſticos Viros in re morali, & canonica olim conſcripſeram, Tibi offero, ut illis de Cœlo bene preceris, & ſic virtutem des illis, qua univerſis proſint, & Eccleſia-

ſtico-

(1) 1. Machab. 3. num. 59.

ſticorum præſertim utilitati deſerviant. Non pœnitebit ſuſcepti a me de hac nova editione conſilii, ſi illius ſub tutela fuero, qui novit non ſemel liberos ſuos ab adverſis tegere, vel ſaltem, ne illa noceant, efficere.

DE
EPISCOPO
TITULARI.

AD LECTOREM.



Cclesiastica Hierarchia, quæ est ut castrorum acies ordinata, iis etiam Episcopis coalescit, qui Titulares nuncupantur. Horum gradus in Ecclesia Dei satis conspicuus præsentis Tractatus materies erit, cui pauca quædam præmittenda esse existimavi: primum de occasione ac fine scribendi: deinde de iis Auctoribus qui hac super re scripserunt: postremo de ratione & ordine quo præsens res omnis a nobis tractanda atque explicanda sit.

Et quidem illud me ad scribendum impulit, quod proximis superioribus temporibus nonnulli ex literaria etiam republica viri enixe ab amicis sciscitabantur, quousque tandem protenderetur, & quos intra limites coerceretur ejusmodi Episcoporum potestas. Quamobrem facturum me operæ pretium censui, si libellum ederem, quo rem paucis conficerem, & pro viribus sciscitantium eruditioni consulerem. Hac igitur de causa Opus jamdiu aggressum nuper absolutum exhibeo; absolutum, inquam, non tanquam rem penitus assecutum me esse credam, sed tanquam assequi laboraverim: nec, ut spero, quisquam mihi vitio vertet, si minus fecerim, quam debeam, cum plus contenderim, quam possim.

Jam vero quo ad eos qui hac de re scripserunt, exploratum est, teste Barbosa in suo Elencho de Scriptoribus rerum Episcopalium, ac tit. 1. cap. 6. de Potestate Episcopi, Illustrissimum Antistitem Hieronymum Wielmium ex Ordine Prædicatorum unicum reperiri, qui de Episcopo Titulari integrum ac separatum librum ediderit. Verum is tam rarus est codex, ut mihi Bibliothecas quamplures indaganti diligenter numquam ad manus venerit. Non desunt tamen qui de eodem argumento in libris alio titulo inscriptis, aliaque materia refertis seorsum ab alia, & ex professo disseruerint: iique, quos viderim, sunt Ricciullus l.2. lucubrat. Ecclesiast. ac Thomassinus tom.1. p.1. c. 25. & 26. Ecclesiast. disc. Verum iidem parce, nec universa sunt prosecuti; ita ut tamen quidem acuant, sed, quantum assequor, minime expleant. Longe autem plures vidi, qui obiter, incidenter, & ex occasione de pertinentibus ad Titulares Episcopos nonnihil delibaverint. Ex iis paulo uberius & distinctius loquuntur Alvarez Guerrerus in spec. juris Pont. cap. 31. Squillant. de Privil. & Oblig. Episc. per totum, ac novissime Ursaya. Nec pauca sparsim de talibus Episcopis habent Fagnanus, Barbosa, Gonzalez, Riccius, Reiffenstuel, Wiestner, de Luca, Frances de Eccl. Cathedr. Suarez, Vasquez, de Lugo, Azor. Diana, Pignatelli, aliique tum Theologi, tum Canonistæ, ut prætereeam insignes aliquot & Catholicos Scriptores qui parum amice de his Episcopis judicarunt, nec meminerim contaminatum hominem M. Antonium de Dominis, qui lib.4. de Rep. cap. 7. & lib. 7. cap.3. quamplurima hosce Episcopos deformandi causa commentatus est. Usque adeo res eadem nec laudato-

datoribus , nec suis caret detractoribus . Multi nimirum unam in urbem mercatores confluunt , alii ut merces illuc convehant , alii ut easdem illinc evehant .

Postremo , quod attinet ad ordinem , & dispositionem , quinque in partes Opusculum universum distribuam . In prima agam de quidditate , differentia , origine , proprietatibus , & requisitis talium Episcoporum : in secunda de eorumdem potestate ordinis , ac jurisdictionis : in tertia de ipsorummet praeminentia , seu potestate dignitatis : in quarta de obligationibus : in quinta de privilegiis . Utinam liber hic qualiscumque tibi , Lector , jucundus ac fructuosus accidat , isque , ut par est , in unius Dei honorem & gloriam cedat .

DE

DE EPISCOPO TITULARI.

PARS PRIMA

DE ESSENTIA, CAUSIS, ET PROPRIETATIBUS EPISCOPI TITULARIS.

CAPUT I.

Exponuntur essentia, origo, nomen &c. Episcopi Titularis.



Piscopi Titulares, qui vulgo appellantur *Episcopi in partibus*, seu *Annulares*, seu *Nullatenses*, juxta varia Scriptorum placita, sunt illi Episcopi Ecclesiarum, quæ existunt in partibus Infidelium, Clero carentes, & populo Christiano. Hi autem sunt in triplici differentia: alii nempe qui ab initio fuerunt promoti ad Ecclesiam in partibus Infidelium carentem Clero, & populo Christiano, & de qua nulla est proxima spes eam recuperandi, nec ullo modo recuperatio tentatur: alii qui fuerunt promoti ad Ecclesiam in partibus Infidelium carentem quidem Clero, & populo Christiano, sed de qua est spes recuperationis, eaque recuperatio sive per arma, sive per sacram aliquam expeditionem intenditur: alii demum qui fuerunt promoti ad Ecclesiam ejusmodi, sed de qua licet sit spes recuperationis, hæc tamen nullo modo procuratur.

2. Jam vero omnes tales Episcopi, quamvis inter se in aliquibus differant, tamen in plerisque conveniunt: ac propterea licet ego dicturus sim de prima dumtaxat specie Episcoporum Titularium; tamen, quæ dicam, etiam in alios Titulares Episcopos poterunt ex magna parte derivari. Cum autem rei cujuslibet scientia a nominis, ac rei definitione desumenda sit, ab eadem pariter hunc de Episcopo Titulari Tractatum instituam.

3. Quæritur igitur primo, quid nominis sit Episcopus Titularis? Respondeo. Est, ut dixi, Episcopus assumptus ad Titulum Ecclesiæ existentis in partibus Infidelium, carentis Clero, & populo Christiano, & de qua vel est, vel non est spes recuperationis, eaque de facto vel procuratur, vel non procuratur. Ita colligitur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 2. *de ref.* Barbos. *de Potest. Episcopi part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. Ricciull. *lib.* 2. *lucub. cap.* 2. Azor. *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 11. Tria itaque requiruntur ad Episcopum Titularem. 1. Quod sit assumptus ad Titulum Ecclesiæ particularis certæ, ac determinatæ, ita ut in sua assumptione accipiat saltem habitu potestatem jurisdictionis in certam aliquam Ecclesiam vel antea erectam in Cathedralem, vel nuper auctoritate Romani Pontificis sic erectam. 2. Quod talis Ecclesia sit in partibus Infidelium, idest in ditione hostium Chri-

 stiani

stiani nominis, sive ii sint Ethnici, sive Saraceni. 3. Quod talis Ecclesia careat copulative tum Clero, tum populo Christiano. Adjeci in definitione illas particulas, de qua &c. ut triplicem Episcoporum Titularium classem unica definitione complecterer.

4. Habes proinde, non esse inter Episcopos Titulares censendos, cum Ricciullo, illos Episcopos, qui ab initio assumpti ad Ecclesiam habentem Clerum, & populum Christianum, deinde fuerunt ab hostibus Christiani nominis expulsi; nec qui renunciarunt Episcopatui, sive renunciarint solum loco, sive renunciarint loco, & dignitati. Item non censendos Episcopos Titulares, de quibus loquimur, Episcopos ordinatos sine Titulo alicujus certæ Ecclesiæ, quales olim fuisse nonnullos in Ecclesia Dei testatur Vasquez *in* 3. *part. tom.*3. *disp.*41. *cap.*1. & probabilissimum esse docet Suarez *tom.*3. *de Relig. lib.*1. *cap.*16. nec obscure id colligitur *ex Can.*43. Concilii Cabilon. apud Gonzalez *lib.*5. *decret. tit.*33. siquidem in eo canone agitur de Episcopis vagantibus sine Titulo, & Sede, quos Patres ejus Concilii appellant Episcopos *Scotos*, quia in Scotia eorum usus magis invaluerat. Item nec inter Titulares adnumerandos eos, qui ordinati sint, non ad Titulum unius Ecclesiæ particularis, sed indistincte ad Titulum omnium Ecclesiarum; quales fuisse Apostolos, judicavit Laynez in Concilio Tridentino apud Card. Pallavicinum *lib.*21. *cap.*6. Nec eos Episcopos, qui ordinati erant ad coadjuvandum tanquam secundarii Episcopi primario Episcopo ejusdem Ecclesiæ: qualis olim fuit S. Bonifacius, donec per Zachariam Papam creatus fuit Moguntiæ Præsul, & qualis fuit Gamphaldus ab eodem S. Bonifacio similiter ordinatus, ut refertur *in Metrop. Salisburg. tom.*2. *ann.*732. imo talem etiam fuisse ad aliquod tempus S. Augustinum crediderim, qui Valerio adhuc viventi Coepiscopus accessit, non solum successit, aut Coadiutor est datus: uti observat cum Fagnano Wiestner *tit. de translat. n.*13. Item nec in Titularium Episcoporum numerum esse referendos Chorepiscopos: nam hi vel erant meri Presbyteri gerentes curam animarum loco Episcoporum in pagis, aut oppidulis, vel, si eorum aliqui erant insigniti Ordine Episcopali, aut non erant ordinati ad Titulum alicujus determinatæ Ecclesiæ, aut erant ex iis Episcopis, qui renunciaverant loco, sed non dignitati, & per accidens exercebant munus Chorepiscoporum: Ricciull. *lib.*2. *lucubr. cap.*1. contra Panvin. *in Addit. ad Platin. in Vit. S. Lini*, & contra Horant. *loc. cath. lib.*6. *cap.*12. Bellarm. *lib.*1. *de Cler. cap.*17. Demum ex eadem definitione, seu potius descriptione a me data habes, non esse inter ejusmodi Titulares Episcopos numerandos eos, qui præficerentur a Romano Pontifice Ecclesiis existentibus in partibus, seu in ditione Hæreticorum, ubi essent Christiani quamvis hæresi contaminati; nam Tridentinum *loc. cit.* Episcopos Titulares eos vocat, qui præsunt Ecclesiis in partibus Infidelium; per ly autem Infidelium, regulariter intelliguntur non baptizati, uti observat Pereyra *in suo Elucidario verb. Fides sect.*3. *&c.* item nec eos, qui licet carerent Clero, haberent tamen populum Christianum sibi subjectum, & in quem actualem exercere possent jurisdictionem. Hos, inquam, omnes memineris non esse Episcopos Titulares, de quibus loquar. Quod si aliter sentias, instituis quæstionem de nomine, ac plane repo-

nam

nam, me non de alio loqui, quam de Episcopo assumpto ad Titulum alicujus determinatæ Ecclesiæ, existentis in partibus Infidelium, Clero carentis, & populo Christiano.

5. Quæritur II. an Episcopi Titulares sint vere, ac proprie Episcopi? Resp. affirmative; ita ut contrarium asserere, hæreticum esse doceat Paulus Grysaldus *in decis. Cath. Fid. v. Episcopus num.* 10. erroneum autem vocet Jacobus Laynez apud Pallavicinum *in hist. Conc. lib.* 21. *cap.* 6. Probatur primo ex auctoritate Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 2. *de reform.* nam ibi Concilium aperte supponit, ejusmodi Episcopos habere potestatem promovendi ad sacros Ordines: cum autem nullus alius, nisi verus Episcopus, possit sacros Ordines conferre, ex S. Thoma *in* 4. *dist.* 25. *art.* 1. Bellarm. *de Sacr. Ord. cap.* 7. *ad finem.* Vasquez *disp.* 243. *cap.* 3. Layman *tract.* 9. *cap.* 9. *num.* 2. aliisque communiter, sequitur &c. Deinde probatur ex praxi Fidelium, qui adorant Hostiam consecratam a Sacerdotibus ordinatis per tales Episcopos. Demum probatur a pari: quia sicuti Episcopus, qui ex auctoritate Romani Pontificis dimisit Ecclesiam, eam resignando, est verè Episcopus, etiamsi nullam actu habeat jurisdictionem, sed solum habeat cum potestate conficiendi Eucharistiam potestatem confirmandi, & ordinandi, *ex Cap. Inter corporalia, de translat.* ita Episcopus Titularis cum habeat eam potestatem ordinandi &c. etiamsi fortasse careat actuali jurisdictione, est vere ac proprie Episcopus.

6. Quare piget me eas cavillationes refellere, quibus ex Hæreticis nonnulli, ac præsertim Marcus Antonius de Dominis, Catholicæ Religionis desertor, *lib.* 4. *de Rep. cap.* 7. contendunt probare, Episcopos Titulares non esse vere ac proprie Episcopos, sed abusive: in quo quam egregie hallucinentur, satis ostendunt tum rationes adductæ, tum Auctores omnes Catholici; inter quos Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 41. *cap.* 1. ait: *Episcopos Titulares esse vere Episcopos, nulla ratione licet dubitare.*

7. Quæritur III. an Episcopi Titulares ineant matrimonium spirituale cum sua Ecclesia ab Infidelibus occupata? Resp. affirmative. Ita Vasquez in 3. *part. tom.* 3. *disp.* 241. Diana *coord. tom.* 4. *tract.* 8. *resol.* 51. & tradit Innocentius III. *in Cap. Inter corporalia, de translat. Episc.* atque ibi Gonzalez. Ratio est, quia ipsi sunt vere Episcopi, non utcumque, ac sine Titulo, sed ordinati ad illam determinatam Ecclesiam: cum autem inter verum Episcopum, & Ecclesiam, ad quam ordinatur, intercedat spirituale conjugium, *ex epist.* 2. Evaristi, *ex* Callixti quoque Pontificis *epist.* 2. ad omnes Galliarum Episcopos, & ex Innocentio III. *in Cap. Inter corporalia, de translat. Episc.* sequitur, inter Titularem Episcopum, & suam Ecclesiam dari verum conjugium, quod in electione initum, ratum in confirmatione, in consecratione intelligitur consummatum. Neque obstat, aut quod talis Ecclesia sit occupata ab Infidelibus; aut quod careat Clero, & populo Christiano; aut denique quod non videatur ea esse amplius Ecclesia, aut certe quod non sit sancta Ecclesia. Nam respondetur ad 1. Captivitas Sponsæ non impedit, per se loquendo, quominus possit quis cum ea matrimonium contrahere; uti constat *ex tot. tit. de conjug. servorum*, & ex Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 12. Ad 2. esto careat populo Christiano, ea tamen regio non ca-

ret simpliciter populo; &, si careat actu, non caret habitu: unde adhuc possunt subsistere proprietates matrimonii spiritualis recensitæ ab Evaristo, nempe indissolubilitas vinculi, amor, & cura Pastoris erga talem populum qui actu est, vel potest esse, & subjectio populi erga Pastorem: tenetur enim ille Fidem Christi suscipere; &, hac suscepta, statim sine ulla alia mutatione per se subest jurisdictioni spirituali talis Pastoris. Ad 3. ea Ecclesia, seu congregatio populi potest etiam nunc dici sancta, ex eo quod olim professa est Fidem sanctam, & Sacramenta sancta; sicuti etiam potest dici nunc Ecclesia, ex eo quod olim Fidem Christi sub speciali Sacramentorum signo,& sub eodem Capite professa sit: etenim, attentis prioribus meritis, non statim quis deturbatur a glorioso nomine quod præhabuit:sic ab Jeremia *Thren.* 1.& 2.urbs Hierosolyma vocatur *virgo: Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. Cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion?* quamvis eo tempore subacta, violata, & corrupta esset a Chaldæis; quia enim annis superioribus floruerat Hierosolyma sub Rege Josia, nec alium usquam agnoverat Regem, nisi proprium, ideo in statu etiam abjectionis, adversæque fortunæ, compellat illam Propheta honorifico antiquo nomine virginis. Caveas tamen, ne inde inferas, populum non baptizatum ejus urbis, seu regionis, esse intra Ecclesiam: aliud siquidem est, quod habito respectu ad præterita adhuc possit denominari Ecclesia sancta; aliud, ac valde diversum est, quod actu sit intra sanctam Ecclesiam.

8. Quæritur IV. an Episcopi Titulares fuerint in primitiva Ecclesia? Resp. negative. Probatur ex eruditissimo Papebrochio, qui *tom.* 1. *respons. de Primatu, & Unit. Capitis*, hæc litteris consignavit: *Primis decem, aut duodecim sæculis Ecclesiæ id in usu fuisse haudquaquam reperi.* Idem in Concilio Tridentino publice testatus est Archiepiscopus Granatensis, dicens: *Titulares Episcopos incognitos omnino fuisse in primis Ecclesiæ temporibus*: ex Cardinali Pallavicino *lib.* 20. *cap.* 16. Idem a Romanæ Curiæ Advocatis in Congregatione Consistoriali testatum refert Fagnanus *in Cap. Episcopalia, num.* 39. §. *Antiquitus &c. de privileg.* Hinc, si quos reperias Auctores, qui antiquitus Titulares Episcopos fuisse doceant, eos scias non loqui de Episcopis his Titularibus, quos descripsi, sed vel de Episcopis ordinatis sine ullo Titulo, vel de Episcopis expulsis a sua Cathedrali Sede, vel de Episcopis, qui renunciarunt Episcopatui, vel de Episcopis ordinatis ad coadjuvandum primario unius ejusdem urbis Episcopo &c. Quos fuisse in primitiva Ecclesia, aut probabile, aut certum respective est.

9. Quæritur V. quando, & qua occasione initium habuerint Episcopi Titulares? R. 1. Videntur initium habuisse sub tempus, quo Orientales regiones magna ex parte in Infidelium venerunt potestatem, idest sub finem sæculi decimitertii. Ita observat Daniel Papebrochius *tom.* 3. *Maji in Hist. Chronolog. Patriarchar. Hierosolym.* ubi ait: *A tempore amissi Orientis Apostolica Sedes jus, quod semel assumpserat, providendi Ecclesiis ibidem constitutis tam Patriarchalibus, quam Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, perrexit usurpare, & sicubi vel Chorepiscopo opus erat, vel Episcopo Apostolico ad Infidelium conversionem ordinando, eidem conferre Titulum alicujus Ecclesiæ in partibus Infidelium*

delium constitutæ, donec hi sibi ipsis Sedem certam constituerent in iis ad quas mittuntur nationibus &c.

10. Resp. 2. Occasio, ex qua emanavit usus ordinandi Episcopos Titulares, fortasse est illa, quam insinuat Thomassinus *part.* 1. *lib.* 1. *cap.*28. videlicet quod Episcopi, qui Ecclesias suas cum aliquandiu rexissent, & iisdem ab Infidelium invasione fuerant deinde expoliati, incardinabantur aliis Ecclesiis; idest, teste Gonzalez, retinentes Titulum priorum Ecclesiarum, præficiebantur gubernationi alterius Ecclesiæ, donec, hostilitate cessante, possent redire ad pristinam respective Sedem: postquam vero ipsi e vivis decessissent, cum spes aliqua affulgeret recuperandarum earum urbium, consuetudo invaluit successores semper in eas vacuas Sedes subrogandi, præsertim cum nonnulla adhuc earumdem diœcesum oppida extarent immunia ab Infidelium servitute, nec pauci etiam Christiani, imo & Clerus aliquando inter Infideles occupatores degerent; sicuti post captam Hierosolymam evenisse, ac factum esse testatur *loc. cit.* Papebrochius. Processu deinde temporis, etiamsi spes recuperandarum talium urbium pene evanuerit, ac Religio Christiana iis in locis desierit; adhuc tamen Romana Ecclesia perstitit suum jus retinere, & ad earum Ecclesiarum Titulum Episcopos pro temporum, ac negotiorum opportunitate ordinare. Ex occasione igitur substituendi Episcopos successores in eas Sedes Episcopales, de quibus spes erat, ut eæ brevi assererentur, & quæ adhuc non carebant omnino Clero, & populo Christiano; factum est, ut consequentibus temporibus constituti sint Episcopi ad Titulum ipsarum Sedium, seu urbium, etiamsi nulla sit spes proxima eas recuperandi, & etiamsi Clero careant, & populo Christiano.

11. Quæritur VI. an Episcopatus Titularis sit formaliter Beneficium Ecclesiasticum? Resp. affirmative. Ratio est, quia Beneficium Ecclesiasticum formaliter & essentialiter consistit in jure, seu facultate percipiendi fructus temporales ex bonis Ecclesiasticis propter ministerium sacrum, cui auctoritas Ecclesiæ adnexuit tale jus percipiendi eos fructus, & sic erexit in Beneficium: ex Leuren. *For. Benef. part.* 1. *qu.*2. Pichler *de Benef. lib.*3. *tit.*5. *num.*3. aliisque. Atqui in Episcopatu Titulari est verum jus percipiendi fructus temporales ex bonis Ecclesiasticis talis Episcopatus (ut constat ex Bulla, qua instituuntur) propter ministerium sacrum. Ergo &c.

12. Hæc minor propositio, in qua totus rei cardo versatur, nullam patitur difficultatem, nisi ex eo, quod fructus temporales illius Ecclesiæ in præsentia vel nulli sint, vel aliunde impediantur, ne a Titulari recipiantur. Verum hæc difficultas nihil officit; nam potest consistere verum jus ad percipiendos alicujus Ecclesiæ fructus in aliqua persona, etiamsi vel ea Ecclesia fundos hic & nunc amiserit, unde fructus proveniant, vel talis persona impediatur, ne tales fructus percipiat. De facto Canonicus, qui vel ob sterilitatem terræ, vel ob censuram, vel ob aliam causam impeditus sit percipere fructus Præbendæ, vere dicitur, & est, eo non obstante, Beneficiarius; atque idcirco a Theologis instituitur quæstio, an teneatur recitare Horas Canonicas, quando impeditur a receptione fructuum. Horum autem ratio a priori est, quia non est de ratione juris

juris ad aliquam rem possidere illam, aut posse proxime, & expedite ea uti; nam dominus equi v. g. habet verum jus ad illum, etiamsi ille sit apud furem, nec eodem possit dominus proxime uti: sed de ratione juris est, quod resideat in persona facultas non quidem remotissima, sed nec necessario proxima, & expedita utendi re sine injuria alterius pro casu quo non impediatur. Hoc autem est in Episcopo Titulari relate ad fructus sui Episcopatus: nam in eo est vera facultas percipiendi fructus talis Episcopatus sine ullius injuria pro omni eo casu, quo vel pateat aditus ad talem Episcopatum, vel a consecutione fructuum, per vim, aut per aliam causam, non impediatur.

13. Accedit, quod Pontifex respectu talium Episcoporum supplet plerumque alia via defectum fructuum, a quorum consecutione illi impediuntur. Accedit etiam, quod, licet Doctores communiter cum Garcia *de Benef. 3. part. cap. 1. num. 42.* Suarez *tom. 3. de Rel. lib. 4. cap. 19. num. 6.* asserant, Beneficium nullos habens fructus, non esse vere Beneficium, id intelligendum est de eo Beneficio, cui ab initio fundationis nulli assignati fuerint stabiles redditus, non autem de eo, cui fuerint assignati, ac deinde impediti; nam de hoc verificatur, esse jus ad percipiendos redditus &c. Demum accedit, quod Urbanus VIII. suo facto, ut extat apud Cardinalem de Lugo *in Respons. moral. lib. 5. dub. 15.* comprobavit, Episcopatum Titularem non solum esse Beneficium, sed Beneficium habens curam animarum; siquidem supposuit, per assecutionem talis Episcopatus censeri quemvis approbatum ad Confessiones, tanquam obtinentem Parochiale Beneficium, juxta Tridentinam sanctionem. Verum quidem est, quod ex vi precise talis Beneficii non teneretur quis ad Horas probabiliter &c. ex Diana *coord. tom. 3. tract. 5. resol. 1. &c.*

CAPUT II.

Pertinentia ad Episcopos Titulares, quæ ex dictis inferuntur.

14. EX eo, quod Episcopi Titulares sint vere ac proprie Episcopi, & quidem non vagi, nec sine Titulo, sed habentes vinculum, ac matrimonium spirituale cum sua Ecclesia occupata ab Infidelibus, infertur primo, quod non possint transferri ad aliam Ecclesiam existentem in partibus Fidelium, nisi eos Pontifex prius absolvat a vinculo prioris Ecclesiæ, cujus Titulum habent: ex Vasquez, de Lugo *in Respons. moral. lib. 5. dub. 15.* aliisque. Infertur 2. quod non possint ad aliam Ecclesiam eligi, sed debeant postulari: ex Reiffenstuel *tit. de postulat. Prælat.* Pichler *eod. tit. num. 5.* Wiestner *eod. tit. num. 11.* Limites, nisi obtinuerint Breve, vel Indultum eligibilitatis, quod solet eis a Sede Apostolica concedi. Infertur 3. quod jure ordinario non subsint Episcopo Diœcesano, in cujus diœcesi commorantur, quoad Ecclesiasticam jurisdictionem, sed sint immediate subjecti Summo Pontifici: ex Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 17. num. 5.* imo, si fuerit Religiosus, Episcopus Titularis non subsit suis Prælatis Regularibus: ex Suarez *ibid.* Ricciul. *lucub. lib. 2. cap. 11.* ubi hoc firmat *ex Auth. Sed Episcopalis, C. de Episc. & Cler.* Infertur 4. quod Episcopus Titularis, si fuerit Religiosus, per se, & ex vi juris acquirat

illi

Ecclesiæ, cujus titulum habet, sed per accidens, quia non possunt illi applicari cum effectu talia bona, acquirat suo Ordini, juxta Sotum *lib.* 10. *de just. quæst. ult. art. ult. ad* 1. Manuel. *tom.*3. *qu. Regular. qu.*69. *art.*4. Sa *v. Religio num.*52. quamvis aliter sentiant Azor. *part.*1.*lib.*2. *cap.*10. *qu.*7. Card. de Lugo *de just.disp.*3.*sect.*11.censentes, eum acquirere Summo Pontifici. Verum de hoc fuse in Parte Tertia dicemus. Si vero talis Episcopus fuerit Sæcularis, cum ejus bona non præsumantur acquisita intuitu Episcopatus, utpote non habentis redditus, ex Ricciul. *lib.*2. *lucub. cap.*10. & consequenter, ut suppono, omnia ejus bona vel sint patrimonialia, vel quasi patrimonialia, idest acquisita titulo aliquo conditionis, aut exercitii personalis a sacris Canonibus non interdicto, sibi acquirat, ac libere de iis possit disponere: ex Filliuc. *de Spol.Eccles. cap.*3. Navarr. *de Spoliis* §.8. Quod si talis Episcopus habuerit Ecclesiastica Beneficia cum annuo redditu, tunc videndum erit, quid circa talia Beneficia doceant Auctores, quidve statuant Constitutiones Spoliorum, quæ diversimode se habent, inspecta locorum diversitate: ex Ricciul. *lib.*2. *lucubr. cap.*10. citante decisionem in facti contingentia 401. coram sanctæ memoriæ Gregorio XV.

15. Demum infertur, quod quælibet dispositio loquens de Episcopo, præsertim respiciens Ordinem, & dignitatem Episcopalem, habeat locum in Episcopo Titulari, dummodo ob identitatem rationis adæquatæ credibile sit, Legislatorem etiam eos comprehendere voluisse: ex Ricciul. *lib.*2. *lucubr. cap.*10. aliisque.

16. Dixi, præsertim respicens Ordinem, & dignitatem; quia Episcopi Titulares, ut dicemus, in his adæquate conveniunt cum aliis Episcopis, non ita tamen conveniunt quoad exercitium jurisdictionis.

17. Limitavi, dummodo &c. nam si aliqua solida ratio disparitatis assignari possit, tunc non præsumitur, Legislatorem eos voluisse comprehendere; siquidem in tali casu valet illud Innocentii III. *Cap.*2. *de translat.Episc. Si idem fieri voluisset, poterat expressisse*. Hinc est 1. quod, licet per adeptionem Episcopatus Clerum, & populum Christianum habentis, statim a confirmatione vacent Beneficia prius obtenta, *ex Cap. Cum in cunctis, de elect. &c.* ea tamen dispositio nullam Beneficii præhabiti vacationem inducat respectu Episcopi Titularis, ex Azor. *lib.*7. *cap.*16. *qu.*2. Castrop. *de Benef. disp.*3. *part.*6. Navar. *cons.*14. *de elect.* Barbos. *alleg.*57. *num.*54. siquidem translatio ad talem Episcopatum non est fructifera, uti *loc. cit.* observat Palaus: sicuti autem promotio ad talem Episcopatum non infert Beneficiorum obtentorum vacationem, ita nec reservationem, ex Leuren. *de Benef. part.*2. *sect.*3. *cap.*1. Hinc 2. etiamsi in Concordatis Germaniæ reserventur Dignitates, & Officia, quæ obtinent promoti per Papam ad Episcopatum, id tamen non est intelligendum de promotis per Papam ad Episcopatum Titularem, ex Pichler *tit.*5. *de Præb. & Dignit. num.*67. An vero valeat collatio Beneficii facta Episcopo Titulari? Resp. Etsi olim Bursatus censuerit, Episcopum Titularem fieri inhabilem ad alia Beneficia in futurum obtinenda sine Indulto Papæ, *cons.*351. *lib.*4. *num.*23. melius tamen censent Navarr. *cons.*14. & 15. *de elect.* & Garcias

cias *num.*45. valide conferri Episcopo Titulari Beneficia Ecclesiastica, præsertim si sint simplicia: quibus Auctoribus adhæreo, sicuti adhærent Layman *tract. de Benef. cap.*8. Azor. *tom.*2. *lib.*16. *qu.*12. aliique. Siquidem lex *Cum in cunctis*, §. *Cum vero*, non extenditur ad tales Episcopos, sicuti probabiliter neque ad Episcopos pauperes, ac debitis gravatos, ex Layman *ibid.* & ex Lessio *lib.*2. *cap.*34. *num.*139.

CAPUT III.

An expediat in Ecclesia Dei usus talium Episcoporum.

18. HÆC quæstio gravissimis olim sententiis fuit agitata in Concilio Tridentino sub Pio IV. ut constat ex Cardinali Pallavicino *lib.*21.*cap.*6. *hist.* unde pronum est ex ibi dictis, & ex rei ipsius exitu, hæc statuere: videlicet 1. absolute loquendo, expediens esse, ut in Ecclesia Dei creentur Episcopi Titulares: 2. parce, & ex necessitate dumtaxat regulariter creandos esse: 3. pertinere ad Romanum Pontificem hic & nunc expendere causas, ob quas plures, vel pauciores pro temporum, aliisque rerum circumstantiis expediat creare Episcopos Titulares.

19. Dico igitur 1. Absolute loquendo expediens est, ut in Ecclesia Dei creentur Episcopi Titulares. Probo hoc 1. ex Tridentino *sess.*14. *cap.*2. *de ref.* ubi sancta Synodus Episcoporum Titularium potestatem intra certos limites coercuisse contenta, eos, nonnullis Patribus frustra id contendentibus, abolere nequaquam voluit: nam, ut optime notat Cardinalis Pallavicinus *lib.*21. *cap.*8. *hist.* sicuti in ædificiis, ita in republica multa videntur ad pompam, ac luxum constituta, quæ si amovere velis, ea usui esse,ac publico bono quammaxime accommodata deprehendes. Probo idem etiam ratione; tum quia expedit, eos esse, in quorum persona Ecclesiarum ab hostibus occupatarum memoriam contemplari possimus, ne illas habentes pro derelictis, hostium violentiæ acquiescere videamur, quod certe cautum voluit sexta Synodus Constantinopolitana *can.*37. ubi Patres subrogandos censentes Episcopos in Ecclesias ab Infidelibus captas pronunciarunt: *Nos honorem, ac venerationem Sacerdotio servantes, & gentilem injuriam nequaquam ad Ecclesiasticorum jurium perniciem exerceri volentes &c.* tum quia expedit, esse Episcopos, qui sine propriarum diœcesum incommodo vel aliis Episcopis habentibus diœceses amplissimas suffragentur, vel Pontificii Nuncii apud Reges, ac Principes munus obeant, vel in Curia Romana Episcoporum negotiis, ac causis auctoritative præsint. Adde, quod consecratus in Ecclesiam occupatam, corpore absens, præsens autem spiritu, orationibus suis multum illi prodesse possit; imo non defuerint, qui annuos redditus pro sacris Missionibus ibidem habendis decreverint, sicuti nuper Illmus, atque eruditissimus Archiepiscopus Emissenus fecit: nec sane parvi æstimandum est, non deesse, qui iis in locis, ubi olim floruit Catholica Fides, ejusdem Fidei vestigia conservent, caveantque, ne penitus obliterentur. Ita Vasquez *tom.*3. *in* 3.*part.disp.*241. Jacobus Laynez in Concilio Tridentino apud Pallavicinum *lib.*21. *cap.*6. Ricciull. *loc.cit. cap.*7. Barbosa *de Potest. Episcopi part.*1. *tit.*1. *cap.*6. aliique. 20. Op-

20. Oppones 1. Talium Episcoporum usus fuit a viris gravibus & doctis sæpe improbatus; siquidem acriter tali usui restiterunt in Concilio Tridentino Cardinalis a Lotharingia Gallus, Archiepiscopus Granatensis Hispanus, Melchior Canus *de loc. Theol. lib.5. cap.2.* & præ cæteris Melchior de Vosmediano Episcopus Guadixen. 2. *Ex Clement. In plerisque, de elect.* habetur, per tales Episcopos obnubilari Pontificiam dignitatem tum instabilitate vagationis, tum opprobrio mendicitatis: in Tridentino autem *sess. 14. de ref. cap.2.* asseritur, eos esse vagabundos, nec habere permanentem Sedem, ac quærere, non quæ sunt Jesu Christi, sed alienas oves, inscio proprio Pastore. 3. *In Cap. Episcopalia, de privileg.* prohibetur tanquam minus expediens, imo etiam noxium, constituere Episcopos in parvis civitatibus, ac locis non populosis; ex quo infert Fagnanus, nec esse expediens, quod creentur Episcopi in locis carentibus Clero, & populo Christiano. 4. Ex tali usu non raro contingit, ut duo sint ejusdem urbis Episcopi, alter Latinus, alter Græcus: est autem manifeste contra sacros Canones, duos eidem urbi Episcopos præficere, imo, ut bene observat Gonzalez *in Cap. Quoniam, de offic. judic. ordinar.* quamvis prohibitio de non præficiendo eidem urbi duplici Episcopo sit tantum juris positivi, eadem tamen juri naturali valde consonat: adde ex Fagnano *in cit. Cap. Episcopalia*, contigisse ex tali usu, ut duo essent Latini Episcopi ejusdem urbis, quin etiam ut quidam esset ordinatus ad Titulum, qui non erat in rerum natura, nec patere poterat per Provincialem, idest per librum, in quo scriptæ sunt Provinciæ. 5. Per creationem talium Episcoporum injuria irrogatur sæpius Ecclesiæ Grææ: hæc enim sive ex privilegio, sive ex consuetudine, habet jus dandi Episcopos Ecclesiis Orientalibus, contra quod jus fit creando Episcopos per ea loca. 6. Demum tales Episcopi videntur in sua consecratione mentiri Spiritui Sancto; siquidem jurant se ituros ad pascendum gregem sibi commissum, cum aliam prorsus habeant voluntatem.

21. Pro responsione præmoneo, me in hac prima assertione dixisse, expedientem esse usum Titularium Episcoporum, absolute loquendo, idest præscindendo ab eorum numero, qualitatibus personalibus, aliisque temporum, ac loci circumstantiis. Hoc præmonito, ad 1. resp. gravissimos eos viros in suo sensu abundasse, ac fortasse, quæ mortalium est conditio, modum in sentiendo ac dicendo hac super re excessisse: cæterum illis omnibus in contrarium sentientibus unum oppono Concilium Tridentinum, quod, auditis eorum sententiis, noluit tales Episcopos ex Ecclesiastica hierarchia exturbare, sed eorum dumtaxat potestatem certos intra fines coercere: unde perspicuum fit, usum talium Episcoporum a Concilio judicatum fuisse, absolute loquendo, expedientem, vel etiam necessarium. Ad 2. *In ea Clementin.* aperte comprobatur tanquam expediens usus talium Episcoporum; siquidem Pontifex eos ab Ecclesia Dei non removet; sed eorum nimiam frequentiam, a qua illa duo incommoda mendicitatis, & vagationis emanare solent, reservata sibi talium Episcopatuum provisione, coarctat. Enimvero moderatus talium Episcoporum numerus non est, per se loquendo, obnoxius vagationi; possunt enim omnes vel in aliquo Suffraganeatu, vel in obeundis Nunciaturis, vel in aliqua Ro-

manæ Curiæ Præfectura sedem stabilem habere: item nec est obnoxius mendicitati; in aliquo enim moderato numero facile ii possunt censeri, qui vel patrimonio satis amplo sunt instructi, vel pingui Sacerdotio sunt ornati, vel saltem iis animi dotibus pollent, ut per easdem honestissimos sibi redditus comparent: unde *ex ea Clementina*, non usus absolute talium Episcoporum, sed usus nimis frequens, ac determinatarum personarum videtur improbatus: quod autem Concilium Tridentinum *in ea cit. sess. & cap.* dicat, tales Episcopos *fere* esse vagabundos, nec permanentem sedem habere &c. jam per ly *fere* insinuat, se non loqui simpliciter, & absolute, sed in aliqua suppositione, v. g. vel numeri excedentis, vel personarum minus idonearum &c. unde illa inconvenientia deriventur. Certe illa dictio *fere*, est diminutiva, nec firmat in omnibus: *L. In omni ff. de adopt. util. §. Vendentibus*, Rot. apud Marchesf. *de commiss. p. 2. pag. 536. n. 9.* Ad 3. Ex eo quod sanctiones Pontificiæ caveant, ne dentur Episcopi parvis urbibus, & oppidis, minus recte deducit Fagnanus, nec dandos esse Episcopos Titulares in partibus Infidelium. Rationes enim, ob quas non dandi sunt Episcopi parvis urbibus, sunt 1. ne vilescat Episcopalis dignitas propter locorum ignobilitatem; 2. ne Episcopus in negotiis gravibus expediendis destituatur opportunis, & idoneis consiliariis &c. sicuti notat *in Cap. Episcopalia, de privil.* eruditissimus Gonzalez. Hæ autem rationes non militant respectu Episcoporum Titularium, qui habent Titulum urbis conspicuæ, & olim jam erectæ in Cathedralem, quique non indigent consiliariis ad expedienda ardua negotia suæ Ecclesiæ, cujus actualem curam gerere nequeunt, utpote carentis Clero, & populo Christiano. Addo, quod sicuti, non obstante ea sanctione Pontificia, frequenter necessitas regionum, ac dioecesum postulavit, ut constituerentur Episcopi in parvis urbibus, uti pluribus adductis exemplis ostendit Gonzalez *loc. cit.* ita necessitas vel dandi Suffraganeos, vel mittendi Nuncios ad Reges, exigit, ut aliqui creentur Titulares Episcopi.

22. Ad 4. Usus olim obtinuit, ut duo in quibusdam urbibus constituerentur Episcopi, alter Græcus, qui præesset Græcis, alter Latinus, qui præesset Latinis, sicuti de facto est in Cephalene, & Zacyntho, & forsan alibi; nec per hoc contravenitur sacris Canonibus: nam non datur eidem Ecclesiæ duplex Caput, sed duæ cum sint Ecclesiæ intra eamdem urbem, altera Græca, altera Latina, suum unicuique Caput assignatur. Jam vero, quando dantur Episcopi Titulares Latini urbibus habentibus Episcopum Græcum, nihil aliud fit, quam quod olim fiebat; nempe assignatur, seu constituitur Episcopus Latinus Ecclesiæ Latinæ illius ejusdem urbis, in qua, per accidens est, quod nunc amplius non sint Latini, & sic non videtur fieri contra sacros Canones. Accedit, quod ex dispensatione Pontificia possunt duo esse Episcopi ejusdem urbis, uti firmant Gonzalez *in Cap. Quoniam, de offic. Jud. ord.* Diana *tom. 12. tract. 1. resol. 73.* & illustrat Theophylus Raynaudus *tom. 10. tract. de bicipit. Eccles.* non esset proinde, cur quis miraretur, si pro aliquo casu Pontifex in hoc dispensaret: siquidem justissima adest causa, cum Orientales Episcopi a Romanæ Ecclesiæ communione defecerint. Illud quod addit Fagnanus, non videtur esse magni momenti;

menti; nam illud inconveniens omnino per accidens evenit, nec rem idcirco quis arguet, quod per accidens ex ea incommodum aliquod contigerit. Certe non semel collata sunt Beneficia Ecclesiastica, vivente adhuc priore possessore: numquid propterea Beneficiorum Ecclesiasticorum usui id vitio vertas?

23. Ad 5. Non irrogatur injuria Ecclesiæ Orientali. Nam in primis Pontifex, si uti velit plenitudine potestatis suæ, potest, non obstante quolibet privilegio, vel consuetudine, conferre quæcumque Beneficia, & providere quascumque Ecclesias sine ullius injuria; quia Pontifex summam suam & absolutam potestatem, quam accepit a Christo, disponendi de rebus, officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis, a se abdicare non potuit. Ita *ex Cap.* 2. *de præbend. in* 6. *& Clement.* 1. *Ut lite pendente*, *& Cap. Cuncta per mundum* 9. *quæst.* 3. Gonzalez *ad reg. mens.* §. 1. *&* 2. Barbosa 3. *part. de Potest. Episc. alleg.* 57. aliique. Deinde, si quod privilegium, vel consuetudo fuit respectu Ecclesiæ Orientalis providendi tales Orientales Episcopatus, nunc vel non habet vim per reservationem factam a Clemente V. de provisione Episcopatuum carentium Clero, & populo Christiano; vel certe potest tum privilegio, tum consuetudini derogari propter recessum Orientalium a communione Sedis Apostolicæ. Tertio non est, cur Ecclesia Orientalis in hac materia conqueratur de Latina: siquidem etiam ipsa Orientalis Ecclesia, quando Latini potiti sunt Constantinopoli, ac per annos ferme sexaginta Orientale Imperium tenuerunt, quamvis tum Constantinopoli, tum alibi Latini Episcopi legitime sederent, non destitit suos Episcopos ibidem constituere, ac toto eo temporis spatio Patriarcham Constantinopolitanum diversum a Latino, ac ferme Titularem, Niceæ eligere, ac recognoscere, uti ex Raynaldo observat Thomassinus *de Benef. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 6. *& seq.*

24. Ad 6. Non mentiuntur Spiritui Sancto in tali suo juramento Episcopi Titulares: nam juramentum restringitur, juxta naturam actus, super quem cadit, ex Layman, Sanchez, Castropalao, aliisque; quia accessorium sequitur naturam principalis, *ex regula juris* 42. *in* 6. nec jurans præsumitur se alio modo obligare velle: cum autem talium Episcoporum juramentum cadat supra promissionem de eundo in eas Infidelium partes, habet omnes eas restrictiones, quas de jure, vel consuetudine habet talis promissio. Jam vero cum talis promissio habeat has restrictiones: *Si potero*, *nisi obligatio tollatur &c.* etiam juramentum easdem habet: ac propterea illi jurant se ituros, *Si poterunt*, *vel nisi obligatio de eundo tollatur a Superiore*, & hanc voluntatem implicite, vel explicite habent; adeoque non mentiuntur, nec pejerant. Porro notat Corradus, quod Pontifex eam illis obligationem de eundo adimit, & concedit, ut, quousque ab Infidelibus eorum respective Ecclesia detinebitur, ad illam accedere, & apud eam personaliter residere minime teneantur, *lib.* 5. *cap.* 8. *in prax. dispensat.*

25. Dico 2. Parce, & ex necessitate dumtaxat sunt regulariter creandi Episcopi Titulares. Ratio est 1. Quia ita sentiunt communiter tum Theologi, tum Canonistæ, ut videre est apud Fagnanum *in cit. Cap. Episcopalia*, *de privileg.* & apud Pallavicinum *in Hist. Conc. lib.* 21. *cap.* 6. *num.* 12. 2. Quia ita

sæpius sensit Sacra Congregatio Consistorialis, & Sacra Concilii Congregatio apud eumdem Fagnanum *loc. cit.* 3. Quia Concilium Viennense *in Clement. In plerisque, de elect.* videtur obstare frequentiæ Titularium Episcoporum: item videtur obstare Concilium Lateranense sub Leone X. nam *sess.9. de Cardinal.* statuit, ne Episcopi Titulares creentur, nec Suffraganei dentur, nisi Episcopis Cardinalibus &c. 4. Quia S. Pius V. ut fertur, post Concilii Tridentini publicationem decreto suo Consistoriali sancivit, non esse hujusmodi Episcopos creandos, nec in Suffraganeos dandos, nisi Episcopis Cardinalibus, & illis aliis Episcopis, qui eos consueverunt habere. 5. Quia ex frequentia, & ex facilitate nimia creandorum talium Episcoporum possunt evenire illa incommoda mendicitatis, vagationis, invasionis alienarum ovium, depressionis Pontificiæ dignitatis, quæ per nonnullos Titulares Episcopos evenisse referunt Concilia Viennense, ac Tridentinum. *Multitudo enim numerosa nihil habet honestum: Authent. de ref. §. Volumus.*

26. Dico 3. Pertinet ad Romanum Pontificem expendere causas, ob quas hic & nunc expediat, vel oporteat plures, aut pauciores creare Episcopos Titulares. Ratio est, quia non solum penes Pontificem est summa rerum Ecclesiasticarum potestas, sed etiam quia, ut bene observat Cardinalis Pallavicinus *in Vindic. Soc. cap.* 19. sæpe, quod cogitanti pravum apparet, idem experienti necessarium, atque adeo eligendum se probat: cum itaque Summus Pontifex experimento compertum habeat, quomodo, & quatenus unaquæque res bono Ecclesiæ conducat, ad ipsum spectat videre, an hic & nunc expediat plures, vel pauciores hujusmodi Episcopos creare. Hinc, si aliquando Summus Pontifex judicet hunc, vel illum, multos, vel paucos ad Titulares Episcopatus promovere, id caveat unusquisque ne vituperet, quia, ut docet Cardinalis de Lugo *de just. disp.21. sect.7. contra id, quod Summus Pontifex facit, non est facile judicandum de defectu causæ, & proportionis, nisi id luce clarius constet.*

CAPUT IV.

De causa efficiente, seu ad quem spectet provisio Episcopatuum Titularium.

27. Quidquid olim in usu fuerit circa provisionem Episcopatuum, de qua re fuse agunt Azor. *part.2. lib.3. cap.17.* ac Barbosa *de jure Eccles. lib.1. cap.8.* hodie provisio omnium Episcopatuum, exceptis aliquibus Orientalibus, & exceptis aliquibus Germaniæ, in quibus adhuc viget antiquus mos eligendi, fit per collationem Romani Pontificis; cum hac tamen differentia, quod aliqui Episcopatus providentur ad collationem liberam Romani Pontificis, nulla prævia nominatione, aut præsentatione; aliqui providentur ad collationem necessariam, seu institutionem Romani Pontificis, prævia nominatione, seu præsentatione, seu requisitione Regum, Principum, ac Rerumpublicarum. Jam vero, loquendo de Episcopatibus Titularibus, inquiri potest, an provideantur per collationem liberam Summi Pontificis, vel per necessariam, seu ad nominationem Regum &c. Pro qua re distinguendum puto

inter

inter Episcopatus Titulares, quorum spes proxima nulla est recuperationis, seu reductionis ad Fidem, quales sunt plerique existentes tum in Asia, tum in Africa sub dominio Turcico, nec eorum Titulus adnexus est alicui Præposituræ, aut officio in regionibus Catholicis; & inter Episcopatus Titulares, quorum vel est spes proxima recuperationis, vel eorum Titulus adnexus est alicui Præposituræ, vel officio Ecclesiastico inter Catholicas regiones. Hac posita distinctione

28. Dico 1. Episcopatus Titulares, quorum nulla est spes proxima recuperationis, & quorum Titulus non est adnexus alicui Præposituræ, aut officio &c. providentur ad liberam collationem Romani Pontificis. Ita constat ex praxi Romanæ Curiæ, de qua testatur Emus Cardinalis de Luca *in Relat. Cur. disc. 5. n. 16.* per hæc verba: *Prima species provisionum* (nempe Episcopatuum Titularium) *fit solo nutu, & placito Papæ*: constat etiam ex auctoritate Fagnani *in Cap. A nobis, il 1. de sent. excomm.* ubi hæc extant: *Provisiones Episcopatuum Titularium Clero, & populo carentium, sunt ad liberam provisionem Romani Pontificis.* Id autem fundatur in textu *Clement. In plerisque, de elect.* ubi Pontifex ait: *De consilio Fratrum nostrorum statuimus, ut nullus de cætero quantacumque dignitate præpollens (nisi speciali super hoc auctoritate Sedis Apostolicæ fulciatur) de Pastore provideat Cathedrali Ecclesiæ sibi qualitercumque subjectæ, quæ Clero careat, & subditis Christianis.* Neque obstat, quod aliquibus Regibus, ac Principibus ex Indulto Pontificio competeret jus nominandi ad eas Ecclesias ante earum captivitatem; nam vel tale jus suppressum est per dictam Clementinam, vel nullus adhuc extat Catholicus Princeps, qui jus nominandi ad eas Ecclesias a Pontifice olim obtinuerit, vel si aliquis Princeps extet, jusque ipsius vigeat, is eidem non reclamando, ultro renunciat saltem durante eo rerum statu. Item neque obstat, quod *anno Christi* 1588. ut refert Possevinus, datus sit Japoniæ Episcopus Sebastianus Morales ad nominationem, seu præsentationem Philippi II. tunc Hispani, ac Lusitani Regis; nam Japonicus Episcopatus tunc non erat Christiano populo carens, sed quamplures Christiani, atque ex iis Reges ipsi ea in Insula vivebant: unde non veniebat nomine Episcopatus Titularis.

29. Dico 2. Episcopatus Titulares, quorum Titulus adnexus ex legitima auctoritate est alicui Præposituræ, vel officio, v. g. Suffraganeatui, providentur ad nominationem Regum, vel Principum habentium a Sede Apostolica jus nominandi ad talem Episcopatum, si qui sunt tales Reges, ac Principes: si vero ejusmodi privilegiati Principes non fuerint, providentur ad liberam collationem Papæ, ita ut, facta collatione Episcopatus, intelligatur etiam collata Præpositura, vel officium eidem accessorie unitum. Prima pars constat ex Episcopatu Tunisen. qui sub S. Pio V. instante Cardinali Paceccho, fuit adnexus officio exercendi Pontificalia in locis *nullius diœcesis* Militiæ S. Jacobi de Spatha, quamdiu talis Episcopatus esset sub Infidelium potestate, &, ni fallar, ejus nominatio fuit concessa Hispaniarum Regi, ex Fagnan. *in Cap. Episcopalia, de privileg.* quare talis Episcopatus fuit collatus ad nominationem Regiam. Altera pars ostenditur; quia, exceptis aliquibus Germaniæ Cathedralibus, in quibus

quibus viget mos eligendi Episcopum, ut dixi, quando Episcopatus non confertur ad nominationem, seu præsentationem Regum, confertur ad liberam collationem Papæ. Quod autem, facta collatione Episcopatus, intelligatur etiam collata Præpositura, vel officium eidem accessorie adnexum, probatur tum ex jure, tum ex facto: ex jure, quia magis dignum trahit ad se minus dignum, *ex Cap. Quod in dubiis, de consecr. Eccles. vel Altaris*, & docent Gloss. §.7. *num.6.* Barbosa *alleg.66. num.39.* Garcias *12.part. cap.2. num.21. & 22.* Castropalaus *disp.6. de Benef. part.2. §.1. num.6.* ex facto, quia Archiepiscopatus Nazarenus cum habeat sibi adnexos duos vel Episcopatus, vel Præposituras in Regno Neapolitano, ut videre est apud Ughellium *tom.7. Ital. Sac.* eo ipso quod confertur alicui Archiepiscopatus Nazarenus, censentur etiam collati illi duo sive Episcopatus, sive Præposituræ &c.

30. Dico 3. Episcopatus Titulares, quorum est spes proxima recuperationis, vel quorum reductio ad Fidem procuratur per sacram aliquam Christianorum expeditionem, plerumque non conferuntur in Titulum; sed, si in his opus sit exercitio jurisdictionis, vel datur illis Vicarius aliquis Apostolicus, vel Episcopus ordinatus ad Titulum alterius Ecclesiæ in partibus, eisdem præficitur cum potestate jurisdictionis. Quod si necessitas exigat, ut ejusmodi Episcopatus conferantur in Titulum; tunc vel adest Princeps, qui præhabuerit jus nominandi ad ejusmodi Episcopatus, vel non adest: si adest, videtur ad ipsum adhuc spectare jus nominandi; quia jus semel quæsitum non expirat per injuriam sibi illatam in direptione suorum bonorum, imo neque ob cessationem causæ, ob quam fuit concessum, uti optime aliis relatis docet Menochius *lib.4. præsumpt.189. num.197.* præsertim quia beneficium Principis, quod meram continet gratiam, alicui impertitum, decet esse mansurum, *ex Cap.16. de reg.jur. in 6.* Accedit huc doctrina tradita a Frances *de Eccl. Cathedr. cap.16. num.189.* ubi habetur, juspatronatus, seu jus præsentandi non cessare per mutationem Ecclesiæ, v. g. per hoc, quod Ecclesia ex libera evaserit captiva, sed sola ejusdem destructione, idest suppressione facta auctoritate Papæ. Neque huic assertioni obstat reservatio *in cit. Clement. In plerisque &c.* nam Episcopatus Titularis, de quo est proxima spes reductionis, censendus est actualis, ut in simili judicat Azor. *part.2. lib.9. cap.23. qu.15.* & consequenter non comprehensus in tali reservatione. Cæterum dixi, videtur; nam, si aliter ferat stylus Curiæ, de quo mihi non constat, huic standum est in ejusmodi provisione.

31. Si vero non adsit Princeps, qui ante ejus urbis captivitatem habuerit jus nominandi, tunc provisio regulariter pertinet ad liberam collationem Pontificis, nec servandum est jus eligendi, etiamsi essent Canonici, ac reliquus Clerus, qui tali olim jure potiti fuerint. Ita *in Clement. cit. In plerisque, de elect.* & ex Benedicto XI. *Extravag. Sancta Rom. de elect. inter comm.* Quod etiam suadetur ex facto; nam Cælestinus V. inter primas sui Pontificatus curas assumens recuperationem Terræ sanctæ, ipse Patriarcham Hierosolymitanum renunciavit Rodulphum de Grandivilla Ordinis Prædicatorum, qui comitaretur novas Christianorum copias illuc mittendas: deinde Clemens V. *anno 1305.* Antonium Dunelmensem Episcopum cum Cruce signatis militiam sacram professum

fessum, Patriarcham Hierosolymitanum creavit, & tam ipsius, quam sociorum bona, interim dum abesset, in clientelam Apostolicam suscepit: præterea *anno Christi* 1463. Pius II. dedit Constantinopoli Patriarcham Cardinalem Bessarionem, qui sacrum fœdus contra Turcas ad eam Metropolim recuperandam inter Christianos Principes strenue promovit.

32. Dubitabis, qua ratione Summus Pontifex possit constituere Episcopos in partibus Infidelium, ubi non est populus Christianus, & consequenter non est qui talibus Episcopis obediat, vel Ecclesiasticæ jurisdictioni subsit? Resp. posse Pontificem id facere, quia omnes populi, etiam Infideles, subjacent potestati absolutæ, & universali, quam habet Pontifex, annunciandi Evangelium, seu mittendi Prædicatores Evangelii per totum Orbem, & consequenter potest his populis Infidelibus constituere Pontifex Episcopos ad talem effectum, idest ad annunciandum ipsis Evangelium. Ita ex Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. *de Fid.* Barbosa *de Potest. Episc. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. Neque est absolute verum, quod in illis partibus nullus subsit, saltem in lato sensu, jurisdictioni Ecclesiasticæ; nam omnes etiam Infideles subsunt huic jurisdictioni Ecclesiasticæ, seu juri annunciandi Evangelium, ita ut injuste illi vel prædicationem impedirent, vel Prædicatoribus ingressum propter hunc finem negarent, ex Suarez *ibid.* Accedit, quod illæ Ecclesiæ, seu urbes, quibus præficiuntur Episcopi Titulares, olim plene fuerint sub jurisdictione spirituali Romani Pontificis, qui propterea poterat in ipsis Episcopos constituere, & illæ diœceses plene pertinebant ad ipsius supremam Apostolicam sollicitudinem: ex quo sequitur, quod etiam nunc possit de illis diœcesibus disponere, easque aliis in Titulum dare; sufficit enim ad hunc effectum sola spes postliminii, etiamsi non sit moralis, sed metaphysica, *ex Can. Pastoralis* 7. *quæst.* 1. Ricciull. *lib.* 2. *lucubr. cap.* 5. *num.* 5. Neque obstat, quod nullus in iis civitatibus sit, qui tali Episcopo obediat; nam vel sermo est de jure constituendi tales Episcopos, vel sermo est de rationabilitate constituendi eosdem Episcopos? Si sermo sit de jure, non est novum, quod habens supremam potestatem, possit alicui conferre jus, & potestatem regendi aliquam provinciam, etiamsi actu non sint qui ab eo regantur, dummodo possint esse: si vero sermo sit de rationabilitate constituendi Episcopos in locis, ubi nullus iis obediat, ea etiam non deest; siquidem, ad rationabiliter in hoc procedendum, satis hoc unum videtur, aliquos videlicet in iis regionibus, seu civitatibus esse, qui talem Episcopum audirent, si prædicandi causa Evangelium, prout ipsi incumbit, se illuc conferret: & quidem, quod aliqui ipsum audituri essent in tali hypothesi, moraliter loquendo, videtur certum: præterea rationabilitas etiam habetur ex spe quamvis metaphysica postliminii.

CA-

CAPUT V.

De causa materiali, seu de qualitatibus requisitis ad Episcopatum Titularem ex parte suscipientium.

33. PRomovendus ad Episcopatum in genere, iis qualitatibus debet esse praeditus, quae in simplici quoque Presbytero requiruntur: ac propterea debet esse 1. ex legitimo matrimonio natus; diceretur autem juris fictione natus ex legitimo matrimonio, qui esset legitimus per subsequens matrimonium: ex Barbos. *jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 8. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 5. *sect.* 5. Azor. *Instit. mor. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 14. *quaest.* 14. 2. debet insuper explevisse trigesimum aetatis annum, *ex Cap. Cum in cunctis, de elect.* & ex Bulla Gregorii XIV. *Onus Apostolicae servitutis*: quamquam in Regno Galliae ex Concordatis inter Leonem X. & Regem affirmet Rebuff. sufficere, ut promovendus sit constitutus in anno aetatis vigesimoseptimo: 3. debet esse initiatus sacris Ordinibus, saltem sex mensium spatio, antequam consecretur Episcopus: & licet ex dispositione Tridentini *sess.* 23. *de refor. cap.* 2. utentis numero singulari, videatur sufficere, si in Subdiaconatus Ordine per sex menses antea versatus fuerit, & ita sentiant quamplures Doctores, Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 19. Azor. 2. *part. lib.* 6. *cap.* 8. Castropalaus *disp.* 4. *de Benef. part.* 7. aliique, tamen ex Bulla Gregorii XIV. utentis plurali numero censet probabiliter Barbosa *de Potestate Episcopi* 2. *part. alleg.* 1. debere esse omnibus sacris Ordinibus usque ad Presbyteratum inclusive per sex antea menses initiatum: 4. debet esse in Ecclesiasticis functionibus diu versatus, & a parentibus catholicis genitus, ex dicta Constit. Greg. XIV. notat tamen Barbosa *lib.* 1. *juris Eccl. cap.* 8. posse dispensari cum neophytis propter merita personarum, & Ecclesiae utilitatem, vel necessitatem, *ex Cap. Cum nobis, in fin. de elect.* 5. debet ea scientia esse instructus, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere, ideoque antea in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel Jure Canonico, merito sit promotus, aut publico alicujus Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur: quod si Regularis fuerit, a Superioribus suae Religionis similem fidem habeat, ex Trident. *sess.* 22. *de refor. cap.* 2. 6. debet esse morum probitate praecipue commendatus, *ex Cap. Cum in cunctis, de elect. Cap. Grave nimis, de Praeben. Clement. I. de aetat. & qualit.* Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform. &c.* ita ut collatio Episcopatus facta criminoso, seu infami, licet non sit ipso jure irrita, modo crimen non habeat adnexam excommunicationem, vel irregularitatem, ex Navar. Gomez, & aliis apud Garciam *cap.* 8. *num.* 47. tamen sit irritanda ab eo, qui ad id habet potestatem; ut colligi potest *ex Cap. Inter dilectos, de excess. Praelat.*

34. Haec igitur cum requirantur in promovendo ad Episcopatum, & quidem taliter requirantur, ut ex iis quaedam faciendam impediant, quaedam irritam faciant promotionem, quaedam saltem attendenda sint in ipsa promotione Episcopi facienda, dubium esse potest, an eadem omnino requirantur in promo-

promovendo ad Episcopatum Titularem: siquidem ex una parte jura videntur generaliter loqui de omnibus Episcopis sine distinctione Episcopi Titularis ab aliis Episcopis: ex alia parte Episcopus Titularis cum careat Clero, & populo Christiano, & insuper, ut talis, careat etiam spe proxima Clerum, & populum Christianum habendi, non videntur jura de eodem tam stricte intelligenda, præsertim ubi sermo sit de doctrina. Huic dubio ut satisfaciam, visum est subsequentes instituere, ac resolvere quæstiones.

35 Quæres 1. an promovendus ad Episcopatum Titularem debeat esse simpliciter, ac, pensatis omnibus, dignior cæteris? Resp. Non est necesse, quod promovendus ad Episcopatum Titularem sit simpliciter dignior. Ita Card. de Lugo *Resp. mor. lib. 5. dub. 15. num. 4.* Ratio est; quia promotio alicujus in Episcopum Titularem, omisso digniori, neque est in præjudicium Ecclesiæ, cui ille præesse debeat, neque ullius animæ, cujus curam debeat gerere: siquidem nec Ecclesiam Episcopus Titularis actualiter gubernat, nec est in spe proxima illam gubernandi: neque etiam est in præjudicium aliorum digniorum, qui prætermittuntur; nam electio hujus non impedit ullius alterius electionem, seu promotionem: etenim sunt tot alii Tituli similes vacantes in partibus Infidelium, ut quemcumque alium digniorem velit Papa in Episcopum Titularem promovere, numquam timeri possit, quod ob defectum Tituli vacantis illum alium digniorem non promoveat. Neque obstat, quod Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 1.* supponat esse præceptum de promovendo ad Episcopatum eos, qui, post factam diligentiam competentem, digniores reperiantur; nam tale præceptum, quod supponitur a Tridentino, cessat respectu Episcopi Titularis per cessationem totius causæ finalis, ob quam fuit latum tale præceptum. Adverto tamen, quod si aliquis promovendus esset ad Episcopatum Titularem, de quo esset spes proxima recuperationis, ac multo magis si ejusdem recuperatio procuraretur; tunc dignior esset promovendus: siquidem in tali casu non cessaret simpliciter, & adæquate causa finalis præcepti de eligendo digniori; nam, ut in simili loquitur Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 3. quæst. 15.* in tali casu Episcopatus Titularis censeretur actualis. Adde, quod Provisor exponeretur periculo proximo præficiendi Ecclesiæ habenti populum, & Clerum, personam non digniorem, contra id, quod sancte statutum est.

36. Quæres 2. an legitimi natales, ætas, Ordo sacer sex ante menses habitus &c. requirantur in promovendo ad Episcopatum Titularem, sicuti requiruntur in aliis Episcopis? Resp. affirmative. Ratio est; quia tum legitimitas natalium, tum ætas, tum morum honestas requiruntur a Conciliis, & Constitutionibus Pontificiis, non solum habito respectu ad actuale regimen populorum, sed etiam habito respectu ad dignitatem, & Ordinem Episcopalem; ut constat *ex Cap. Cum in cunctis, de elect. & ex Cap. 1. de filiis Presbyterorum &c.* in quibus expresse habetur, propter respectum ad sacros Ordines requiri in subjecto legitimitatem, ætatem &c. Præterea ex nova lege Tridentini *sess. 22. cap. 2. de refor.* sancta Synodus Ordinem sacrum ante sex menses præhabitum exigit in quocumque, qui assumendus sit ad Ecclesias Cathedrales, non distinguens, nec limitans, nec ponens ullam exceptionem. Cum

itaque in Episcopis Titularibus sit dignitas, atque Ordo Episcopalis, & cum ipsi vere assumantur ad Ecclesias Cathedrales; sequitur, quod etiam in ipsis requirantur legitimitas natalium, ætas 30. annorum, morum honestas, & Ordo sacer præhabitus ante sex menses, sicuti requiruntur in aliis Episcopis: quæ tamen intelligas de jure ordinario; nam Summus Pontifex posset sicuti in aliis Episcopis, ita in Titularibus aliter extraordinarie disponere.

37. Quæres 3. an eadem doctrina in Episcopo Titulari requiratur, quæ in aliis Episcopis? ℞. præsupponendo, aliam in Episcopis scientiam requiri jure naturali, aliam requiri jure Ecclesiastico: jure quidem naturali illa scientia in iis requiritur, quæ est necessaria obeundo officio, & muneri Episcopali; nam generatim singuli tenentur ea scire, quæ ad eorum statum, vel officium spectant, S. Th. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. jure autem Ecclesiastico tanta in iis scientia requiritur *ex Can. Omnes* 6. *dist.* 38. ex Synodo septima, ut *in promptu habeant legere scrutabiliter, & non transitorie tam sacros Canones, & sanctum Evangelium, quam omnem Divinam scripturam*: adeoque debent omnes Episcopi, spectato hoc Canone, esse digni laurea doctorali tam Theologiæ, quam Juris Canonici, Gobat *tract.* 8. *n.* 374. imo Concilium Tridentinum *sess.* 22. *de ref. c.* 2. ut dixi, disponit, quod promovendus ad Episcopatum, sit Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel Jure Canonico, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios edocendos ostendatur: præterea ex Constitutione Gregorii XIV. debet specialis fieri inquisitio circa doctrinam promovendi ad Episcopatum, nisi ex aliqua publica functione illa esset notoria: demum ex decreto Clementis VIII. debent assumendi ad Episcopatus Italiæ subjicere se examini coram SSmo Domino, & Congregatione Cardinalium, Prælatorum, aliorumque peritorum virorum: assumendi vero ad Episcopatus ultra montes debent subjicere se examini coram Cardinalibus Sedis Apostolicæ Legatis, si ibi fuerint, iisque deficientibus, coram Nunciis Apostolicis, Primatibus, Archiepiscopis &c. ut videre est apud Barbosam *de jure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 111. ac *de Potest. Episcopi alleg.* 1.

38. Hoc itaque præsupposito, dico 1. Non eadem prorsus scientia, quæ jure Ecclesiastico requiritur in aliis Episcopis, requiritur etiam in Episcopis Titularibus. Ita colligitur ex Card. de Lugo *in Resp. moral. lib.* 5. *dub.* 15. colligitur etiam ex praxi Curiæ Romanæ, ubi promovendi ad alios Episcopatus subjiciuntur examini circa doctrinam; at promovendi ad Episcopatus Titulares non subjiciuntur tali examini: demum suadetur; quia Episcopi Titulares, de quibus non est moralis spes, quod aliquam jurisdictionem debeant unquam exercere, vel ullam actualem animarum curam gerere, non videntur iis legibus teneri, quæ latæ sunt ab Ecclesia ad finem recte administrandi jurisdictionem, & ad finem recte animas gubernandi per doctrinam & prædicationem &c. etenim, cessante tota causa finali, ob quam res præcipitur, cessat lex, & obligatio illius, ex communi, & *ex Cap. Cum esset, de testam.*

39. Dico 2. Scientia, quæ jure naturali requiritur in Episcopo Titulari, non est tanta, quanta in aliis Episcopis. Ratio est, quia jure naturali ea sola scientia requiritur in Episcopo Titulari, quæ sit sufficiens ad suum munus & officium rite peragendum: cum autem munus & officium Episcopi Titularis mino-

minorem doctrinam exigat, quam munus & officium Episcopi actualis, ut patet, & notat Card. de Lugo *loc. cit.* sequitur, quod in Titulari Episcopo minor scientia de jure naturæ requiratur, quam in aliis Episcopis.

40. Oppones. Tam in Episcopo Titulari, quam in Episcopo actuali requiritur gradus Doctoratus, seu Licentiatus, aut saltem testimonium publicum alicujus Academiæ de idoneitate ad alios docendos, *ex sess.* 22. Tridentini *de ref. cap.* 2. consequenter eadem scientia in Titularibus Episcopis requiritur, quæ in actualibus. Resp. Verum quidem est, gradum Doctoratus, seu Licentiatus &c. requiri in promovendo etiam ad Episcopatum Titularem, ut constat ex praxi Romanæ Curiæ, in qua opus est dispensatione Pontificia, ut promoveatur ad Ecclesias in partibus Infidelium non habens talem gradum; siquidem Concilium Tridentinum requirit *loc. cit.* pro forma ejusmodi gradum in quolibet assumendo ad Ecclesias Cathedrales, ut is constituatur capax obtinendi Episcopatum; & incapax est, dum eo gradu non insignitur, Mend. *de jure Acad. lib.* 2. *quæst.* 23. attamen non inde infertur, quod eadem scientia tam in Titulari, quam in actuali Episcopo requiratur; nam scientia, quam præsupponit gradus litterarius, non consistit in indivisibili, sed habet infimum, medium, & summum: ac proinde potest idem gradus litterarius esse in pluribus, quin in iisdem sit eadem scientia.

41 Quæres 4. quænam, & quanta determinate scientia sufficiens sit, & requiratur in promovendo ad Episcopatum Titularem? Resp. rem hanc fuisse olim docte resolutam ab Eminentissimo Cardinali de Lugo *in Resp. Moralib. lib.* 5. *dub.* 15. *num.* 6. ubi citatus Auctor docet sic: *In rigore loquendo, doctrina sufficiens ad Ordinem Sacerdotalem, videtur etiam sufficiens ad Episcopatum Titularem.*

42. Dicendum proinde est, per se loquendo, eam doctrinam in Episcopo Titulari requiri, quæ in aliis Episcopis: per accidens vero, quia non est moralis spes, quod ille debeat jurisdictionem exercere, aut alicui generali Concilio interesse, eam sufficere in rigore doctrinam, quæ requiritur ad Sacerdotium, & ad Pontificalia exercenda. Prima pars probatur; quia est vere Episcopus, & ordinatur ad prædicandum Evangelium &c. Secunda pars probatur; quia in Beneficiis ea doctrina requiritur, & sufficit, quæ est necessaria ad satisfaciendum officio adnexo tali Beneficio: cum autem juxta præsentes circumstantias Episcopatui Titulari sit dumtaxat adnexum officium exercendi Pontificalia ultra officium Sacerdotis, sequitur &c. Vid. S. Thomas 3. *part. q.* 7. *art.* 7. *ad* 3. Neque obstat, quod, ut diximus, requiratur in promovendo ad Episcopatum Titularem Doctoratus, vel Licentiatus &c. nam scientia requisita ad Sacerdotium, non est ita tenuis, ut non sufficiat ad obtinendum ejusmodi gradum litterarium in aliqua Academia; siquidem ex Tridentino *sess.* 23. *c.* 14. *de ref.* Sacerdos debet præcedenti examine comprobari idoneus *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta &c.* Deinde Concilium Tridentinum requirit gradum litterarium in Episcopo ad hoc, ut habeat scientiam talem, qua muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere, ut patet ex textu Conciliari *sess.* 22. *cap.* 2. *de ref.*

Cum itaque habens scientiam sufficientem ad Sacerdotium, habeat sufficientem ad peragenda munera Episcopi Titularis, qua talis; sequitur, quod, non obstante requisito de habendo gradum litterarium, sufficiat in rigore scientia, quæ exigitur ad Ordinem Sacerdotalem. Item neque obstat, quod in Ordinatione interrogetur, *an sciat novum, & vetus Testamentum?* nam, ut cum veritate respondeat affirmative, sufficit, si sciat quantum requiritur ad suum munus exercendum. Ita Sa, Mendo, Richardus, Angelus, & alii.

43. Dixi cum Card. de Lugo, *in rigore*, seu ex stricta obligatione; nam ex congruentia, & ex quadam decentia longe major scientia requiritur in Episcopo Titulari, quam in simplici Sacerdote. Ratio est, quia vere is est Episcopus, & consequenter inter majores Ecclesiæ Prælatos, ac Doctores censetur: decet autem, majores Ecclesiæ Prælatos majorem Fidei, ac rerum ad Ecclesiæ statum pertinentium cognitionem habere: ipsis enim Salvator dixit *Matth. 5. Vos estis lux mundi*: & quamvis habentes scientiam sufficientem ad simplicem Sacerdotem sint sufficienter instructi ad ea munera peragenda, quæ præstari solent ab Episcopo Titulari, assistente præsertim Magistro Cæremoniarum; tamen eorum dignitati, ac statui major scientia videtur congruere: siquidem de gradu in gradum in Ecclesia Dei ita quisque debet ascendere, ut cum ætate major etiam in eo doctrina accrescat, Trident. *de ref. sess. 23. cap. 11.* & Episcopi cum sint Magistri in Israel ratione Ordinis ac dignitatis, æquum est, ut quovis tempore parati sint ad *rationem Fidei reddendam omni poscenti, ex 1. S. Petri cap. 3.* præsertim cum possint vocari ad Concilium generale, ut infra dicam.

44. Ubi etiam adverto, quod quamvis ad simplicem Sacerdotem non requiratur tanta scientia, quanta requiritur ad Sacerdotem Confessarium, ut firmant Layman *de Ord. cap. 7. num. 1.* & Coninch *disp. 20. dub. 10.* tamen ad Episcopum Titularem fortasse requiritur scientia necessaria ad Sacerdotem Confessarium; nam fortasse Episcopus Titularis per ipsam assumptionem ad talem Episcopatum intelligitur approbatus ad Confessiones audiendas, tanquam obtinens Beneficium Parochiale, ut observat Cardinalis de Lugo *in cit. Respons. Moral.* & fusius infra ipse discutiam.

45. Quæres 5. an Religiosus ex jure communi sit capax obtinendi Episcopatum Titularem? *Resp.* Certum est ex jure communi, Religiosum esse capacem Episcopatus actualis, uti aperte habetur *Cap. Nullus Religiosus, de elect. in 6.* At dubium esse potest, an ipse sit capax Episcopatus Titularis? tum quia respectu talis Episcopatus cessat ratio curæ animarum, & doctrinæ, ob quam promotio Regularium ad Ecclesiam sæcularem est concessa, ut notat Panormit. *in Cap. Quod Dei timorem, de stat. Monachor.* tum quia per assumptionem ad tales Episcopatus datur ipsis occasio otii, & mollioris vitæ contra Professionem Regularem. Dicendum tamen est, posse ex jure ordinario, & sine ulla dispensatione quo ad hoc Religiosum promoveri ad Episcopatum Titularem. Ratio est; quia licet non possit Regularis ex jure ordinario promoveri ad Beneficium sæculare, tamen hæc regula limitatur in Episcopatu etiam Titulari; siquidem cum sit verus Episcopatus, habet latum discrimen a quocumque alio sæcu-

sæculari Beneficio propter dignitatem, ob quam dicitur Episcopus religiosior Monacho, ut tradit Glossa *in Cap. Nullus Religiosus, de elect. in 6.* & colligitur *ex Cap. Ex multa, de Voto.* Insuper Episcopatus ex se a Beneficio regulari, & sæculari abstrahit, ideoque non comprehenditur sub ea regula, qua cavetur, ne Beneficia sæcularia conferantur Regularibus, ex Suarez *tom.4. de Relig. lib.3. cap.19.* Accedit praxis Romanæ Curiæ, in qua Regulares ad ejusmodi Episcopatus promoventur sine speciali dispensatione. Sic olim ex Ordine Prædicatorum renunciatus est Archiepiscopus Armeniæ B. Fr. Bartholomæus Bononiensis, qui floruit *anno Domini* 1335. Sic posterioribus temporibus ex Societate Jesu Andreas Oviedus Hierapolitanus Antistes fuit consecratus, qui floruit *anno Domini* 1555. Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Non prima; quia licet respectu Episcopi Titularis cesset ratio actualis curæ animarum; tamen hæc ratio curæ animarum, licet esset unica (quod non admitto), licet, inquam, esset unica cur illi possit conferri alia sæcularis Prælatura, Episcopatus tamen ea est perfectione, ac dignitate, ut Episcopus dicatur religiosior Monacho, ex Glossa *in cit. Cap. Nullus, de elect. in 6.* & consequenter, si debitus modus servetur, potest Religiosus &c. ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. *ad* 2. Non secunda; quia Regulares ad ejusmodi Episcopatus promoventur, vel ut fructuosius laborent in Missionibus apud Infideles, vel ut in aliena satis ampla diœcesi ex proprii Episcopi commissione animarum bono inserviant, vel alia simili de causa: ac propterea assumptio ad talem Episcopatum non est per se loquendo occasio otii, ac mollioris vitæ in Regulari: fateor tamen, non esse Regulares ad ejusmodi Episcopatus facile promovendos, nisi necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas id exigat, ne videlicet & monasteria præcipuis viris spolientur, & ne ambitioni porta aperiatur, ex Less. *de just. lib.2. cap.41. dub.12.* præsertim cum *Clementina In plerisque, de elect.* de Regularibus videatur præcipue loqui, quando prohibet promotionem Titularium Episcoporum factam ab aliis, quam a Romano Pontifice.

46. Quæres 6. an Religiosus dimissus e Societate Jesu post vota biennii, sit ubique capax Episcopatus Titularis? Resp. Ratio dubitandi esse potest, quia alicubi, v. g. in Regno Poloniæ, cautum est constitutione municipali, ne dimissus e Societate Jesu promoveatur ad Cathedralium Ecclesiarum Prælaturas sine speciali Sedis Apostolicæ gratia, ex Fagnan. *in Cap. A nobis, il 1. de sent. excomm.* Dicendum tamen est, dimissum e Societate, esse capacem Episcopatus Titularis, non obstante eo, vel simili decreto, quod alicubi vigeat. Ita Sacra Consistorialis Congregatio *die* 1. *Aprilis anno* 1652. resolvit. Et ratio est; quia tale, aut simile statutum non potest reddere subjectum inhabile ad eas Prælaturas, quæ sunt extra territorium statuentium, *ex cit. Cap. A nobis, & ex Cap. Animarum, de constit.* Cum autem Episcopatus Titulares sint in partibus Infidelium, & sic extra provinciam, & territorium statuentium, sequitur, quod illud statutum nequeat reddere subjectum inhabile ad tales Episcopatus. Adde, quod ea constitutio municipalis in Regno Poloniæ dum excludit dimissos e Societate Jesu a Prælaturis Cathedralium Ecclesiarum, non debet intelligi de ipsis Cathedralibus, argumento *Cap. final. de Præbend.* sed de Digni-

tatibus



tatibus in Cathedrali, v. g. de Præpositüris, Archidiaconatibus &c. quæ appellantur Prælaturæ tam ex consuetudine Regni Poloniæ, quam ex jure communi, ut est textus *in Cap.* 1. *de ætat. & qualit. ordinand.* Vide plura apud Fagnanum *loc. cit.* unde sequitur &c.

47. Quæres 7. an habens Episcopatum residentialem sit capax recipiendi Episcopatum Titularem, v. g. Patriarchatum Antiochenum &c? Resp. Vel sermo est de receptione Episcopatus Titularis cum dimissione prioris Episcopatus residentialis, seu actualis; vel sermo est de receptione Episcopatus Titularis cum retentione prioris Episcopatus actualis. Si sermo sit de primo, certum est, non posse Episcopum actualem recipere Episcopatum Titularem sine consensu, & solutione Apostolica: siquidem ipse est post confirmationem conjunctus spirituali matrimonio cum sua Ecclesia, quam proinde nequit sine legitima vinculi solutione dimittere, ut patet *ex tot. tit. de translat.* Si vero sermo sit de secundo, certum est, Episcopum actualem posse sine dispensatione Apostolica recipere Episcopatum Titularem. Nam nulla obstat deformitas ex iis quæ impediunt pluralitatem Beneficiorum in eodem subjecto. Non obstat superfluitas redditum Ecclesiasticorum; siquidem ex Episcopatu Titulari nulli redditus proveniunt: non inæqualitas distributionis; nam collato uni Episcopatu Titulari, non privatur alter capacitate proxima recipiendi eamdem moraliter prærogativam: non Ecclesiæ damnum; nam Episcopus Titularis actu cum nequeat residere in Episcopatu Titulari, potest sine illius detrimento, ac tenetur residere in Episcopatu actuali; unde neutra Ecclesia sentit incommodum ex conjunctione horum Episcopatuum: non cultus Divini diminutio; nam Episcopus actualis conjunctim cum Episcopatu Titulari potest ea omnia ad Divinum cultum pertinentia præstare, quæ præstaret divisim, ut consideranti patet. Rursus non obstat Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 2. *de ref.* ubi prohibetur, ne recipiantur, & simul retineantur duæ Cathedrales Ecclesiæ, & *sess.* 24. *cap.* 17. *de ref.* ubi prohibetur, ne plura Beneficia ad congruam sustentationem Clerici eidem conferantur: nam finis intentus a Concilio in primo decreto est, ne actuale regimen Ecclesiæ detrimentum patiatur; in secundo autem, ne aliis indigentibus subtrahantur Beneficia, quæ tamen ipsis deberentur, ut patet ex contextu Synodali: cum autem talis finis cesset respectu Episcopatus Titularis, sequitur, quod talis Episcopatus conferri possit sine dispensatione habenti Episcopatum actualem. De facto nuperis temporibus, videlicet *die* 23. *Martii* 1729. Archiepiscopus Capuanus renunciatus est a Benedicto XIII. Patriarcha Constantinopolitanus sine dispensatione, ut mihi viri periti dixerunt. Imo notat tanquam certum Leuren. *de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 116. quod Beneficium actu Curatum incompatibilitatem non habeat cum alio Beneficio habitu tantum Curato. Limites tamen assertionem, ut non habeat locum, quando esset spes probabilis recuperandi Episcopatum Titularem, nec essent elapsi quadraginta anni ab ejus captivitate: ut in simili firmat Leuren. *lib.* 1. *de Benef. quæst.* 32. ex sententia Gregorii XIII. & Sacræ Congregationis Concilii *in cap.* 17. *sess.* 24. *Tridentini de ref.*

48. Limites etiam positam assertionem, ne locum habeat in Episcopatu Titu-

Titulari, qui habeat adnexam Præposituram, aut Beneficium aliud fructiferum; nam in tali casu Episcopo actuali post ejus confirmationem, & pacificam possessionem nequiret conferri Episcopatus Titularis taliter adnexus; siquidem talis Episcopatus Titularis licet fortasse de se non esset incompatibilis neque ratione residentiæ, neque ratione servitii præstandi, cum Episcopatu actuali; nihilominus esset incompatibilis cum eodem ratione sustentationis congruæ præhabitæ, ut suppono, ab Episcopo actuali: unde nequiret illi conferri sine dispensatione Pontificia: Layman *de Benef. cap.*8. *num.*7. Garcias *de Benef. tom.*2. *part.*11. *cap.*6. *num.*44. & *Cap. Cum in cunctis* §. *Cum vero, de elect.*

CAPUT VI.

De causa formali, seu de forma, & conditionibus servandis in Titularium Episcopatuum provisione.

49. IN provisione Episcopatuum Titularium hæc præcipue servanda sunt. 1. Ut talis provisio fiat pure, hoc est sine pacto, conditione, modo &c. alioquin esset provisio simoniaca, *Cap. ult. de pactis*, ex Azorio *tom.*2. *cap.*26. *quæst.*2. 2. Ut fiat juxta stylnm Romanæ Curiæ; non est enim ab eo recedendum, cum faciat legem. 3. Ut fiat ad præscriptum Pontificalis Romani, & sacrorum Canonum quo ad consecrationem &c. His positis

50. Quæres 1. an committeretur simonia, si Pontifex conferret alicui minus apto Episcopatum Titularem, adjecto onere, ut ille certam aliquam summam in pios usus, v. g. in Missiones ad convertendos Infideles, erogaret? Resp. rationem dubitandi esse, quia pro pecunia ad pios usus concederetur dignitas Episcopalis, quæ spiritualis est: nec prodest, quod a Pontifice id fieret; nam in tali simonia Pontifex dispensare non posset, nec simoniæ labem auferre, quia esset juris Divini, cum jure Divino sit dignitas Episcopalis invendibilis: nec posset Pontifex in hoc casu separare temporale a spirituali, ut facit in aliis Beneficiis, quando admittit resignationes Beneficiorum cum pensionibus, vel etiam cum obligatione redimendi pensiones pecunia numerata præsenti; quia in casu nullum prorsus esset emolumentum temporale in Episcopatu, qui confertur, nec ulli redditus, vel fructus, sed mera dignitas & Titulus Episcopalis: quare quidquid temporale a promovendo exigeretur, vel acciperetur, videretur id totum exigi pro solo Titulo & dignitate Episcopali, quæ invendibilis est.

51. Nihilominus dicendum, in tali casu non committi simoniam. Ita Card. de Lugo *in cit. Resp. mor.* Ratio est; quia illa certa summa non exigeretur tanquam pretium promotionis ad Episcopatum, sed tanquam conditio justificans hic & nunc talem promotionem. V. G. si ex eo quod promovendus non habeat aliquod ex requisitis jure Ecclesiastico, vel ex eo quod non detur causa alia urgens talis promotionis, Pontifex injungat, ut promovendus eroget summam aliquam in pios usus, hæc erogatio erit conditio justificans promotionem, non autem pretium promotionis. Sic aliqua summa pecuniaria exigitur pro dispensatione matrimoniali, qui est actus jurisdictionis; & aliqua erogatio pecuniæ

niæ in eleemosynam exigitur pro lucrandis Indulgentiis in Jubilæo, quin committatur simonia: siquidem utrobique exigitur pecunia, non in pretium, sed ut conditio justificans causam dispensationis, & justificans concessionem Indulgentiæ, quæ sine sufficienti causa licite concedi non possunt. Quamobrem, etiamsi Pontifex nequeat in Episcopatu Titulari separare temporale a spirituali; tamen conferendo Episcopatum Titularem alicui vel minus apto, vel extra urgentem necessitatem talis promotionis, adjecto onere, ut promovendus eroget summam aliquam in pios usus, non committeret simoniam; nam exigeret, non in pretium, non ex pacto sive implicito, sive explicito conferendi Episcopatum, non tanquam motivum conferendi Episcopatum, sed tanquam conditionem justificantem causam talis promotionis; ut qui v. g. non erat satis idoneus ad receptionem talis Episcopatus, evadat, si velit, per tale opus pietatis, seu per talem erogationem eleemosynæ, idoneus, & dignus qui promoveatur. Vid. Azor. & Diana *part.11. tract.6. resol.31.* ex aliis capitibus excusantes hunc casum a simonia.

52. Quæres 2. quæ forma de stylo Curiæ observetur in promotione ad Episcopatum Titularem? Resp. Hæc a peritissimo Romanæ Curiæ accepi. Ubi primum Pontifex aperuit suam mentem de promovendo personam aliquam ad Episcopatum Titularem vel per litteras Secretarii Status, vel per Rescriptum Pontificium in supplici libello, significatur id ipsum exhibito alterutro instrumento Auditori Sanctissimi Domini Papæ, qui suis ministris, seu substitutis, negotium dat, ut ea disponant, quæ requiruntur ad præconium habendum, quando fiet propositio talis Ecclesiæ in Consistorio. Deinde instituitur Processus de vita, & moribus promovendi coram Notario Processuum: examini duo Testes adhibentur, qui deponant 1. de legitimitate natalium, & hoc insuper constare debet productis testimonialibus Baptismi litteris; 2. de gradu litterario in Theologiæ, vel Canonum facultate; 3. de tali vita & morum honestate, ut judicetur vir gravis & prudens, dignusque qui ad Ecclesiam promoveatur.

53. Post absolutum ejusmodi Processum instituendus esset alter Processus super statu talis Ecclesiæ. Verum huic oneri satisfit per unicam hanc expressionem; videlicet, Ecclesiam esse in partibus Infidelium, & ideo statum illius potius esse deplorandum, quam exprimendum &c.

54. Ex Processu antedicto extrahitur summarium, & fit præconium, quo in Consistorio talis Ecclesia proponatur: proponitur autem a Sanctissimo Domino, nisi hæc provincia alicui ex Emis Cardinalibus demandata fuerit.

55. Juxta Gregorii XIV. & Clementis VIII. Constitutiones, examen ab aliis promovendis ad Episcopatum est subeundum super doctrina ac litteratura; sed ab hac lege eximuntur promovendi ad Episcopatum Titularem: iidem tamen post promotionem ad Episcopatum, si contingat, ut promoveantur, vel transferantur ad Episcopatum actualem, debent subjici ejusmodi examini, nisi Pontifex dispenset; sicuti de facto propter notorietatem doctrinæ Benedictus XIII. dispensavit cum Episcopis Perusino, Anconitano, & Tiburtino, aliisque, qui ex Episcopatu Titulari ad tales respective Episcopatus residentiales fuerunt assumpti.

56. Pro-

56. Proposita in Consistorio Ecclesia, promovendus, si extet in Curia, recipit a Sanctissimo Domino Rochetum; si autem sit extra Curiam, alteri Episcopo committitur facultas, ut illud eidem impertiat, & jam tunc promovendus inter Prælatos connumeratur, ac dicitur Episcopus confirmatus.

57. Post hæc expeditur a Cancellaria Apostolica Schedula Consistorialis, vi cujus a Dataria expeditur Bulla: hæc autem expeditio fit per viam, quæ dicitur secreta, diversam a communi, quæque minores sumptus exigit: nam in ejusmodi casibus supplicatur Pontifici, ut dignetur concedere Litteras Apostolicas gratis, & Datarius libello supplici apponit decretum, vi cujus Officiales Curiæ modicum quid pro rata accipiunt, juxta taxas provisionis talium Ecclesiarum: ac res tota unius Bullæ expeditione peragitur.

58. Sumptus omnes qui requiruntur, iis etiam comprehensis, quos exigit propina, modica prædicta taxa, merces Scriptorum, Processus confectio, transcriptio præconii pro Consistorio, ejusque distributio, ac munerum largitio, quæ dirigitur ex elencho Illustrissimi Auditoris Causarum Sacri Palatii Apostolici, regulariter summam implent 300. circiter scutorum Romanorum. Do litteras ipsas Apostolicas, quæ expediuntur in provisione talium Episcopatuum, suntque ejusmodi:

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio N. N. Electo Nicomedien. salutem, & Apostolicam benedictionem.

Onerosa Pastoralis officii, dispositione summi Pastoris, qui pro suis ovibus animam posuit, Nobis licet immerito cura commissa, sollicita Nos pulsat instantia, ut inter cætera, quæ undique confluunt, negocia, quibus noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Metropolitanarum, quæ vacationis incommoda deplorare noscuntur, solerter intendamus, earumque incommodis mediante celeri novorum provisione Pastorum, per quos Ecclesiæ ipsæ in spiritualibus, & temporalibus continua suscipere possint incrementa, salubriter succurramus. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium, & in posterum vacaturarum, ordinationi, & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero Ecclesia Metropolitana Nicomedien. quæ in partibus Infidelium consistit, & cui bo. mem. N. N. illius ultimus Archiepiscopus, dum viveret, præsidebat, per obitum ipsius N. N. Archiepiscopi, qui apud dictam Sedem debitum naturæ persolvit, apud Sedem eamdem Pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem dictæ Ecclesiæ Nicomedien. celerem & felicem, in qua nullus, præter Nos, hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis,

ne illa longa vacationis exponatur incommodis, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ Nicomedien. personam utilem, ac etiam fructuosam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem; demum ad te in utraque Signatura nostra Referendarium, & Cameræ Apostolicæ Clericum, ac Cancellariæ Apostolicæ Regentem, Fidem Catholicam expresse professum, omniaque alia requisita habentem, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, dictæ Ecclesiæ Nicomedien. de persona tua Nobis, & eisdem Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem consilio, Apostolica auctoritate providemus, teque illi in Archiepiscopum præficimus & Pastorem, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, firma spe, fiduciaque conceptis, quod, dextera Domini tibi assistente propitia, prædicta Ecclesia Nicomedien. sub tuo felici regimine regetur utiliter, & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam & administrationem præscriptas sic exercere studeas sollicite, fideliter, & prudenter, quod Ecclesia ipsa gubernatori provido, & fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis benedictionem & gratiam uberius consequi merearis. Nos enim tibi &c. Et insuper tibi, quod, donec dicta Ecclesia ab Infidelibus detinebitur, ad illam accedere, & apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta Apostolica auctoritate indulgemus. Datum Romæ &c.

59. Quæres 3. quæ forma observanda sit ex præscripto Pontificalis Romani, & sacrorum Canonum quoad consecrationem &c? Resp. ex eruditissimo Gobatto qui in compendium talem formam redegit sic. Quando Episcopus consecratur, adsunt tres Episcopi, quorum unus vocatur Consecrator, duo alii dicuntur Assistentes. Exercentur vero hæ cæremoniæ. 1. Consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem, & scapulas electi. 2. Consecrator, & Assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum*. 3. Consecrator pollicem dextrum intingit in sacrum Chrisma, & caput electi inungit, formans signum Crucis, & dicens: *Ungatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictione in Ordine Pontificali*. 4. Consecrator Chrismate inungit ambas manus simul junctas electi, dicens: *Ungantur manus istæ &c*. 5. Consecrator benedicit Baculum Pastoralem, & benedictum tradit electo in manus, dicens: *Accipe Baculum Pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens &c*. 6. Idem Consecrator benedicit Anulum, aspersumque aqua lustrali immittit in digitum anularem manus dexteræ, dicens: *Accipe Anulum, fidei scilicet signaculum, quatenus Sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodias. Amen*. 7. Consecrator accipit librum Evangeliorum de scapulis consecrati, &, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, tradit eum clausum consecrato, tangenti illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica Evangelium*

gelium populo tibi commisso &c. 8. Denique Consecrator recipit consecratum ad osculum pacis, ut & Assistentes Episcopi, dicentes ipsi consecrato, *Pax tibi*: & ipse respondet singulis, *Et cum spiritu tuo*.

60. Ex his inferes, quod Episcopi Titulares, cum iisdem tam multis, & tam augustis cæremoniis consecrentur, ac alii Episcopi, eamdem sibi jure ab omnibus vendicant reverentiam: indignum namque est, ait Barbosa, quod accidens redditum pluris, quam substantia Ordinis Episcopalis, habeatur, *de Potestate Episcopi part.*1. *tit.* 1. *cap.* 6. siquidem, ut recte observat S. Hieronymus *in Cap. Legimus in Isaia dist.*93. *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit*. Unde nimiæ licentiæ jure arguitur a Diana insignis quidam Theologus, qui parum honorifice de his Episcopis præsumpsit loqui: uti videre est *tom.*4. *coord. tract.*2. *resol.*9.

61. Advertas etiam, quod, ut infra *in Cap. de Obligationibus* dicam, promovendus, antequam ejus Ecclesia in Consistorio proponatur, debet, si Romæ existat, emittere professionem Fidei coram Auditore Sanctissimi; &, antequam expediatur Bulla, debet præstare juramentum fidelitatis in manibus R. P. Prosummistæ. Quod si extiterit extra Curiam, debet ante consecrationem eamdem Fidei professionem emittere coram Episcopo consecrante, in ejusque manibus juramentum fidelitatis præstare: insuper tam professionis Fidei, quam præstiti juramenti documentum authenticum debet Romam transmittere, sua, & Episcopi consecrantis manu subscriptum.

CAPUT VII.

De causa finali, seu motivo promovendi ad tales Episcopatus.

62. CUM ferme fiat, ut inique omnia de Romana Ecclesia interpretentur Hæretici, iidem non dubitarunt asserere, idcirco a Romano Pontifice creari ejusmodi Titulares Episcopos, ut plures in Concilio ad sua vota propugnanda adsint. Verum eos hallucinari satis ostendit Paulus Grisaldus *v. Episcopum*. 10. & re ipsa contrarium evincitur: siquidem nec ad Concilium Tridentinum, ut infra dicam, nec ad novissimum Romanum Concilium sub Benedicto XIII. vocati sunt Titulares Episcopi, esto eorum nonnulli tanquam aliorum Episcoporum Procuratores, vel Officiales interfuerint. Longe igitur alia, eaque multiplex est ratio promovendi personas idoneas ad tales Episcopatus. Prima itaque est ex Barbosa *de Potestate Episcopi part.*1. *tit.* 1. *cap.*6. ut provisi eo, ubi sunt provisi, proficiscantur, & experiantur, si ex grege Dominico oves aliquas, vel unam pristinæ saluti restituant, vel eos qui ibi sunt Fideles, in Fide & Religione sollicite conservent, & nutriant. Sic olim sancte, nec sine fructu fecit B. Bartholomæus Bononiensis ex Ordine Prædicatorum, declaratus Episcopus Armeniæ. Sic facere intendebat Andreas Oviedus Episcopus Hierapolitanus e Societate Jesu, qui Æthiopico Patriarchæ datus Coadjutor, *cum*

 intelli-

intelligeret, se per Coadiutoris non posse munus credito sibi Hierapolitano gregi suis oculis imminere, juxtaque residere, omni animi inductione statuerat, nisi se Pontifex vel eo Titulo, vel Coadiutoris & Successoris sollicitudine liberaret, suam ei Cathedram resignare, delatisque se se titulis abdicare : ex Sacchino *lib.* 15. *hist. Soc. Jesu*.

63. Secunda est, ut dentur a Romano Pontifice velut Coadjutores Episcopis infirmis, senibus, aut alia simili ratione impeditis: ut deducitur ex textu *in Cap. Pastoralis*, apud Barbosam *loc. cit.*

64. Tertia, ut in promptu sint, quos Pontifex cum sui Nuncii potestate ad Reges, ac Principes mittat sine propriarum Ecclesiarum detrimento, & in Romana Curia adsint, qui Episcopis cum potestate præsint; hos enim decet Episcopali charactere esse insignitos: ex Ricciullo *loc. cit.*

65. Quarta, ut Cardinalibus, aliisque habentibus amplas diœceses, dentur Suffraganei. Sic datur Cardinali Episcopo Ostiensi, Cardinali Episcopo Sabinensi, sic pluribus per Germaniam Episcopis; ubi jamdiu viguit Episcoporum Titularium creatio pro explendis functionibus Episcopalibus, teste Thomassino *de Benefic.part.* 1. *lib.* 1.*cap.*27. & Monacello *in Formular.part.*2. *tit.* 13. *num.* 16. Sic *anno* 1711. creatus est Episcopus Titularis Illmus Martinenghi Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ SS. Nazarii, & Celsi, ut Emi Badoerii in Brixiensi satis ampla diœcesi Suffraganeum gereret.

66. Præterea possunt aliæ hic & nunc justæ occurrere rationes, ob quas moveatur Pontifex ad ejusmodi Episcopos creandos. Justam censuit causam Cardinalis de Lugo *in Resp. moral.* ad talem creationem, ne videlicet vir insignis familiæ nobilitate, ac de ipso Pontifice benemeritus, maneret in Ordine Religioso cum multis privilegiis & exemptionibus, quæ observantiam religiosam non parum lædere, ac pacem Religiosorum internam perturbare poterant, nec eorum usum ob splendorem familiæ facile erat impedire. Imo Paulus V, *anno* 1613. justam censuit causam conferendi Archiepiscopatum Titularem cuidam Prælato, ut controversias componeret inter ipsum, & alterum Prælatum super officio Decanatus Rotæ: ex Ricciull. *lib.*2. *lucubr. cap.*7. Accedunt aliæ omnes rationes, ob quas supra jam dixi esse absolute expediens, ut in Ecclesia Dei ejusmodi Titulares Episcopi creentur, ac præsertim ne, habendo pro derelictis ejusmodi Ecclesiis, hostium violentiæ acquiescere videamur.

67. Oppones 1. Si finis præcipuus creandi tales Episcopos est, ut provisi eo proficiscantur, ubi sunt provisi, sequitur, quod illi ea doctrina, atque iis dotibus pollere debeant, quæ ad tale Apostolicum munus requiruntur, contra id quod supra diximus, ubi statuimus, eam doctrinam sufficere, quæ est necessaria ad Sacerdotium. Oppones 2. S. Pius V. post Concilium Tridentinum decreto suo Consistoriali sancivit, non esse ejusmodi Episcopos creandos, neque in Suffraganeos dandos, nisi Ecclesiis Cardinalium, & illis quæ solitæ sunt habere Suffraganeos, ex Fagnan. *in Cap. Episcopalia, num.*48. *de privileg.* non igitur creandi sunt propter alios fines, sed præcise ut dentur Suffraganei Ecclesiis Cardinalium, aliisque habere solitis Suffraganeos.

68. Ad primum resp. Ex eo quod finis præcipuus creandi tales Episcopos

sit,

sit, ut eo proficiscantur, ubi sunt provisi, sequitur quidem, quod promovendus deberet per se iis dotibus, ac scientia pollere, quæ ad tale munus Apostolicum requiruntur: quia tamen hic & nunc nulla est spes moralis, ut illuc possint cum fructu accedere, & idcirco a Summo Pontifice in Litteris Apostolicis illis indulgetur, ne, donec Ecclesia ab Infidelibus detinebitur, ad illam accedere, & apud eam personaliter residere teneantur; sequitur, quod per accidens hic & nunc non sit in eis necessaria major scientia, quam quæ ad Sacerdotium, & Pontificalia exercenda requiritur. Sic Exorcista, quamvis promoveatur ad talem Ordinem primario, ut manus super energumenos imponat, & dæmones per sacros exorcismos expellat, uti constat ex forma talis Ordinis, & idcirco ea per se in promovendo requireretur doctrina, prudentia, ac maturitas, quæ tam arduo muneri par esset; quia tamen ejusmodi actuale ministerium non solet in præsentia Ecclesia committere, nisi solis Sacerdotibus, hinc est, quod in promovendis ad Exorcistatum non requiritur a Tridentino major ætas, ac scientia, quam quæ in promovendis ad Ostiariatum &c. nempe ut sciat legere & scribere, & Fidei rudimenta, ac linguam Latinam intelligat: *sess.23. cap.11. 13. & 14. de ref.* Ad 2. Tale decretum S. Pii citatum a Fagnano, & a Ricciullo, in primis non reperitur in Actibus Consistorialibus, sicuti testatur bon. mem. R. P. D. Favoritus olim Sac. Consistorialis Congregationis Secretarius in Relatione emissa *anno 1692.* super Albanen. unde non potest recognosci in quibus fere terminis loquatur: deinde esto ita Sanctus Pontifex justis tunc urgentibus causis id statuerit; tamen id non prohibet, quominus alii Successores Pontifices justis aliis urgentibus causis aliter decernant: nam, ut idem S. Pius V. in quadam sua Constitutione asserit, *Providentia Romani Pontificis plurimum circumspecta nonnunquam ea, quæ certis suadentibus causis per suos Prædecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat, & ad pristinum statum reducit, prout æquitas suadet, & in Domino conspicit expedire.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.



PARS

PARS SECUNDA

DE POTESTATE EPISCOPORUM TITULARIUM.

69. Episcopalis potestas in universum reducitur ad tria membra: quædam enim Episcopo competunt ratione Ordinis: quædam ratione jurisdictionis: quædam ratione dignitatis: ex Phæbeo *in Instit. Canon.* Hoc posito, videndum erit 1. quid competat Episcopo Titulari ratione Ordinis: 2. quid competat ratione jurisdictionis. 3. quid competat ratione dignitatis. Verum in hac Parte solum inquiram prima duo: tertium autem in tertia Parte erit discutiendum.

CAPUT I.

Quid competat Episcopo Titulari ratione Ordinis.

70. POtestas Ordinis Episcopalis cum habeat quædam ex jure Divino sibi adnexa, v. g. ministrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis &c. quædam autem sibi habeat adnexa ex institutione Canonica, v. g. Templa consecrare, Vasa, Vestes &c. pariter benedicere, & consecrare &c. sequitur, ut divisim de his loqui oporteat: ac primum videndum sit, an Episcopus Titularis valide, ac licite possit extra suum Episcopatum ea quæ Ordini Episcopali sunt adnexa de jure Divino, deinde an valide, ac licite possit quæ Ordini Episcopali de jure Canonico sunt reservata, peragere.

§. I.

Quoad valorem.

71. QUæres igitur primo, an Episcopus Titularis extra suum Episcopatum, & sine Ordinarii licentia, vel speciali Apostolico Indulto, valide conferat Sacramentum Ordinis, & Confirmationis: item an valide Chrisma conficiat, & sacret Oleum Infirmorum? Resp. affirmative, supponendo, talem Episcopum rite fuisse consecratum. Ratio est; quia, posita consecratione, eadem potestas Ordinis est in Episcopo Titulari, ac in aliis Episcopis: ex communi apud Dianam *coord. tom.4. resol.51. tract.8.* & Phæbeum *Inst. can. lib.1. tit.3. num.5.* Hæc autem potestas Ordinis cum competat Episcopis jure Divino, nec relate ad Ordinationem, ac consecrationem &c. postulet necessario jurisdictionem ex parte ministri; sequitur, quod nequeant prædicti effectus ejusdem, nempe consecratio, & Ordinatio &c. impediri ob defectum alicujus humani requisiti; ac proinde valide quis ordinetur ab Episcopo Titulari etiam sine licentia Ordinarii &c. dummodo Episcopus, juxta ritum quem Catholica servat Ecclesia, & cum debita intentione eos ordinet: ex Vasquez, aliisque apud eum *disp.243. num.21. tom.2. in 3. partem.*

tem. Hinc extra diœcesim, & sine licentia Ordinarii, valida est Ordinatio, valida Confirmatio, valida consecratio Chrismatis &c. facta ab Episcopo Titulari.

72. Quæres 2. an Episcopus Titularis extra diœcesim, & sine licentia Ordinarii, vel Indulto Apostolico (has circumstantias semper intelligas in sequentibus quæsitis) valide conferat primam Tonsuram, & Ordines minores? Resp. videri posse, quod non. Ratio est; quia nec prima Tonsura, nec Ordines minores sunt Sacramentum, sed sunt jure Ecclesiastico introducti, ac jure Ecclesiastico Ordini Episcopali sunt adnexi: propterea videntur non esse valide collati, quando conferuntur aliter, ac præcipit Ecclesia. Nihilominus, etiam admisso, quod Ordines minores non sint Sacramentum, de quo est controversia inter Auctores Catholicos, & partem affirmativam cum Bellarmino alibi docui, dicendum est, quod tam prima Tonsura, quam Ordines minores valide conferuntur ab Episcopo Titulari in dictis circumstantiis. Ratio est, quia Ecclesia hactenus non declaravit irritam talem collationem sive Tonsuræ, sive Ordinum minorum, etiamsi id facere posset, supposito quod ex ipsius institutione Episcopus esset eorum minister: ex Vasquez *tom. 3. in 3. part. disp. 243. num. 21.* Neque obstat, quod Episcopus ordinans ad tales Ordines in prædictis circumstantiis faciat aliter, ac præcipit Ecclesia: hoc enim solum probat, quod ipse peccet, non autem quod Ordinatio sit irrita; nam *multa fieri probibentur, quæ si fuerint facta, obtinent firmitatem*, ait Papa Innocentius III. *in Cap. Ad Apostolicam, de Regul.* nec ex eo quod Ecclesia prohibeat Episcopo Titulari in talibus circumstantiis conferre Tonsuram, & Ordines minores, infertur, quod etiam infirmet collationem: siquidem actum prohibere, eumque infirmare, valde diversa sunt, & inter se separabilia; ac proinde unum ex altero colligi non debet: Gloss. marg. in *l. Pacta C. de pactis* Suarez *lib. 5. de leg. cap. 25. & 29. &c.*

73. Quæres 3. an Episcopus Titularis extra suam diœcesim &c. valide excipiat Confessiones, seu valide ministret Sacramentum Pœnitentiæ? Resp. Episcopus Titularis invalide excipit Confessiones alicujus non sibi subditi sine debita Ordinarii licentia, vel Indulto Apostolico. Ratio est; quia Absolutio, quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ, non potest valide dari, nisi ab eo qui potestatem absolvendi a Christo habet, & jurisdictionem completam in ipsum pœnitentem: ex communi apud Vasquez *loc. cit.* Cum autem Episcopus Titularis in talibus circumstantiis non habeat jurisdictionem completam in pœnitentem, uti constat, sequitur, quod invalide &c. Dixi, alicujus non sibi subditi; ut innuerem, controversiam esse posse de homine Christiano, ac cive ejus urbis, cujus Episcopus habet Titulum, qui forte in has nostras regiones peregrinus advenisset: de hoc enim alibi dicam, an Episcopus Titularis habeat erga illum jurisdictionem completam.

74. Quæres 4. an Episcopus Titularis eo ipso, quod Titulum accipit, & Ecclesiæ præficitur, sit censendus approbatus ad audiendas Confessiones, unde illi qui facultatem habent eligendi Confessarium, possint sibi in Confessarium eligere Episcopum Titularem? Resp. Censendus est approbatus. Ita probabiliter opinatur Card. de Lugo *in Resp. mor. lib. 5. dub. 15.* Ratio est; quia Concilium

cilium Tridentinum *sess.*23. *cap.*15. *de ref.* censet, approbatos ad Confessiones eos, qui Parochiale Beneficium obtinent: cum autem Episcopus Titularis obtineat Parochiale Beneficium, siquidem nomine Beneficii Parochialis in hoc loco, teste Card. de Lugo, omnes intelligunt comprehendi etiam Episcopatum, sequitur, quod Episcopus Titularis, approbatus censendus sit &c.

75. Oppones 1. Decretum Tridentini eo loco non comprehendit Episcopos Titulares, quia Episcopatus Titularis non est Beneficium, cum nullos habeat redditus. 2. Quia ad talem effectum non est Beneficium Parochiale; nam, quando jura aliquid decernunt de Ecclesiis Parochialibus, non sunt intelligenda de illis Ecclesiis, quæ habitu tantum, non autem actu habent parochianos, ex Glossa *in Cap. Licet canon, in verb. Parochialis, de elect. in 6.* ergo similiter, quando aliquid decernunt de Beneficio Parochiali.

76. Sed contra est. Ad 1. enim dico, Episcopatum Titularem, ut jam exposui, esse vere Beneficium, quia est jus percipiendi fructus ex speciali titulo &c. Per accidens autem est, quod obtinens tale Beneficium, hic & nunc impediatur a consecutione fructuum, nec spem habeat sibi esse aliquando attribuendos. Ad 2. Non est certum, quod in objectione assumitur; nam contrarium expresse docent Innocentius, & Joannes Calderinus *in Cap. De multa, de Præbend.* item Speculator *tit. de leg. §. Videndum*. Deinde, esto ita sit, ut in jure appellatione Ecclesiæ Parochialis non veniat ea, quæ habitu tantum habet parochianos; tamen in casu præsenti, & ad effectum de quo agimus, propter identitatem rationis idem censendum est de obtinente Parochiale Beneficium actu, ac de Episcopo Titulari obtinente Parochiale Beneficium habitu: nam ideo Concilium noluit, actuales Parochos indigere alia approbatione, quia quando Parochi sunt facti, judicati jam sunt idonei ad Confessiones suarum ovium audiendas: cum autem hæc eadem ratio cum proportione procedat in Episcopo Titulari, siquidem si civitas illa, cujus ipse habet Titulum, recuperaretur a Fidelibus, ipse esset eorum Episcopus, & absque alia approbatione posset eorum Confessiones audire, sequitur &c. Et quidem nostræ huic assertioni pondus non leve accedit ex facto Urbani VIII. qui ad Episcopatum Titularem justis de causis cum promovere vellet virum insigni quidem nobilitate, sed non insigni doctrina, eum suspendit, seu inhabilitavit ad audiendas Confessiones, donec specialiter ad hoc munus examinaretur, & approbaretur: ex Cardinali de Lugo *in Resp. mor. cit. dub.* 15. *&c.*

77. Quæres 5. an Episcopus Titularis habeat privilegium Concilii Tridentini *sess.*24. *cap.*6. *de reformat.* circa absolutiones, & dispensationes &c. ita ut pro casu, quo eligeretur in Confessarium ab habente facultatem, posset eum absolvere a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis? Resp. negative. Ita Diana *cord. tom.*4. *tract.*8. *resol.*104. Sanchez *lib.*2. *Sum. cap.*11. aliique. Ratio est; quia ex contextu Conciliaris decreti constat, non concedi dictam facultatem Episcopo respectu omnium Fidelium, sed respectu suorum subditorum in propria diœcesi.

§. II.

§. II.

De exercitio licito eorum, quæ sunt Ordinis, ex jure Divino.

78. Quæres 1. an Episcopus Titularis licite conferat Ordines? Resp. cum licentia expressa Ordinarii, affirmative; sine autem tali expressa licentia, negative. Prima pars probatur 1. ex Tridentino *sess.6. cap.5. de reformat.* & *sess.14. cap.2. de ref.* ubi Episcopo Titulari prohibetur, ne Ordines conferat, *nisi de loci Ordinarii expressa licentia*: unde infertur, quod cum tali expressa licentia possit; siquidem particula *nisi*, talis naturæ est, ut contradicat præcedentibus; ideoque si oratio affirmativa præcessit, neget; si vero præcessit oratio negativa, affirmet & includat: ex Sanchez *de Matrim. lib.1. disp.19. n.1. & seqq.* Barbosa *in Dict.217.* aliisque apud ipsum. Probatur 2. ex praxi: nam Suffraganei Episcopi Titulares cum expressa Ordinarii licentia, qui eos tali muneri præfecit, Ordines conferunt; & id ipsum passim fit Romæ ab Episcopis Titularibus de licentia Eminentissimi Vicarii.

79. Altera pars probatur 1. quia jure naturali, & Divino vetitum est ordinare quempiam, nisi de licentia Episcopi loci: nam sicuti nemo potest baptizare alium in aliena Parochia, nisi de licentia Pastoris, eo quod jure Divino naturali ad Pastorem pertinet in Ecclesiæ numerum Cathecumenum recipere, licet ipsa actio baptizandi non sit actio jurisdictionis; ita quoque eodem jure naturali Divino, orto ex institutione hujus Sacramenti, & Episcoporum, ad Episcopum ipsum pertinet ex suis subditis, non autem ex alienis, pro ministerio Ecclesiæ ministros sibi eligere, ex Vasquez *tom.3. in 3.part. disp.143.* 2. quia Tridentinum *loc.cit.* nempe *sess.6.cap.5.* & *sess.14.cap.2.de ref.* prohibet, ne Episcopi Titulares, etiamsi resideant in loco exempto, aut nullius diœcesis, aut in monasterio, aut ibi moram traxerint, vigore cujusvis privilegii de promovendo quoscumque ad se venientes, pro tempore concessi, subditum alterius Episcopi etiam prætextu familiaritatis, & continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis ad aliquos Ordines majores, aut minores, vel primam etiam Tonsuram promovere, seu ordinare audeant. Notat autem Barbosa, quod, cum Concilium requirat licentiam expressam, non sufficit licentia tacita, *in collect. ad sess.6. cap.5. Concilii*, ex Vega *in Relect. ad Cap. Significasti*, *num.31. de foro competent.* sicuti etiam, cum requirat licentiam Ordinarii, intelligendum est de Episcopo, in cujus diœcesi locus est constitutus, & non de Prælato inferiori etiam exempto, ut per Galet. *in Margarita casuum conscientiæ verb. Verba &c.*

80. Quæres 2. an Episcopus Titularis possit de licentia expressa Ordinarii loci ordinare suum familiarem absque alio titulo, quam suæ triennalis servitutis? Resp. esse sententiam Vasquez *disp.243. cap.5. num.49.* quam non improbabilem judicat Castropalaus *de Sacr. Ord. punct.15.* scilicet, posse Episcopum ordinare suum familiarem absque ullo titulo vel Patrimonii, vel Beneficii; quia hic est favor factus Episcopo, ut familiaris ei commodius inserviat; & ratione Beneficii conferendi, quod moraliter deesse non potest, censetur ille

familiaris habere titulum sufficientem. Verum, quidquid sit de hac Vasquezii opinione, quam non admittit Barbosa *alleg.5. num.12.* & quæ post Bullam Innocentii XII. *Speculatores*, non videtur subsistere, nisi melius explicetur, certe ea non habet locum respectu Episcopi Titularis; tum quia Episcopo Titulari non est concessa, imo interdicta promotio sui familiaris, ex Concilio Tridentino *loc. cit.* & Castropalao, Tamburino, aliisque ita interpretantibus verba Concilii; tum quia Episcopus Titularis, qua talis, non potest statim conferre Beneficium ordinato, ut exigit Tridentinum *sess.23. cap.9. de ref.* & supponebat Vasquez in sua assertionis probatione.

81. Quæres 3. an Episcopus Titularis possit licite ordinare, habita licentia exercendi Pontificalia, virum aliquem, qui e civitate Infideli, cujus ipse habet Titulum Episcopalem, venit in has nostras regiones, & in his Christianam Religionem amplexus est? Resp. videri, quod possit. Ita Hallier *de Sac. Ord. sect.4. cap.5. art.4. §.2.* ubi hæc habet: *Probabile est, quæ de Episcopis expulsis, & ad aliquam Ecclesiam cum cura eis demandata ordinatis, nec tamen receptis dicta sunt, eadem Episcopis nostri temporis Titularibus, qui sine cura videntur, ex quadam saltem, eaque vetusta Ecclesiæ consuetudine, locorum a quibus denominantur Antistites creati convenire, adeo ut possint illi in iis partibus, in quibus Episcopatum receperunt, ordinare Clericos, & ad eas provincias si quos nacti fuerint ex ipsis oriundos, destinare, atque mittere. Hoc enim ipsorum Bullæ præferre videntur, ut quamvis curam ipsorum populorum non assumant, & ab ea, sicuti & a residentia in iisdem locis absoluti sint, potestatem tamen, seu meram facultatem obtineant, qua, si occasio se obtulerit, eisque libuerit, uti possint.* Hactenus Hallier.

82. Nihilominus censeo, quod non possit. Ratio est; quia talis advena, qui in nostris regionibus Fidem Catholicam amplexus est, in iisque baptizatus, efficitur post Baptismum subditus, ratione originis, ejus Episcopi, in cujus diœcesi baptizatus est, & ratione domicilii, ejus Episcopi, in cujus diœcesi domicilium figit, juxta formam Bullæ Innocentianæ *Speculatores &c.* Ita Card. de Luca *in annot. ad Conc. disc.14. num.14.* Pax Jordan. *tom.1. lib.3. tit.6.* Gobattus *tract.8. num.280.* la Croix *lib.6. part.2. num.2181.* & colligitur *ex Cap. ult. 98. dist.* Concilii Carthaginensis tertii *can.44.* Cum igitur Episcopus Titularis, stante hac doctrina, non sit ejusmodi advenæ proprius Episcopus ratione originis, neque sit, ut patet, ratione Beneficii, neque, ut suppono, ratione domicilii, siquidem suppono ejusmodi advenam figere domicilium in nostris regionibus; sequitur &c.

83. Quid autem dicendum sit, si originarius urbis Infidelis baptizatus esset in ea urbe Infideli, aut si post Baptismum in nostris regionibus, figeret domicilium in sua patria Infideli, videbimus infra *Cap.3.*

84. Quæres 4. an peccet graviter Episcopus Titularis ordinando subditos alienos sine licentia, aut dimissoriis proprii Episcopi? Resp. affirmative; tum quia non paret præcepto Ecclesiæ in re gravi; tum quia injuriam gravem irrogat Episcopo proprio, usurpando ejus jurisdictionem: quamvis enim Ordinatio ipsa non sit actus jurisdictionis, hoc est actus jus dicendi, tamen electio ad Ordi-

Ordines, hoc est, ut quis ordinetur, pertinet ad habentem jurisdictionem in ordinandum, ex Vasquez *tom.3.in 3.p.disp.*243. tum quia gravis adjecta est pœna transgredientibus tale præceptum, ut infra dicam: pœna autem gravis adjecta, qualis est suspensio totalis, vel partialis a gravi aliquo munere, seu officio, signum est gravis obligationis, & sub mortali, ex Suarez *de leg. lib.*4. *cap.*18. *num.*19. aliisque communiter.

85. Quæres 5. quam pœnam incurreret Episcopus Titularis promovendo ad Ordines subditos alienos sine licentia expressa proprii Prælati? Resp. quod incurreret ipso jure suspensionem ab exercitio Pontificalium per annum. Ita ex Tridentino *sess.*14. *cap.*2. *de reform.* Amplies, ut eam pœnam incurreret etiam promovendo ad minores Ordines, vel primam Tonsuram, ex eodem Concilio *ibidem*. Amplies item, ut eamdem pœnam incurreret, etiamsi resideret, aut moram traheret in loco exempto, aut nullius diœcesis, aut in monasterio, ex eodem *ibidem*. Ubi notes cum Vasquez, majorem pœnam incurrere Episcopos Titulares ordinando non subditos sine debita licentia, quam alios Episcopos: alii enim Episcopi propter tale delictum, tam *in Cap. Eos qui, de temp. Ordin. in 6.* quam in Concilio Tridentino, solum suspenduntur ab officio ordinandi per annum, cætera vero Pontificalia officia exercere possunt: at Episcopi Titulares suspenduntur ab officio Pontificalium, quod sane ad plura se extendit. Notes etiam, quod ad incurrendam hanc pœnam necessarium est, ut Episcopus vel scienter, vel affectata ignorantia id faciat, seu, quod idem est, quocumque alio figmento quæsito id facere præsumat, ut expresse dixit Gregorius X. *in Cap. Eos qui, de tempor. Ordin.* quod cum in Concilio Tridentino non extendatur, sed absolute etiam prohibeatur, eodem modo prohibitum esse, quod attinet ad pœnam, intelligendum est: ex Vasquez *tom.*3. *in* 3. *p. disp.*243. *cap.*5. *&c.* De licito autem exercitio Confirmationis erit infra sermo.

CAPUT II.

De iis quæ jure Ecclesiastico sunt Ordini Episcopali adnexa.

§. I.

Quoad valorem.

86. POstquam vidimus Episcoporum Titularium potestatem circa ea, quæ jure Divino sunt Episcopali Ordini adnexa, superest, ut eorumdem potestatem videamus relate ad ea, quæ jure Ecclesiastico sunt Ordini Episcopali reservata: & quidem primo quo ad valorem; deinde quo ad licitum.

87. Quæres igitur primo, an Episcopus Titularis in aliena diœcesi valide consecret Templa, Altaria, Vasa, Virgines &c. sine Episcopi diœcesani licentia? ℞. Episcopo Titulari, ratione Ordinis, competunt hæc omnia, sicut aliis Episcopis, ita ut valide ea exerceat in aliena diœcesi sine prædicta licentia. Prima pars probatur. Nam Episcopus Titularis habet verum Ordinem, & characterem Episcopalem, ut supra firmatum est: consequenter habet ea omnia, quæ

quæ Ordini Episcopali de jure Divino, & de jure Ecclesiastico sunt adnexa, nisi constet, aliquod ex his esse illis ab Ecclesia sublatum: cum autem id non constet, imo oppositum potius firment Auctores, ut infra dicam, sequitur, quod Episcopus Titularis possit quoad consecrationem Templi, Altarium &c. quicquid possunt alii Episcopi. Altera pars probatur. Nam licet Ecclesia, ob tale delictum exercendi tales consecrationes in aliena diœcesi sine debita licentia, posset eas irritare, tamen id non solet: ex Layman *tract.9. cap.9. de Sacr. Ord.* ubi duplicem hujus rei rationem affert: 1. quia sicuti quicquid adnexum est potestati Ordinis ex institutione Christi, independens est quo ad valorem a dispositione ministri; ita congruum est, ut independens pariter sit quidquid eidem Ordini adnexum est ex institutione Ecclesiastica: 2. quia ita necesse est ad evitandas multas dubitationes, & alia non parva incommoda. Hinc ex S. Thoma 2. 2. *q.39. art.3.* colligit Gonzalez *in Cap. Tua Fraternitas, de consecr. Eccles.* quod consecratio alieni Episcopi tenet in hoc, ut, manente suo subjecto, numquam deleri possit.

88. Quæres 2. an Episcopus Titularis valide benedicat Vestes Sacerdotales ad usum Sacrificii in aliena diœcesi? Resp. affirmative. Ratio est; quia talium Vestium benedictio de jure est Ordini Episcopali adnexa, nec Episcopis Titularibus per Ecclesiam sublata. Et quidem, quod sit Ordini Episcopali adnexa, firmant Barbosa *de Potestate Episcopi alleg.27.* Tamburinus *in meth. exp. Sacrificii lib.1. cap.5.* aliique omnes, qui docent, non posse ab Episcopo hanc potestatem delegari simplici Sacerdoti. Quod vero non sit eadem Episcopis Titularibus sublata, probatur; quia, ut diximus ex S. Thoma 2. 2. *q.39.* & ex Layman *loc.cit.* potestas Ordinis ab Episcopo per consecrationem adepta remanet in Episcopo quamdiu vivit, nec limitari solet quo ad valorem ab Ecclesia. Idem ferme dicas de benedictione Campanarum, reconciliatione Ecclesiæ &c.

89. Quæres 3. an Episcopus Titularis valide conferat Indulgentias? Respond. potestatem conferendi Indulgentias esse jurisdictionis, non autem Ordinis, eamque competere Episcopis jure ordinario ex concessione Summi Pontificis, qui eam limitavit, decernendo, ne in die dedicationis Ecclesiæ Indulgentiam extenderent ultra annum, in die vero anniversario dedicationis ultra 40 dies, & pariter quod possint 40. dierum Indulgentias ex justa causa concedere: Suarez *tom.4. in 3. p. sect. 1.* Bellarm. *lib.4. de Pont. cap.24.* Barbosa *de Potestate Episcopi part.3. alleg.* 88. aliique apud ipsos. Hoc posito, vel sermo est de Episcopo Titulari relate ad subditos alienos, vel sermo est relate ad subditos proprios, si quos habeat. Jam vero, si sermo est relate ad subditos alienos, non potest concedere nomine proprio, seu ex propria & ordinaria facultate, quia Indulgentiæ concessæ a Prælatis alienis subditis, nullæ sunt, *ex Cap. Quod autem, de pœnit.* ubi ratio redditur; quia qui non potest ligare, nec potest absolvere: potest tamen eas concedere ex commissione Episcopi diœcesani; nam Episcopus diœcesanus potest hanc facultatem concedendi Indulgentias illi committere, sive delegare, ex Layman *de Indulg. cap.4. num.1.* siquidem hæc facultas competit Episcopis jure ordinario, seu ratione muneris ac dignitatis suæ. Hinc quando Episcopus diœcesanus committit Titulari consecrationem Ecclesiæ, solet etiam commit-

committere facultatem concedendi solitam Indulgentiam. Si vero sermo sit relate ad subditos proprios, quos forte habeat, dicendum est cum distinctione sic: vel tales subditi sunt in ea civitate ac diœcesi Infideli, cujus ipse habet Titulum Episcopalem; vel sunt extra talem civitatem ac diœcesim: si primum, potest nomine proprio dictas determinatas Indulgentias illis concedere, etiamsi ipse extra diœcesim existat, pro opere tamen præstando intra eam civitatem, vel diœcesim: Barbos. *de Potestate Episcopi alleg.*88. Navar. *de Jubil. notab.*31. si secundum, non est improbabile, quod etiam possit eas concedere pro opere quod fiat extra propriam diœcesim, & quidem etiam sine licentia Ordinarii illius loci: uti apud Barbosam *loc.cit.* resolvit Alzedo *par.*2. *cap.*3. *&c.* An vero actualiter habeat subditos Episcopus Titularis, videbitur infra, ubi de jurisdictione agetur.

§. II.

Quo ad licitum exercitium.

90. QUæres 1. an licite Episcopus Titularis absque diœcesani licentia consecret Ecclesias, Altaria, Vasa &c. Resp. negative: tum quia Altarium, ac Templorum inaugurationes &c. solis licet aggredi Pontificibus, in quorum diœcesi consecrantur, *ex Can. Nemo, Can. His ergo*, 14. *Can. Nullus* 25. *de Consecrat.* & ex Concil. Arausic. *can.* 100. ubi habetur: *Dedicatio illi omni modo reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit:* item ex Concil. Aurel. 1. *can.* 1. 3. 8. apud Gonzalez *Cap.*2. *de Consecrat.* tum quia Trident. *sess.*6. *cap.*5. *de refor.* mandat, ne ulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia; cum enim usus Pontificalium, nempe Baculi, Mitræ, Pallii &c. constituat exercitium Pontificalium, ex Sayro *lib.*4. *de cens. cap.*4. aliisque, isque debeat ac soleat adhiberi in consecratione Templorum, Altarium &c. fit, quod prohibitus exercere Pontificalia in alterius diœcesi sine expressa licentia Diœcesani, fit etiam consecutive prohibitus consecrare Templa, Vasa &c. sine ejusmodi licentia. Imo refert Rodulphus Glaber, Ecclesiam monasterii Lucanensis in Pago Turonico fuisse ventis ac tempestate disjectam, & eversam, cum eam Petrus quidam Cardinalis contra voluntatem Hugonis Turonensis Archiepiscopi consecrare meditaretur: quod cum multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, ne Divinitus id evenisset in talis præsumptionis pœnam, & ad posterorum exemplum.

91. Quæres 2. an graviter peccet, & quam pœnam incurrat Episcopus Titularis consecrans Templa, Vasa &c. sine licentia &c. Resp. peccare graviter, & juxta Concilii Antiocheni antiquam severitatem *in Cap. Nullum* 9. *quæst.*2. incurrere ipso facto pœnam depositionis, juxta vero Tridentinum *sess.*6. *de ref. cap.*5. pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium per annum. Prima pars constat tum ex gravitate materiæ, tum ex gravitate pœnæ adjectæ. Altera pars constat ex ipso textu Conciliari. Imo notat Barbosa *alleg.*6. ex Zerola, & Leone, non excusari Episcopum ab hac suspensionis pœna ob inadvertentiam, idest non excusari per quamlibet ignorantiam etiam inculpabilem sive

juris

juris, sive facti; uti probabiliter quis excusatur ab incursu censuræ, quando verba legis habent hos terminos, *ausus fuerit*, *præsumpserit &c.* ex Sanchez *lib.* 3. *de mat. disp.* 48. aliisque: siquidem lex Tridentini *loc. cit.* non habet ejusmodi terminos, sed simpliciter: *Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium sit ipso jure suspensus*: contra Vasquez supra.

92. Hinc inferes 1. non posse licite sine debita licentia Episcopum Titularem ministrare in aliena diœcesi Sacramentum Confirmationis, conficere Chrisma, sacrare Oleum Infirmorum &c. Item 2. nec licite posse Missam cum Baculo, & Mitra cantare; nec in Missa benedictionem solemnem dare, idest cum versu *Sit nomen Domini &c.* & cantu, ex Pace Jordano, qui *tom.* 3. *part.* 2. putat, cantum in benedictione esse requisitum essentiale ad ejusdem solemnitatem. Ratio horum est; quia ex Tridentino *loc. cit.* Episcopo est prohibitum exercere Pontificalia in aliena diœcesi sine expressa Diœcesani licentia: prædicta autem si exerceret Episcopus, cum in iis requiratur usus ornamentorum Pontificalium, nempe Baculi & Mitræ &c. exerceret Pontificalia: unde &c.

93. Quæres 3. an Episcopus Titularis in Ecclesia sua jurisdictionali, veluti si esset Præpositus, possit Pontificalia exercere, v. g. Chrisma conferre &c.? Resp. non posse, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus diœcesis fines Præpositura existit. Ita refert decisum Aldan. *in Compend. Can. resolut. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 10. apud Barbosam *in Conc. cap.* 5. *num.* 14. Immo talis Episcopus nec posset vocari a Commendatario Abbatiæ existentis intra fines alicujus diœcesis, etiam exemptæ, & habentis jura quasi Episcopalia, ad ministrandum Sacramentum Confirmationis suis populis, nisi de consensu, & licentia Episcopi, in cujus diœcesi est Abbatia: uti decisum fuisse in una *Veronen.* refert idem Aldanus *d. tit.* 8. *num.* 15. apud eumdem Barbosam *loc. cit. & de Potestate Episcopi alleg.* 6. *num.* 12.

94. Quæres 4. an possit licite Missam privatim celebrans uti benedictione Episcopali cum verbis *Sit nomen Domini &c.* Resp. posse, dummodo id fiat sine cantu. Ita Piasec. *in Praxi nova Episc. part.* 1. *cap.* 2. Zerola *in simili Prax. part.* 1. *verb. Episcopus*, Barbos. *part.* 2. *de Potestate Episcopi alleg.* 26. *num.* 64. Campanil. *Div. Jur. rub.* 9. *cap.* 5. Ratio est; quia Episcopus Titularis potest de jure Missam privatim celebrare in aliena diœcesi sine licentia Ordinarii; uti firmant Zerola, Alzed. apud Barbos. *loc. cit.* & consequenter absque eadem licentia potest uti benedictione Episcopali tanquam accessorio, & consequenti ad illam celebrationem. Limitavi, dummodo &c. nam cum cantu benedictio esset solemnis, & exigeret usum Pontificalium, ex Campanil. *loc. cit. num.* 2. Pac. Jordan. &c.

95. Quæres 5. an possit licite rogatus a personis devotis in aliena diœcesi, illis benedicere sine solemnitate, & absque animo exercendi jurisdictionem? Resp. non debere talem benedictionem dare; quia id eum non posse docent Campanil. *rub.* 9. *cap.* 5. Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 467. Ugolin. *de Offic. Episc. part.* 2. *cap.* 32. Vener. *in Examin. Episcop. lib.* 4. *cap.* 17. Posse tamen absque peccato talem simplicem benedictionem dare, videtur probari ex eo, quod talis actus sine solemnitate fieret: & quamvis non sit actus solius Ordinis

dinis

dinis, sed sapiat jurisdictionem, tamen in talibus circumstantiis non præferret invasionem, seu violationem alieni territorii; siquidem ut sic & materialiter consideratus, posset etiam fieri a simplici Sacerdote. Limites, dummodo non fieret passim, & cum tanta frequentia, ut ea ratione videretur Episcopus auctoritative in alieno territorio procedere, & sic justàm præberet querelæ occasionem Ordinario. Illud pro certo habendum, non posse publice per vias Episcopum Titularem personis se se obviam dantibus benedictionem impertiri; uti constat ex Cæremoniali Episcoporum *cap.4.* favetque textus *in Cap. Abbates, adducto tit. in 6.*

96. Quæres 6. an licite possit Paramenta, & Vestes sacras, in quibus non requiritur Unctio, benedicere? Resp. præmittendo 1. quod ejusmodi benedictio pertinet ad Ordinem Episcopalem, licet vel ex consuetudine, vel ex privilegio competat aliquibus Sacerdotibus, v. g. Abbatibus &c. ut videre est apud Suarez *tom.4. de Relig.* Sylvest. *in Summa v. Benedictio*, aliosque communiter: præmittendo 2. quod ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, debent exerceri ab Episcopo cum usu Pontificalium; nam Pontificale Romanum ita præscribit per hæc verba: *Quandocumque Episcopalia agit, Episcopalibus, non Sacerdotalibus, debet esse paramentis ornatus.* His præmissis, dico 1. non posse licite eas Vestes benedicere sine licentia Ordinarii. Ratio est; quia eas benedicendo deberet esse ornatus Episcopalibus paramentis, & consequenter eas benedicendo exerceret Pontificalia:hoc autem ex Tridentino *loc.cit.* est prohibitum Episcopis in aliena diœcesi sine Diœcesani licentia: & ita docent Zerola *in Prax. Episc. part.2. verb. Episc. vers.2.* Francisc. Leo *in Thesauro Fori Eccles. part.3. cap.8. num.15.* aliique. Dico 2. si Episcopus Titularis benediceret istas Vestes privatim, sine solemnitate, & cum paramentis Sacerdotalibus, delinquere quidem contra Rubricam Pontificalis, non autem contra legem Tridentini, nec incurrere pœnam ab eo statutam. Prima pars probatur; quia in Pontificali Romano expresse decernitur, ut Episcopus sit Episcopalibus vestibus indutus, quandocumque Episcopâlia agit. Altera pars suadetur; quia in tali hypothesi non exerceret Pontificalia, quod est prohibitum a Tridentino, in aliena diœcesi sine licentia, & consequenter non incurreret pœnam ab eo statutam. Et quidem, quod non exerceret Pontificalia, mihi probatur ex eo, quia actus benedicendi Vestes, & alia quæ Unctione non indigent, cum possit fieri a simplici Sacerdote privilegiato, non videtur esse exercitium Pontificalium, nisi quando fiat cum apparatu Pontificali; ab hoc enim apparatu determinatur, ut sit exercitium Pontificalium: sicuti actus baptizandi, cum possit fieri a quocumque habente usum rationis, determinatur a solemnitate actui conjuncta, ut sit actus, seu exercitium Ordinis Sacerdotalis. Verum de hac re melius cogitent Sapientes. Illud sane advertendum, non inde inferri, quod similiter possent Episcopi in aliena diœcesi Ordines minores, primam Tonsuram conferre, Templa consecrare &c. nam latum est discrimen. Siquidem Ordines conferre, Templa consecrare, & generaliter benedicere alia quæcumque Unctione benedicuntur, pertinent stricte ac proprie ad Ordinem Episcopalem ita & taliter, ut nullo jure, aut consuetudine communi, aliis concessum

sit

sit, quam habentibus Ordinem Episcopalem, vel dignitatem quasi Episcopalem: at vero Vestes benedicere, solum reductive, ut ait Sylvester *v. Benedictio*, pertinet ad Ordinem Episcopalem; ita ut etiam nonnullis simplicibus Sacerdotibus vel ex privilegio, vel ex consuetudine id competat. Unde sequitur, quod actus primi generis, sive fiant cum apparatu Pontificali, sive absque illo, semper sint exercitium Pontificalium; secus autem actus secundi generis. Adde, quod Ordines conferre, etiam minores, etiam primam Tonsuram, directe, & non dumtaxat consecutive ratione Pontificalium, vetitum est Episcopis Titularibus in aliena diœcesi a Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. *de ref.* sicuti etiam directe vetitum est Episcopis in aliena diœcesi Templa consecrare, Chrisma conficere &c. ut colligitur *ex Cap. Quod Sedem, de offic. Ordin.* & *Cap. penult. de præscript. §. Chrisma*: at vero benedicere privatim Vestes &c. nullo alio jure videtur prohibitum, quam jure prohibente Pontificalia in aliena diœcesi, ne turbetur alterius diœcesis, ac jurisdictio: unde, seposita tali solemnitate Pontificalium, cum cesset hæc ratio, videtur etiam cessare prohibitio: quod sane non contingeret, etiam seposita tali solemnitate, in aliis memoratis actibus. Expendas in hac re Sayrum *de censur. lib.* 4. *cap.* 4. & *cap.* 16. Bonacin. *de censur. particul. susp. disp.* 3. *quæst.* 1. *part.* 12. & *quæst.* 2. *part.* 12. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. Sanchez *de matr. lib.* 3. *d.* 19.

97. Quæres 7. an Episcopus Titularis, habita licentia a Diœcesano confirmandi subditos ejusdem Diœcesani in ipsius diœcesi, possit confirmare etiam alienos subditos; & pariter, habita licentia ordinandi eosdem subditos, possit etiam alienos? Resp. videri, quod non: quia Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 2. *de refor.* prohibet Episcopis Titularibus Pontificalia officia exercere in aliena diœcesi, nisi de loci Ordinarii *expressa licentia*, & *in personas eidem Ordinario subjectas tantum &c.* Nihilominus dicendum est, quod in tali circumstantia posset Sacramentum Confirmationis ministrare etiam alienis subditis, non posset autem Ordines conferre alienis subditis sine expresso consensu, aut litteris dimissoriis Episcopi proprii ejus, qui ad Ordines est promovendus. Ratio primæ partis est; quia in tali casu præsumitur, gratum id fore Episcopo, ad cujus diœcesim illi pertinent, præsertim si id consuetudine receptum sit: hæc autem præsumptio sufficit pro licita administratione talis Sacramenti. Ita Layman *de Confir. cap.* 6. Henriquez *cap.* 6. *n.* 6. aliique. Ratio secundæ partis est; quia Tridentinum *loc. cit.* pro collatione Ordinum requirit licentiam expressam, aut litteras dimissorias proprii Episcopi.

98. Quæres 8. an Episcopus Titularis possit ante Ordinationem confirmare eum, qui ad se venit non confirmatus cum litteris dimissoriis Episcopi diœcesani pro obtinenda Ordinatione? Resp. posse, quia in tali etiam casu rationabiliter præsumitur licentia ejusdem Diœcesani; siquidem, concesso uno, censentur etiam concessa reliqua, sine quibus ad illud convenienter perveniri non potest: cum autem ad Ordines admitti non debeant, qui confirmati non sunt, sequitur &c. Ita Layman *loc. cit.* Zambran. *de Confirm. dub.* 2. *num.* 1. Henriquez *cit. cap.* 6. *num.* 6. aliique.

99. Quæ diximus non licere Episcopis Titularibus in aliena diœcesi etiam in locis exemptis &c. patiuntur exceptionem respectu Archiepiscopi Nazareni, qui

qui in territorio Barolitano habet ex Constitutione S. Pii V. Sedem fixam, in qua potest Pontificalia exercere &c. Vid. de Luca *in Annot. ad Concil. discur. 6.*

100. Item patiuntur exceptionem Episcopi Titulares, qui constituti sint Vicarii Apostolici in aliena diœcesi; ibi enim possunt exercere Pontificalia &c. At notes, quod constituti Suffraganei in aliqua diœcesi cum facultate exercendi Pontificalia de expresso consensu & licentia moderni ac pro tempore existentis Episcopi, non possunt eadem Pontificalia exercere post mortem Episcopi, Sede vacante, Capitulo non contradicente, ex decisione Sacr. Congreg. *in Vilnen.* 22. *Februarii* 1631. apud Aldan. *tit.* 8. *num.* 9. & Barbos. *in Collect. ad Conc. sess.* 6. *cap.* 5. *de reform.* Ratio fortasse est; quia Suffraganeus non datur Ecclesiæ, sed Episcopo, ex jure ordinario: Gloss. *in Cap. Quoniam, verb. Vicarium, de off. jud. ord.* ideoque secundum aliquos, mortuo Episcopo expirat Suffraganeatus, ex adductis a Fagnano *in Cap. Episcopalia, de privil. num.* 58.

CAPUT III.

Quid competat Episcopo Titulari ratione jurisdictionis: seu de jurisdictione Episcopi Titularis.

101. POtestas jurisdictionis nihil aliud est, quam potestas jus dicendi, hoc est sententiam ferendi; ut docet cum aliis Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 240. *cap.* 4. & fusius *tom.* 4. Est autem duplex: quædam in foro interiori animæ, ad absolvendum a peccatis, ad relaxandum voti, & jurisjurandi vinculum, ad dispensandum &c. quædam autem in exteriori, ad excommunicandum, ad Synodum cogendam, & ad alia judicia quæ pertinent ad gubernationem subditorum. Jam vero gravis est controversia inter Auctores, an, & quæ potestas jurisdictionis competat Episcopis Titularibus? Non desunt qui negent, ullam his jurisdictionem competere. Ita Michael Medina, qui inde infert, Episcopos differre a Sacerdotibus, non potestate jurisdictionis, sed tantum Ordinis. Sunt etiam qui putent, ejusmodi Episcopis competere jurisdictionem proximam, non remotam, super illas civitates, super quas constituuntur Episcopi; siquidem habent potestatem ad gubernandas illas, si convertantur ad Fidem, eaque in tali casu poneretur in executione, nulla facta mutatione ex parte ipsius Episcopi. Ita Diana *coord. tom.* 4. *tr.* 8. *resol.* 77. Demum quamplures citati, at innominati a de Lugo *in Resp. mor. sæpius cit.* docent, Episcopos Titulares habere jurisdictionem habitu, non autem actu; idest, ut ipse Cardinalis explicat, eos habere potentiam ad habendam jurisdictionem, si dentur subditi; quorum defectu, eam actu non habent. Rem totam per varias quæstiones expediam.

102. Quæres 1. an Episcopus Titularis habeat jurisdictionem in suo Episcopatu? Resp. habere; deesse tamen materiam habilem, & idoneam applicatam, in quam eam exerceat. Ita Vasquez *tom.* 3. *in.* 3. *p. disp.* 240. *cap.* 4. Ut hoc probem, sciendum est, in qualibet jurisdictione in aliquem duo reperiri: alterum est ipsa potestas activa jus dicendi: alterum est applicatio materiæ, & subditi, in quem hæc potestas activa possit dicere sententiam. Prius convenit

cuilibet Episcopo jure Divino ratione suæ Ordinationis: posterius convenit etiam illis jure Divino, sed dependenter ab Ecclesiæ Summo Pastore, cujus nutu dividuntur diœceses, & subditi designantur, ex Vasquez *ibidem*. Hinc fit, quod, quando aliquis habet solam potestatem activam jus dicendi, dicitur habere jurisdictionem, sed incompletam: quando vero habet tum potestatem activam jus dicendi, tum applicationem materiæ, & subditos in quos jus dicat, dicitur habere jurisdictionem completam.

103. Hoc posito, probo, Episcopos Titulares habere jurisdictionem: nam ipsi, ut supra diximus, sunt vere Episcopi, & habent verum Ordinem, & characterem Episcopalem: ergo habent eam potestatem activam jus dicendi, quæ cuilibet Episcopo competit jure Divino ratione suæ Ordinationis & characteris: cum autem hæc potestas sit jurisdictio; sequitur, quod vere habeant jurisdictionem. Esto autem, ut sic præcise talis potestas, sit jurisdictio incompleta, tamen est vere substantialis jurisdictio.

104. Probo deinde, Episcopis Titularibus deesse materiam habilem applicatam, & subditos in quos jus dicant: nam quamvis illi habeant populum & diœcesim sibi a Romano Pontifice assignatam; tamen vel talis populus est totus non baptizatus, & sic non est subjectum capax, in quod potestas Ecclesiastica jus dicat, siquidem talis populus non esset membrum Ecclesiæ ut Ecclesia est, nec haberet fundamentum subjectionis strictæ ad Ecclesiasticam jurisdictionem, *ex Cap. Gaudemus, de divortiis*, Suarez *de leg. lib.4. cap.*19. Castropalao *de leg. punct.*14. §.2. aliique: vel talis populus est totus Christianus schismaticus, aut hæreticus (in quo casu non datur illi regulariter Episcopus Titularis juxta praxim Romanæ Curiæ); & sic quamvis talis populus retineat characterem Baptismi, quod est fundamentum subjectionis ad Ecclesiasticam jurisdictionem, quamvis secundum præsentem statum non sit absolute membrum Ecclesiæ, tamen est subjectum capax, in quod potestas Ecclesiastica jus dicat; atque in hypothesi quod illi daretur Episcopus Titularis, & simul, ut fieri solet, eximeretur talis Episcopus ab obligatione residendi, crederem, quod Romanus Pontifex sibi actualem curam, & immediatam in illum gubernationem spiritualem reservaret: unde non haberet Episcopus Titularis materiam habilem applicatam, & actuales subditos, in quos jus diceret: vel demum talis populus est secundum aliquam sui partem Catholicus, ex eo v. g. quod in ea civitate Infideli commorentur aliqui Catholici, uti contingit v. g. Constantinopoli &c. & tunc vel essent ritus Græci, aut Maronitici &c. tales Catholici, vel essent ritus Latini: si primum, subessent suis respective Patriarchis, vel Episcopis, nec in eos Episcopus Latinus Titularis, aut residentialis, posset jus dicere, ex Constitutione Leonis X. & Clementis VII. *Provisionis &c.* si secundum, censuere nonnulli, quod possit Episcopus Titularis in eos jus dicere, seu actualem jurisdictionem exercere. Ita Hallier *loco supra citato cap.*2. ac de Lugo *in Resp. moral. lib.*5. *dub.*15. *num.*2. ubi ait: *Episcopus Titularis licet de facto non habeat subditos, quia in civitate sui Tituli omnes sunt Infideles; re tamen ipsa jus habet ad exercendam jurisdictionem in illos, si fiant Fideles, vel in alios Fideles, qui illuc de novo venerint.*

105. Ve-

105. Verum existimo, non posse Episcopum Titularem in eos Catholicos actualem jurisdictionem exercere; quia, quamdiu ea civitas est sub potestate Infidelium, nec habet Episcopum residentialem, actualis cura Catholicorum Latinorum ibi degentium reservata est Sedi Apostolicæ, quæ mediate, vel immediate eos regit. Ita colligitur *ex Cap. Quam sit laudabile, de Judæis*, ex Constitutione Gregorii XV. *Inscrutabili &c.* & ex praxi.

106. Ex dictis habes 1. quod Episcopi Titulares habent veram potestatem activam v. g. ad excommunicandum, ad dispensandum &c. ideo autem excommunicare, aut dispensare &c. non possunt, quia subditam materiam, & idoneam nondum habent. Cæterum simul atque in suam civitatem, ad quam sunt ordinati, admitterentur, & delegatus Apostolicus ab ejus gubernatione removeretur, possent absque ulla alia concessione Pontificis, & nulla facta mutatione ex parte ipsorum Episcoporum, Christianos subditos excommunicare, & judicare. Atque idcirco non improprie fortasse dixit Diana *loc.cit.* eos non solum habere jurisdictionem, sed jurisdictionem proximam. Habes 2. quod Episcopi Titulares differunt ab aliis Sacerdotibus non solum potestate Ordinis, sed etiam potestate jurisdictionis: item eos habere populum, & diœcesim, quam si adirent Evangelium prædicaturi, id facerent ex officio; & dummodo ibi non præesset delegatus aliquis Apostolicus, nec Sedes Apostolica actualem curam retineret, possent Pontificalia, & alia jurisdictionalia ibidem exercere.

107. Quæres 2. an Episcopi Titulares habeant jurisdictionem completam in suos familiares saltem in foro interiori animæ, ita ut possint eos a peccatis absolvere, vel eorum Confessarium approbare? Resp. videri, quod sic: quia sicuti Cardinales, ex Diana *p.11. tract.4. res.13.* sunt veluti Episcopi, & Parochi suæ familiæ, ideoque possunt dare licentiam suo familiari, ut is eligat sibi in Confessarium Sacerdotem etiam non approbatum ab Ordinario; ita videntur Episcopi Titulares esse veluti proprii Episcopi suorum familiarium, & consequenter posse approbare eorum Confessarium. Nihilominus dicendum est, quod non. Ita colligitur ex Suarez *de Pœnit. disp.26. sect.2.* Ratio est; quia, juxta talem Auctorem, ex una parte familiares Episcoporum habent proprium Sacerdotem ordinarium juxta jus commune; ex alia vero parte Episcopi Titulares non possunt, sicuti Episcopi residentiales, eximere familiam suam ab ordinaria Parochorum cura, nec ullibi reperitur in jure, quod ipsi sint Parochi, & Pastores suorum familiarium. Neque obstat, quod Cardinales id possint, ex Diana *loc. cit.* & de Lugo *de Pœnit. disp.19. sect.1.* Pasqualigo, Hurtado &c. nam pro Cardinalibus stat consuetudo, quæ non stat pro Episcopis Titularibus. Quod autem pro Cardinalibus stet consuetudo, asseritur a Cajetano, de Lugo, Diana, aliisque. Quo ad forum vero exterius, quamvis familiares Episcopi Titularis pertineant ad forum Ecclesiasticum (gaudent enim privilegio fori, ut infra dicam), tamen non sunt conveniendi coram Episcopo Titulari, sed coram illo Judice Ecclesiastico, cui subjiciuntur ratione vel domicilii, vel delicti, vel contractus, vel rei sitæ: nullum enim in jure extat privilegium, quo tales familiares eximantur a jurisdictione ejus Judicis Ecclesiastici, in cujus alias territorio existunt, vel delinquunt, vel contrahunt &c.

108. Quæres 3. an Episcopus Titularis possit audire Confessionem ejus Christiani, qui stabiliter habitans in civitate, cujus ipse habet Titulum, v. g. Constantinopoli, hospes advenit in has nostras regiones? Resp. per se loquendo, posse; per accidens autem non posse. Prima pars probatur; quia in hypothesi, quod talis Christianus sit vere hic hospes, & brevi rediturus sit Constantinopolim, est per se subditus Episcopi Constantinopolitani quo ad forum animæ, ex textu *in Cap. Is qui, de sepulturis, in 6.* & late *Sanchez lib. 3. de matr. num.* 23. Tamburin. *de Pœnit. lib. 5. cap. 4. §. 3. num.* 10. Episcopus autem potest audire Confessionem sui subditi, non solum in sua diœcesi, sed ubique terrarum, ex Suarez, Coninch, aliisque apud Mendum *in Epit. v. Confessio num.* 23. Secunda pars probatur; quia Catholici degentes inter Infideles, nec habentes Episcopum residentialem, si sint ritus Latini, subsunt actualiter & privative in Divinis curæ vel immediatæ, vel mediatæ Sedis Apostolicæ, quæ vel per se, vel per suos delegatos sive temporaneos, sive perpetuos, eos regit; unde solum cura habitualis est apud Episcopum Titularem: & consequenter Episcopi Titulares non possunt super tales Christianos exercere jurisdictionem, juxta superius dicta *quæst.* 1. neque illos absolvere; siquidem non sunt actualiter, sed solum habitualiter proprii eorum Pastores. Vid. Layman *cap. 3. de Vicar. num.* 2. Azor. *tom. 2. lib. 3. cap. 6. quæst.* 2. Rebuffus *in Prax. part. 1. tit. de Vicar. perpet. num.* 1.

109. Quæres 4. an idem Episcopus possit approbare Sacerdotem aliquem nostratem ad audiendas Confessiones ejus Christiani sui subditi, commorantis in his nostris regionibus ad breve tempus? Resp. non posse, etiam in hypothesi quod, nullo existente Constantinopoli Vicario Apostolico, vel alio delegato Apostolico exercente actualem jurisdictionem, vere ille Christianus esset actualis subditus Episcopi Titularis. Ita ex Card. de Lugo *disp. 21. de Pœnit. num.* 37. & *in Resp. moral. lib. 1. dub.* 17. Ratio est; quia Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci, ex de Lugo, Navarro, & Barbosa: in casu autem Sacerdos non approbaretur ab Ordinario loci. Non desunt tamen, qui contrarium sentiant; ut videre est apud Tamburinum *de Pœnit. cap. 5.* quorum sententiam non habere locum crediderim post Constitutionem Clementis X. *Superna*: hæc siquidem Constitutio licet expresse solum loquatur de Confessariis Regularibus, tamen notat Cardenas *num.* 271. quod cum hæc declaret, approbationem Ordinarii loci necessariam esse pro Regulari, facile a paritate rationis idem colligendum sit pro sæculari.

110. Quæres 5. an possit valide, & licite assistere matrimonio ejusdem sui subditi commorantis ad breve tempus in nostris regionibus, ac redituri ad civitatem Infidelem? Resp. 1. posse valide. Ratio est; quia ipse est per se ac directe proprius Pastor, ac supremus Parochus diœcesanus unius ex contrahentibus (esto non habeat illius curam actualem); unde per ejus præsentiam satisfieret Tridentino exigenti præsentiam Parochi. Neque obstat, quod talis Episcopus esset extra suum Episcopatum; nam hoc non tollit, quod ipse in casu sit illius contrahentis proprius Episcopus: Sanchez *lib. 3. disp.* 21. Item neque obstat, quod fortasse vel ob existentiam Vicarii Apostolici in sua civitate, vel

vel ob aliam causam nequeat exercere jurisdictionem: nam adhuc est, ac retinet Titulum Episcopi talis loci, & assistere matrimonio non est actus jurisdictionis. Vid. Sanchez *lib.3. de matrim. disp.21.* Castrop. *disp.2.part.13. §.9.* Leand. *disp.7. de matrim.quæst.16.* item Sanchez *lib.3. disp.19.* contra Navarrum, Pontium, aliosque. Resp. 2. non posse licite matrimonio assistere. Ita colligitur ex Sanchez *loc.cit. lib.3. disp.27. quæst.3. num.10.* Ratio est; quia sicuti, existente in Parochia Vicario perpetuo, constituto ab Episcopo, nequit licite Parochus assistere matrimonio sui parochiani, siquidem, cura actuali Vicario commissa, non debet principalis se in Divinorum administrationem ingerere, ex Layman, Azorio, aliisque supra citatis; ita, cum penes Sedem Apostolicam, ejusque delegatos reservata sit cura actualis talium Catholicorum existentium inter Infideles, sequitur, non posse Episcopum Titularem licite matrimonio assistere.

111. Hinc etiam inferes, non posse propter eamdem rationem ordinare, vel dare litteras dimissorias pro ordinando illum, qui natus ac baptizatus esset, vel haberet domicilium in civitate sui Tituli.

112. Quæres 6. an possit approbare Reliquias Sancti canonizati? Resp. posse, si vel scriptura, vel instrumento publico, vel aliunde certo moraliter constet, eas esse Sancti canonizati, vel beatificati: & quidem censeo, posse, quamvis extra suam diœcesim existat, absque aliqua Episcopi diœcesani licentia, eam approbationem facere. Ratio est; quia ipse est vere Episcopus, cujus auctoritatem in hac re exigit Tridentinum *sess.25.* & talis actus approbandi non pertinet ad jurisdictionem contentiosam, sed voluntariam, quæ exerceri potest in alieno territorio, ex Barbosa *alleg.97.* ubi citat Sanchez, aliosque, & constat ex praxi; nam Romæ Episcopi Titulares approbant Reliquias Sanctorum canonizatorum, quamvis ob reverentiam debitam Summo Pontifici non subscribant *Datum Romæ*, nisi cum addito *extra Portam Flaminiam*, vel *Aureliam* &c. Notes tamen, quod eæ Reliquiæ approbatæ per litteras authenticas hujus, vel alterius Episcopi, non possunt publicæ venerationi exponi, nisi fuerint recognitæ ab Episcopo loci, ubi debent exponi, ex Sanchez. *l.2. mor. cap.43. num.18.* aliisque.

113. Quæres 7. an possit, ac debeat examinare eos, quos de licentia Episcopi diœcesani, ejusque commissione, ad sacros Ordines promoturus est? Resp. cum distinctione: vel promovendus, fuit a proprio Episcopo examinatus, vel non. Si fuit examinatus, habet quidem Episcopus Titularis jus integrum iterum illum examinandi, quia potest velle cognoscere, cuinam Ordines conferat; non tamen habet obligationem examinandi (quidquid in contrarium censeat Barbosa), quia Tridentinum dicens, neminem esse ab alieno ordinandum, nisi prævio examine, non tollit, examen posse fieri per alium, nec tollit, Episcopum ordinantem, approbando examen ab alio factum, censeri examinasse per illum alium Episcopum tanquam per suum Examinatorem. Ita Tamburin. *de Ord. cap.9.* Si vero non fuit examinatus, debet Episcopus Titularis promovendum examinare, nisi notorie constet de qualitatibus requisitis. Ratio est; quia Trident. *sess.23. de ref. cap.5. & 7.* præcipit tale examen,

men, & Episcopus peccaret mortaliter, si ordinaret scienter indignum, idest non habentem sufficientiam scientiæ, & bonitatis, quia infideliter in re gravissima ageret officium dispensatoris: S. Thomas *in 4. dist.24. quæst.1. art.3. quæstiunc.4.* Sanchez *in opusc. mor. lib.7. cap.1. dub.46.* Limitavi, nisi notorie constet &c. nam examen in notorie litterato non requiritur, ut multis probat Aloysius Riccius *resol.191.* apud Barbosam *part.3. de Potestate Episcopi alleg.72.* Limites etiam, nisi Summus Pontifex alicui concesserit post Tridentini decretum, ut absque examine promoveatur.

114. Dices: Episcopus Titularis non est in suo territorio, & consequenter nequit exercere actum jurisdictionis, qualis est actus examinandi; unde, nisi illi detur ad hoc specialis facultas ab Episcopo diœcesano, nequit ipse examinare promovendos ad Ordines? Resp. actum examinandi pro exploranda scientia, & qualitatibus requisitis ad sacros Ordines, vel non esse actum jurisdictionis, vel certe, cum nullum ordinarium juris processum, neque Judicem pro tribunali sedentem requirat, esse actum meræ jurisdictionis voluntariæ, quæ præsertim si privatim exerceatur in alieno territorio, nullam infert injuriam Episcopo diœcesano. Vid. Layman *de leg. cap.5. num.4. &c.*

115. Quæres 8. an possit mittere Concionatores, & Missionarios ad suam civitatem Infidelem, ut loco ipsius annuncient ibi Evangelium? ℟. per se loquendo, posse; per accidens autem non posse. Prima pars probatur; quia, cum ipse sit verus Episcopus ac Pastor illius determinati territorii, seu diœcesis, ad illum pertinet cura disseminandi & plantandi Fidem intra limites talis diœcesis, seu territorii; ac proinde ipse per se potest illuc mittere Prædicatores, & Doctores. Vid. Suarez *de Fide disp. 18. sect. 1. num. 6.* aliosque, & Bullam talium Episcoporum.

116. Altera pars probatur; quia, uti extat apud Ricciullum *lib.5. lucubrat. Eccles. cap. 8. num. 1.* missio Prædicatorum Apostolicorum ad gentes a Religione aberrantes fit tantum auctoritate Sedis Apostolicæ, *ex Cap. Quam sit laudabile, de Judæis*, aliisque juribus recentioribus: imo existimat idem Ricciullus, dispositionem *in Cap. Quam sit laudabile*, procedere, etiamsi ipsi Episcopi ad prædicandum gentibus velint accedere; ut infert ex verbis ejusdem Capitis: *Tuis Frater Episcope petitionibus &c.* unde neque ipsi Episcopi sine facultate Sedis Apostolicæ possent ire. Videatur hac de re, si lubet, Verricelli *de Sac. Apost. Mission. quæst. 94. &c.*

117. Quæres 9. an Episcopus Titularis possit conferre Indulgentias? ℟. remissive ad superius dicta.

118. Quæres 10. an Episcopi Titulares possint, ac debeant vocari ad Concilia generalia, & an habeant in illis suffragium decisivum? ℟. Gravissima, & valde implexa est hæc quæstio; unde nihil ferme de meo proferam; imo quidquid dixero, hypothetice potius, quam cathegorice, dictum velim: graves enim undique me circumstant difficultates, quas certe non sum enodando. Propterea referendo quasi historice probatiorum mihi Auctorum sententias, ajo, posse vocari ad Concilia, & in casu quo vocentur, habere suffragium decisivum, non tamen esse per se necessarium ut vocentur. Ita eximius

mius Suarez *de Fid. disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 18. quem sequuntur Plettemberg *cap.* 13. *num.* 5. Schmalzgrueber *de Conc. quaest. 6.* aliique. Prima pars probatur; quia omnes illi & soli a Conciliis generalibus de jure excluduntur tanquam Judices, qui vel sunt laici, vel, si sint Ecclesiastici, non sunt tamen nec Episcopi, nec privilegio ullo sive a jure scripto, sive a consuetudine muniti: ut constat *ex Act.* 1. Concilii Chalcedonensis, Patribus, & rationibus apud Bellarm. *de Conc. lib.* 1. *cap.* 15. Cum autem Episcopi Titulares sint veri Episcopi, sequitur, quod de jure non excludantur ab interessendo Conciliis tanquam Judices, ideoque possint ad ea vocari a Pontifice sine dispensatione.

119. Altera pars probatur; quia in casu quo Episcopi Titulares vocarentur a Pontifice ad Concilia, ipsi interessent uti veri Episcopi Ordine, & dignitate, ac praeterea interessent ut habentes subditos omnes Christifideles, quos illis simul cum aliis congregatis tanquam Conjudicibus subjiceret Pontifex: uti docet Jacobat. *de Conc. lib.* 2. *art.* 2. §. *Sed de praedict. conclus.* Atqui omnes Episcopi habentes actualiter subditos, in quos jus dicant, habent suffragium decisivum in Conciliis, ut fuse probant Bellarm. *loc. cit.* & Suarez *de Fide loc. pariter cit.* Ergo &c.

120. Hinc non assentior Cano *lib.* 5. *de loc. cap.* 2. qui putat, Episcopos Titulares non esse vocandos ad Concilia, nec habere jus decisivum, quia carent subditis, in quos jus dicant praecipiendo, judicando, definiendo &c. seu, ut ipsius verbis utar, quia *jurisdictionis potestate, Concilii negotium transigitur, qua ipsi actualiter carent*: nam, admisso hoc, quod negotium praecipiendi &c. in Conciliis transigatur potestate jurisdictionis, non proinde deducitur, Episcopos Titulares non habere jus praecipiendi &c. quasi careant potestate jurisdictionis; siquidem ratione suae Ordinationis, ut supra diximus, habent jure Divino potestatem activam jus dicendi, praecipiendi, definiendi, excommunicandi &c. & solum illis deest applicatio materiae, & subditorum, in quos talem potestatem exerceant. Haec autem applicatio respectu ipsorum fieret a Romano Pontifice, quando ipsius jussu in Concilium convenirent; tunc enim illis simul cum aliis congregatis Romanus Pontifex subjiceret tanquam Judicibus Fidei, & morum, omnes Christifideles: & ita docet Jacobat. *de Concil. loco supra citato*.

121. Jam vero tertia pars, nempe quod non sit per se necessarium, ut tales Episcopi ad Concilia vocentur, probatur ex consuetudine Ecclesiae; nam ex Suarez *de Fide disp.* 11. *sect.* 1. *usus Ecclesiae habet, ut tales Episcopi non vocentur ad Concilia generalia*: & Cardinalis de Lugo *lib.* 5. *Resp. moral. dub.* 15. idem confirmat per haec verba: *Usus videtur esse, ut non vocentur*. Profecto nec in Lateranensi ultimo, nec in Tridentino, quamvis tunc temporis plures essent ejusmodi Episcopi Titulares, ullus eorum interfuit nomine proprio ac solo sui Titularis Episcopatus; nam Antonius Helius Patriarcha Hierosolymitanus erat simul Episcopus Polen. in Istria: unde scripsit Cardinalis de Lugo *loc. cit. In serie Episcoporum, qui interfuerunt Concilio Tridentino, quae habetur post idem Concilium, non invenio nomina ullorum Episcoporum Titularium*. Quamvis autem tum Canus, tum Azorius, tum Ricciullus affirment, aliquando

do admissos esse ad Concilia, imo solere admitti Patriarchas Titulares, nihil officit: nam, quod unus, vel alter fuerit admissus a Romano Pontifice, & quod soleant Patriarchæ admitti, probat quidem, posse Episcopos Titulares vocari; at non probat, usum Ecclesiæ esse, ut absolute ejusmodi Episcopi ad Concilia vocentur: siquidem, exceptis paucis, in quibus fortasse est specialis ratio, cæteri omnes non vocantur.

122. Deinde confirmatur id ipsum argumento. Nam omnes illi, & soli Episcopi per se necessario vocandi sunt ad Concilium generale, qui habent populum Christianum sibi subjectum, & qui sunt actualiter Judices Fidei, & morum: ex Suarez *loc. cit. sect.* 2. Azor. *tit.* 2. *lib.* 5. *cap.* 11. Cum autem Episcopi Titulares propter defectum actualium subditorum (nisi isti dentur illis a Pontifice) non sint actuales Judices Fidei, & morum, sequitur, quod non sint per se necessario vocandi. Assumptum in majori propositione suadetur; quia omnes & soli Episcopi habentes subditos, seu populum Christianum sibi subjectum, possunt suam potestatem præcipiendi, judicandi, anathematizandi &c. exercere per se, & independenter a privilegio: unde, cum generale Concilium requirat actualiter potentes præcipere, prohibere, judicare &c. & quidem taliter, ut decreta, præcepta, judicia &c. afficiant totum Christianum orbem, fit, ut omnes & soli Episcopi habentes actuales subditos, per se necessario vocandi sint ad Concilium generale, esto non omnes opus sit ut de facto intersint; uti videre est apud Bellarminum, & Suarez *loc. cit.* Ex quibus omnibus habes, non oportere, tales Episcopos ad Concilia vocari, quamvis ex auctoritate Romani Pontificis possint vocari. Vid. hac super quæstione Ricciull. *de Episcopo Tit. par.* 2. *cap.* 6. ubi refutat M. Antonium de Dominis. Vid. etiam Hieronym. Willelm. *par.* 2. *de Episcopo Tit.* Jacobat. *de Conc. lib.* 2. *art.* 2. Azor. *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 11. Suarez *de Fide loc. cit. &c.*

FINIS SECUNDÆ PARTIS.



PARS

PARS TERTIA

DE PRÆEMINENTIALIBUS EPISCOPORUM TITULARIUM: SEU QUID ILLIS COMPETAT RATIONE DIGNITATIS.

CAPUT UNICUM.

§. I.

123. Atione dignitatis Episcopo convenire dicuntur ea, in quibus nec Episcopalis Ordo, nec ulla proprie jurisdictio exercetur, sed sunt potius quædam signa honoris, aut præeminentialia dignitatis Episcopalis. Hæc autem competunt etiam Episcopis Titularibus, quamvis aliquam in iis patiantur limitationem ratione loci, temporum &c. Proinde sicut alii Episcopi, ita etiam Titulares, statim ac sunt electi, eximuntur a patria potestate ex Lege Canonica, & Civili: *Cap. Per venerabilem*, *Qui filii sint legit.* *Auth. Sed Episcopalis dignitas*, *Cod. de Episc. & Cler. lib.* 14. *tit.*8. *par.*4. apud Barbosam *de Jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 12. Squillant. *de Privil. Episcop. par.* 3. *cap.* 11. Hoc autem intelligendum est, sicuti in aliis Episcopis, habito respectu ad commodum, & non ad incommodum, & sic ad sui utilitatem, non in præjudicium: Naldus *verb. Episc.* Genuens. *in Pract. Eccles. quæst.*37. Barbosa *de Jure Eccl. loc. cit.* Item efficiuntur nobiles, & dicuntur personæ illustres: Abbas *in Cap. Cum causam*, *de juram. calum.* Genuens. *in Praxi cap.* 57. Barbosa *de Potestate Episcopi part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. Item, ut jam supra diximus, non subsunt Episcopo diœcesano, in cujus diœcesi commorantur, quo ad Ecclesiasticam voluntariam jurisdictionem, sed immediate Summo Pontifici.

124. Quo ad jurisdictionem vero contentiosam, seu quo ad forum competens, dicendum est, ejusmodi Titulares Episcopos in causis criminalibus majoribus, quæ depositionem merentur, aut privationem, & aliis magis arduis, si conveniantur, conveniendos esse coram Summo Pontifice, juxta Tridentinum *sess.*24. *de ref. cap.*5. Hæc siquidem Synodalis constitutio habet locum etiam respectu Episcopi Titularis, ex Ricciull. *lucub.*2. *cap.*10. Simanca *de Cathol. Instit. tit.*25. *num.*12.

125. Dubium tamen esse potest in causis minoribus criminalibus; nam Tridentinum *loc.cit.* vult, ut ejusmodi Episcoporum causæ cognoscantur, & terminentur tantum a Concilio Provinciali, vel a deputandis per Concilium Provinciale: cum autem Episcopi Titulares nequeant ob Infidelium tyrannidem habere Concilia Provincialia apud suos respective Archiepiscopos, qui

plerumque sint etiam ipsi mere Titulares, videntur non habere de facto forum competens in his causis.

126. Pro quo dicendum est, idem juris procedere cum his Episcopis, ac cum aliis Episcopis residentialibus; quorum causæ minores possunt quidem cognosci a Concilio Provinciali, sed aliam etiam habent provisionem a Summo Pontifice. Unde sicuti relate ad alios Episcopos in his causis fit recursus ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, quæ post receptas informationes, &, si res postulet judicium, facto verbo cum Sanctissimo, vel causam committit Episcopo viciniori; vel Auditori Cameræ v. g. injungit, ut Commissarium deputet, ex de Luca *in Relat. Cur. disc.16. &c.* ita relate ad Episcopos Titulares recurrendum est ad eamdem Sacram Congregationem, quæ pariformiter rem conficiet.

127. Notetur autem, quod Tridentinum *sess.7. cap.14. de ref.* vult, ut *quomodolibet exempti in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum &c.* coram locorum Ordinariis tanquam a Sede Apostolica delegatis conveniantur &c. Hæc autem dispositio fortasse habet locum etiam respectu Episcoporum Titularium:nam licet id videatur negare Anna *in suis Observ. observ.17.* ex eo quod Episcopi non comprehenduntur in generali dispositione; tamen, cum ejusmodi causæ sint civiles, & modici momenti, censerem, de iis posse conveniri Episcopos Titulares apud Ordinarium, propter allegata a Riccio *part.4. res.496.*

128. Notetur etiam, quod in iis, quæ pertinent ad jurisdictionem voluntariam, possunt probabiliter Episcopi Titulares ex tacita licentia Summi Pontificis se subjicere Ordinario ejus diœcesis, in qua degunt. Ita colligitur ex Sylvestro *v. Absolut.5.* Sanchez *lib.4. mor. cap.39. num.32.* Layman *in Cap.Significasti, de for.comp.* Pirh. *de for.comp.num.197.* Wiestner *n.218.&c.* Unde possunt ad eum recurrere pro petenda dispensatione in votis, juramentis, irregularitatibus, legibus jejuniorum &c. Ratio est; quia exemptionis privilegium, seu immediata eorum subjectio Summo Pontifici, cum sit in favorem talium Episcoporum, non videtur æquum, nec conforme intentioni Summorum Pontificum, ut ea in eorumdem dispendium cedat, contra regulam juris 61. *in 6.* Id autem fieret, si propter immediatam subjectionem Summo Pontifici, quam habent tales Episcopi, non possent ipsi in locis, ubi degunt, recurrere ad Diœcesanum pro ejusmodi dispensationibus, absolutionibus &c. Nam licet, ut infra dicam, possint in multis secum dispensare; tamen alicui, ad tollendos scrupulos, opportunum erit habere talem recursum.

129. Notetur etiam, quod Episcopus Titularis Canonicus subest visitationi Ordinarii, ut infra dicam, ex decreto Sacræ Congregationis, sicuti etiam infra de causis Fidei relate ad jurisdictionem Episcopi actualis &c.

130. Dubitabis, an Episcopus Titularis sit talis præeminentiæ, ut decore possit componi cum Cardinalatu; ita ut assumptus ad Cardinalatum, decore retineat Episcopatum Titularem, vel etiam de novo suscipiat Episcopatum Titularem? Resp. Hæc quæstio alibi locum habebat, nempe *Part.1. cap.5.* sed, quia de hac nuper interrogatus fui, idcirco hic eam propono. Et quidem

dem videtur, quod non: 1. ex praxi, quia assumpti ad Cardinalatum, solent dimittere Ecclesiam Titularem, quam præhabuerant, nec facile est reperire Cardinalem qui post Cardinalatum susceperit Episcopatum Titularem: 2. ex ratione; quia Cardinalatus dignitati & gradui ex Constitutione Sixti V. incipiente *Sanctissimus*, sub *die* 16. *Martii* 1588. videntur repugnare quædam dignitates etiam perhonorificæ, quales sunt Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus &c. ergo etiam Episcopatus Titularis, qui licet ratione Ordinis sit amplissimus, tamen ratione aliarum prærogativarum videtur nonnullis ex prædictis dignitatibus inferior: 3. quia, esto olim Cardinalatus esset gradus ad Episcopatum, nunc tamen Episcopatus est gradus ad Cardinalatum, ex Bellarmino *de Cleric. lib.* 1. *cap.* 16. unde videtur minus decorum ex Cardinalatu gradum facere ad Episcopatum Titularem: 4. quia Episcopi Titulares fiunt, ut suffragentur aliis Episcopis: dedecet autem, Cardinalem suffragari Episcopis.

131. Nihilominus, salvo omni meliori judicio, crediderim, Cardinalatum decore, ac sine Eminentissimi ejus gradus diminutione, posse componi cum tali Episcopatu. Probo hoc a posteriori, & a priori. Et primo a posteriori; quia de facto per assumptionem Episcopi Titularis ad Cardinalatum non vacat ipso jure Episcopatus Titularis, sed Papa interponit decretum de vacatione talis Episcopatus; ut superioribus temporibus observavi factum in assumptione ad Cardinalatum Patriarchæ Constantinopolitani. Si autem talis Episcopatus repugnaret dignitati & gradui Cardinalatus, ipso jure vacaret ex Constitutione, seu Decreto Consistoriali Sixti V. incipiente *Sanctissimus*, sub *die* 16. *Martii* 1588. Deinde a priori; quia repugnantia esset ex parte vel Ordinis, vel dignitatis, vel officii: non est autem ex parte Ordinis; siquidem Ordo Episcopalis amplissimus est; ita ut ratione Ordinis major sit Episcopus Presbytero, vel Diacono Cardinali, ex communi apud Bellarmin. *de Clericis cap.* 16. non ex parte dignitatis; nam licet hodie major sit dignitas Cardinalitia, quam Episcopalis, ex epistola Eugenii IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem apud Dianam *part.* 4. *tr.* 2. *resol.* 1. aliisque juribus, ita ut, teste Plato *de Card. cap.* 4. Episcopi assumpti ad Cardinalatum, quibusdam temporibus deponerent nomen Episcopi, & perpetuos se talium Ecclesiarum Administratores appellarent, tamen hodie passim videmus, conjungi has duas dignitates, ac Presbyteros Cardinales vocari etiam Episcopos sive Anconitanos, sive Viterbienses &c. imo videmus, Archiepiscopos Titulares, assumptos ad Cardinalatum, retinere dignitatem ac nomen Archiepiscopi, licet renunciaverint loco ac Titulo: non demum ex parte officii; nam exercere Pontificalia (quod videtur hodie officium talium Episcoporum) est de se res maxime perhonorifica, exigens personam & locum augustiorem: exercere vero Pontificalia pro altero, seu vice alterius, aut de illius licentia, neque hoc videtur simpliciter & absolute minus decorum Cardinalibus; nam ille alter, pro quo, & de cujus licentia exercentur Pontificalia, posset esse ipse Summus Pontifex.

132. Neque obstant rationes in contrarium. Non 1. quia licet praxis doceat, assumptos ad Cardinalatum dimittere Titulum Ecclesiæ in partibus, quam præhabuerant; tamen ex hoc non colligitur, talem Titulum esse illis

 minus

minus decorum, sed ad summum esse superfluum: siquidem omnis cohonestatio ex illo proveniens, abunde habetur per ipsum Cardinalatum. Addas, reperiri, qui in Cardinalatu Titulum Ecclesiæ in partibus sibi delatum acceptarint; nam, uti extat apud Spondanum *ad ann.* 1463. Isidorus Ruthenus Card. Episcopus Sabinen. & Sacri Collegii Decanus, gerebat Titulum Patriarchæ Constantinopolitani, cui defuncto Pius II. in eodem Titulo Bessarionem Cardinalem Tusculanum suffecit *. Non 2. quia licet ex præcitato Decreto Sixti V. non congruant Cardinalatui quædam dignitates, quæ, attenta prærogativa redditUUM, & actuali exercitio jurisdictionis, videntur quo ad hoc majores Episcopatu Titulari; tamen ideo hoc est, quia constitutus in talibus dignitatibus, v. g. in aliquo Archipresbyteratu alicujus Cathedralis, debet residere in Choro, & habere locum post Episcopum, Cardinali non convenientem: cum autem talis inconvenientia non sit in Episcopatu Titulari, non est, cur dedeceat: & de facto Archipresbyteratus Basilicarum Urbis, qui non important tale incommodum, componuntur cum Cardinalatu. Non 3. quia in hypothesi non fieret gradus a Cardinalatu ad Episcopatum Titularem, sed Cardinalitiæ dignitati superadderetur dignitas Episcopatus Titularis, seu cum illa conjungeretur; sicuti quando Cardinalis fit Archipresbyter Basilicæ, non fit gradus a Cardinalatu ad Archipresbyteratum. Non 4. quia diximus, plures esse causas finales, ob quas fiunt, & possunt fieri Episcopi Titulares: unde non est necesse, quod fiant ad suffragandum aliis, sed possent fieri, ut haberent characterem, & dignitatem Episcopalem requisitam ad exercendum munus aliquod apud Summum Pontificem.

133. Demum iisdem Titularibus Episcopis competunt præeminentiæ quædam, seu cæremonialia quo ad vestem, sessionem, associationem, titulos &c. quæ cum aliæ aliis in locis sint, & aliæ aliis in officiis, ac personis talium Episcoporum, dispiciam, quænam illis competant ex his

134. I. ubique: II. quæ Romæ, seu in Curia: III. quæ in aliena diœcesi: IV. quæ Episcopo Suffraganeo: V. quæ Episcopo Canonico: VI. quæ tandem Episcopo Titulari Regulari.

§. II.

Quænam præeminentiæ competant ubique Episcopis Titularibus.

135. Ubicumque terrarum extiterit Episcopus Titularis, jus habet quo ad vestitum, & ornatum, deferendi galerum nigrum laneum viridi serico ornatum cum cordulis, ac floccis coloris viridis: item induendi vestes talares violaceas cum Rocheto, & Mantelletto pariter violaceo, non autem Mozzettam, quæ jurisdictionem ordinariam præseferat, nisi fuerit Regularis

* Videatur Epistola Benedicti XIV. data ad Cardinalem Carolum Victorium Amadeum delle Lanze *anno* 1747. ubi alia plura habentur exempla de Episcopatu Titulari collato Cardinalibus: imo nuperis temporibus eumdem vidimus collatum Cardinalibus Erba, & Columna, in Vicarios Urbis institutis.

laris ex Ordine non Clericali; ejusmodi enim Episcopi retinentes in vestibus Prælatitiis colorem habitus suæ Religionis, nec utentes Rocheto, deferunt ubique Mozzettam ejusdem coloris: ex Cæremoniali Episcoporum *cap.* 1. Item jus habent Titulares Episcopi deferendi anulum in signum dignitatis & spiritualis matrimonii cum sua Ecclesia. Præterea in sacris functionibus Mitra, ac aliis Episcopalibus ornamentis, & insigniis decorantur, ubi, & quando Pontificalia exercere possint de licentia Ordinarii, ex Barbosa *de Jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 12. & ex praxi. An vero extra sacras functiones jus habeant deferendi Crucem Episcopalem pendentem ante pectus, non reperio: crediderim tamen ex multorum praxi, deferre eam posse; cum ea sit potius signum Ordinis, quam jurisdictionis ordinariæ. Notes etiam, quod Archiepiscopi Titulares possent ac deberent in sacris functionibus, ac statis temporibus uti Pallio Archiepiscopali de jure: cum tamen ex consuetudine legitime introducta non soleant ejusmodi Archiepiscopi Pallium a Sede Apostolica exposcere; possunt ex benignitate Apostolica omnia, quæ sunt Ordinis, sine Pallio exercere: uti constat ex Pontificali Romano, & ex Baldassar. *in Tract. de Pallio cap.* 9. Cappam vero Pontificalem non possunt Episcopi Titulares ubique ferre, sed solum in Romana Curia, cum in Divinis, Pontifice Maximo, vel Sacro Cardinalium Collegio præsente, assistunt, ex Campanil. *Rub.* 9. *cap.* 5.

136. Quo ad sessionem, associationem, & alia honoris signa, non est facile certam regulam statuere relate ad tales Episcopos. Illud universim videtur dicendum cum Tridentino *sess.* 25. *de ref. cap.* 6. Episcopis (quales certe sunt etiam Titulares) eum esse honorem tribuendum, qui eorum dignitati par est. Nec ejusmodi Episcopi propterea sunt minus honorandi, quod redditibus, & populo Christiano careant; nam, hoc non obstante, retinent characterem Episcopalem, atque Episcopalis dignitatis maximam præeminentiam: uti bene observat Barbosa *de Jur. Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 24. ex S. Hieronymo ad Evagrium alibi a nobis relato: unde inferunt Diana *coord. tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 9. & Ricciullus *in cit. luc. cap.* 5. Episcopo Titulari deberi locum inter cæteros Episcopos tam in Cappellis, quam in Consistoriis publicis, & semipublicis, aliisque sessionibus, juxta ordinem suæ promotionis, cæteris paribus, ad instar Comitis expulsi, qui post expulsionem sedere debet in loco, qui inter Comites sibi antea debebatur: Bald. & Card. Alexan. *in Cap.* 1. *Quis dicatur Dux*, Jacob. de S. Georgio *de Feudis v. Comes*, Cassaneus *de Glor. Mund. conf.* 49. & ita passim ubique servatur.

137. Quo ad titulos honorificos in Jure Ecclesiastico vocantur ejusmodi Episcopi, quemadmodum ceteri, nomine *Reverendissimi*, *& Religiosissimi*: Gloss. *verb. Religiosiss. in Can.* 1. *dist.* 23. item ex Cæremoniali recentiori, præsertim post Decretum Congregationis Cæremoniarum approbatum ab Urbano VIII. quo Cardinales *Eminentissimi* appellatione nuncupantur, ipsis Titulus *Illustrissimi* competit. Item dicuntur *Præsules*; quoniam ipsorum est populis præsidere, ex Barbosa *de Jur. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 8. ubi etiam reperies, quibus aliis nominibus, & titulis, honoris causa appellentur.

Quæ-

§. III.

Quanam praeminentiæ competant exiſtentibus in Curia.

138. HOC habent peculiare Epiſcopi Titulares exiſtentes in Curia Romana, ut in præeminentialibus æqualiter omnino cum Epiſcopis reſidentialibus, ſeu actualibus, ibidem exiſtentibus, habeantur. Nam Romæ cum ſit Summus Pontifex, cæteri omnes Epiſcopi non habent neque actu, neque habitu juriſdictionem completam, & omnes cenſentur in loco omnino tertio, ac propterea omnes æqualiter gerunt perſonam Epiſcopi: Card. de Luca *diſc.* 16. *de præm.* Pignatell. *tom.* 6. *conſult.* 58. Hinc Titulares Epiſcopi quo ad veſtem, quo ad præeminentias, quo ad titulos conveniunt ibi cum Epiſcopis actualibus; ita ut ſolus promotionis antiquior ordo præcedentiam in eadem linea Archiepiſcopi, vel Epiſcopi conferat: unde Archiepiſcopus Titularis antiquior præcedit omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis etiam actualibus recentioribus: item Epiſcopus Titularis antiquior præcedit aliis Epiſcopis etiam actualibus recentioribus, ex citatis Doctoribus, & praxi.

139. Excipe, niſi Epiſcopus aliquis recentior, ſit Epiſcopus Aſſiſtens Solio Pontificio; nam in tali caſu hic in Cappella Pontificia præcederet aliis omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis etiam antiquioribus, qui non eſſent Aſſiſtentes. Quod ſi concurrant duo Epiſcopi, quorum uterque ſit Aſſiſtens, ratio habebitur antiquioris promotionis quo ad præcedentiam in eadem Cappella inter ipſos, ex citatis Doctoribus.

§. IV.

Exiſtentibus extra Urbem in aliena diœceſi.

140. SCiendum, quod Epiſcopus diœceſanus in ſua diœceſi præcedit omnes etiam majores in dignitate, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos &c. Limites, niſi Patriarcha, vel Archiepiſcopus, vel alius, v. g. Legatus, habeat hic & nunc ea in diœceſi juriſdictionem. Ita Card. de Luca *diſc.* 16. *de præm.* Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 22. Barboſa *de jure Eccleſiaſtico cap.* 13. *num.* 11. firmant 1. ex variis deciſionibus Rotæ, ac præſertim *in Pampilonen. Præeminentiarum* 22. *Martii* 1604. *coram Litta*: 2. ex paritate Parochi, qui in ſua Parochia præcedit omnes ſive Dignitates, ſive Canonicos, quando capitulariter non incedunt: 3. ex ratione; quia Epiſcopus diœceſanus eſt in ſua diœceſi Caput, unde debet cæteris anteire: rurſus ibi habet actualiter juriſdictionem completam, & juxta firmata per Cardinalem de Luca, habens talem juriſdictionem, præfertur cæteris omnibus eam non habentibus, *loc. cit. diſc.* 16. *de præeminen.* Hoc poſito, Epiſcopus Titularis, vel Archiepiſcopus Titularis, exiſtens in aliena diœceſi ſive hoſpes, ſive domiciliaris, debet ex jure primas cedere Epiſcopo diœceſano non ſolum relate ad functiones juriſdictionales, ſed etiam relate ad functiones indifferentes, v. g. relate ad ſeſſionem in menſa,

mensa, ad incessus in deambulando &c. quamquam in aliquibus, ex lege urbanitatis, quæ actus habet mere voluntarios, posset Episcopus diœcesanus Titulari Episcopo præsertim hospiti nonnihil concedere. Et quidem hæc ex citatis Doctoribus, & ex praxi videntur certa: unde hæc tria dumtaxat supersunt inspicienda: I. quænam vestes competant, vel non, Episcopo Titulari in aliena diœcesi? II. quæ honoris signa possint, vel debeant ipsi exhiberi? III. quinam præcedentiarum modus illi in concursu alterius Episcopi non diœcesani servandus sit?

141. Ac primo quo ad vestes, nequit Episcopus Titularis in aliena diœcesi deferre Mozzettam, nisi fuerit Regularis ex Ordine non Clericali, nec Cappam, aut Rochetum discoopertum; sunt enim signum jurisdictionis actualis: potest tamen cæteris vestibus Prælatitiis uti. Notes autem, quod Archiepiscopus Nazarenus ob speciale privilegium, eo quod sit Episcopus Patriæ Domini nostri Jesu Christi, potest Mozzettam in diœcesi Tranen. ubi Sedem fixam habet, & ubique induere, imo & Crucem Archiepiscopalem ubique præferre, ex Constitutione S. Pii V. relata ab Ughellio *in Ital. Sac. tom.* 7. & a Card. de Luca pluribus in locis. Præterea nequit Episcopus Titularis sine licentia Diœcesani uti Mitra, etiamsi non exerceat officia Pontificalia, sed solum vel celebret, vel processionaliter incedat, ex Ricc. *part.*4. *decis.*433. Barbosa *de Potestate Episcopi part.*3. *alleg.*80. Diana *coord. tom.* 3. *tract.* 3. *resol.* 37. contra Layman *in tract. de leg. cap.* 5. Covarruviam, aliosque videndos apud Dianam *loc. cit.* Item nequit uti Baculo Pastorali, nisi quando consecrationes, aut Ordinationes, vel benedictiones personales facere ei Apostolica auctoritate concedatur, ex Cærem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 17. Hinc non desunt qui putent, Episcopum diœcesanum non posse concedere Episcopo Titulari usum Baculi, nisi in his, in quibus dicta verba Cæremonialis ex præscripto ordine requirunt Baculum, ex Diana *coord. loc. cit.* Campanil. *in div. jur. can. rub.* 9. *cap.* 5. aliisque. Amplius, ut hæc verificentur etiam in locis exemptis intra diœcesim; ibi enim non potest talis Episcopus uti Pontificalibus insigniis sine licentia Ordinarii; siquidem loca exempta non desinunt per exemptionem esse in diœcesi: Gonzalez *in reg.* 8. *Canc. gloss.* 43. *num.* 187. Cæterum cum licentia Ordinarii posse eum insigniis Pontificalibus uti, diximus supra.

142. Deinde quo ad honoris signa Episcopo Titulari in diœcesi aliena deferenda notandum est, hujusmodi honoris signa esse in duplici differentia. Alia quippe consistunt in actibus redolentibus jurisdictionem, quales sunt v. g. parare illi Baldacchinum, seu Thronum elatum, sternere eidem pannum coloris violacei, ac pulvinar, tradere eidem deosculandum textum Evangelii &c. Alia consistunt in actibus mere honorificis, quales sunt v. g. excipere illum cum aliquo occursu, vel associatione, præbere illi sedem aliquam honorificam, cum qua a reliquo populo distinguatur, item genuflexorium cum pulvinaribus &c. Jam vero signa honoris ex primo genere non possunt, nec debent in aliena diœcesi exhiberi Episcopo Titulari, nisi de expresso consensu Episcopi diœcesani, ex Card. de Luca *de Jurisdict. disc.*98. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 54. ubi refert

refert aliquas declarationes Sacræ Rituum Congregationis, ac præsertim unam *Policastren.* 21. *Augusti* 1604. nempe: *Episcopo extra suam diœcesim, & in loco, in quo non habet jurisdictionem, non conveniunt ea, quæ proprio Episcopo in sua Ecclesia, & diœcesi debentur*. Limites respectu Archiepiscopi Nazareni in diœcesi Tranensi, juxta *disc.* 20. *de Jurisd.* Card. de Luca *num.* 30.

143. Signa autem honoris ex secundo genere possunt exhiberi Episcopo Titulari, nisi id prohibeat Episcopus diœcesanus, qui valet pro arbitrio id prohibere in locis sibi omnino subjectis, & ex aliqua justa ac rationabili causa etiam in locis exemptis. Suadetur, quod ea possint exhiberi, tum auctoritate Card. de Luca *in disc.* 98. *de jurisd.* tum quia nulla de hoc est in jure prohibitio, tum quia congruum est, ut Episcopalis dignitatis etiam in aliena diœcesi specialis ratio habeatur. Quod vero Episcopus diœcesanus pro arbitrio id valeat prohibere, constat; nam, præscindendo ab inurbanitate, cujus fortasse merito argueretur, ipse in sua diœcesi, ac veluti domi suæ cum sit dominus, & jus habeat, hoc, vel illud subditis interdicendi, poterit interdicere &c. Rursus, quod ex rationabili causa idem valeat prohibere in locis exemptis, quando nimirum prohibitio æmulationi, seu inurbanitati referenda non sit, firmat *in disc. cit.* 98. *de Jurisd.* Card. de Luca. Ex quo animadvertendum, plurimum in his præeminentialibus deferendum esse consuetudini: Gregor. & Addit. *decis.* 224. & *decis.* 322. *part.* 6. *Recent. &c.*

144. Postremo quo ad præcedentias in concursu alterius Episcopi non diœcesani &c. notandum, talem alterum Episcopum esse posse 1. Titularem: 2. actualem, seu residentialem alterius Christianæ diœcesis: 3. actualem, & insuper provincialem alicujus Archiepiscopatus. Hoc prænotato, dico primo. Episcopus Titularis concurrens cum alio Episcopo Titulari in aliena, seu tertia diœcesi, servabit in præcedentiis ordinem promotionis; ita ut Archiepiscopus Titularis antiquior præcedat Archiepiscopum Titularem recentiorem, & Episcopus Titularis antiquior præcedat Episcopum Titularem recentiorem, ex praxi Romanæ Curiæ. Dico 2. Episcopus Titularis concurrens cum Episcopo actuali, seu residentiali, in aliena tertia diœcesi, videtur debere primas cedere Episcopo actuali etiam recentiori; tum quia ita firmat Jacobat. *de Conc. lib.* 1. *art.* 2. *num.* 72. tum quia habens dignitatem cum actuali possessione & exercitio jurisdictionis, præferendus est alteri habenti eamdem dignitatem cum solo Titulo, sicuti Rex possidens Regnum præferendus est Regi carenti actuali possessione, ex Mastril. *de Magistrat. lib.* 4. *cap.* 73. Pignatell. *tom.* 6. *consf.* 58. tum quia praxis Germaniæ ita est, teste de Luca, ut Episcopi actuales præcedant Titulares. Nihilominus contraria sententia placet, & servandum in tali casu ordinem promotionis inter utrumque Episcopum censeo; tum quia ita fert praxis Romanæ Curiæ; tum quia ita fuisse decisum a Sacra Rituum Congregatione testatur de Luca *disc.* 16. *de præem.* Neque obstant adducta in oppositum: nam praxis Curiæ Romanæ, & decretum Sacræ Rituum Congregationis tanti sunt, ut illis prævaleant. Quamvis autem consuetudo allegata Germaniæ improbetur a Card. de Luca *disc.* 16. *de præemin. num.* 11. ex deductis per Gregor. *decis.* 310. *n.* 5. tamen eam quidem non extendendam arbitror ad alias regiones ex eo principio,

quod

quod consuetudo strictæ interpretationis sit, at tolerandam esse ubi viget, ex eo quod, ut diximus, in præeminentialibus consuetudini plurimum defertur. Dico 3. Episcopus Titularis concurrens cum Episcopo actuali, & insuper provinciali alicujus Archiepiscopatus in eo Archiepiscopatu, vel ejusdem Metropoli, debet primas cedere Episcopo provinciali quo ad functiones publicas, & jurisdictionales, quæ fiunt ratione Episcopatus, & Prælaturæ actualis, v.g. in Synodo Provinciali, in consecratione Episcopi comprovincialis, in diæta Regni, in coronatione Regis, vel Reginæ &c. Ita ex Pignatello, Card. de Luca *loc.cit.* & decreto Sacræ Rituum Congregationis. Non vero debet primas eidem cedere, si ipse fuerit antiquior in promotione, vel fuerit Archiepiscopus quo ad functiones privatas, & indifferentes. Ita ex Sacra Rituum Congregatione apud de Luca, qui contrarium ex suis ibi adductis rationibus judicandum sentiebat. Videatur citatus de Luca *loc. cit.* & Pignatellus *tom.6. consul.58.*

§. V.

Episcopus Titularis Suffraganeus.

145. CUM sæpe contingat, ut Episcopus Titularis sit Suffraganeus, idest Vicarius in Pontificalibus alterius Episcopi, vel Archiepiscopi actualis, siquidem idcirco, uti supra retulimus, Episcopi Titulares instituuntur, ne videlicet desint qui Episcopis habentibus amplas diœceses, vel infirmis, senibus, aut alias impeditis opitulentur; operæ pretium est inspicere, quænam præeminentiæ, seu prærogativæ conveniant Episcopo Titulari gerenti tale munus Suffraganei. Pro quo illud in primis sciendum, Episcopum Titularem non esse deputandum in Suffraganeum alicujus Prælati inferioris, v.g. Abbatis; quia hoc videretur cedere in opprobrium dignitatis Episcopalis, uti notarunt DD. apud Fagnanum *in Cap. Episcopalia, de privilegiis.* Limites, nisi ille Abbas talibus fulgeret prærogativis, aut taliter res componeretur, ut non adesset tale periculum. Hinc Abbatibus Fuldensibus nuper accepi concessos a Benedicto XIII. in perpetuum Episcopos Titulares Suffraganeos. Quamvis autem possit deputari in Suffraganeum aliquorum Episcoporum, imo in aliquibus Episcopatibus omnino deputandus sit, sicuti in Ostien. ac Velitern. deputandum omnino esse constituit Urbanus VIII. tamen in casu deputationis assignandus est illi annuus census, quo possit honorifice sustentari: ex Fagnano *in cit. Cap. Episcopalia.* Notat autem Corradus *in prax. dispens. lib.5. cap.8.* talem annuum censum, seu pensionem eatenus deberi Episcopo Suffraganeo, quatenus inserviat. Hinc quidam Titularis Episcopus Suffraganeus cum olim post assignatam sibi pensionem nollet inservire, re delata ad Sacram Concilii Congregationem, eadem decrevit *sub die* 11. *Junii* 1592. illam tali Episcopo deberi, quatenus inserviat, alias assignandam esse successoribus, ex Barbosa *in suis Collect. v. Episc. Suffraganeus cap.3.* Porro Episcopus Suffraganeus habet facultatem exercendi Pontificalia officia in diœcesi, & civitate illius Episcopi, cui est datus Suffraganeus, de expresso tamen consensu, & licentia pro tempore existentis Episcopi, ex Barbosa *in Collect. Conc. sess.6. cap.5.*

unde post mortem Episcopi, Sede vacante, & Capitulo non contradicente, nequiret eadem Pontificalia exercere, sicuti exercuit vivente Episcopo, ex eodem Barbosa, qui id refert decisum *in Vilnen.* 22. *Februarii* 1631. Cum autem ipse, ut suppono, non sit de corpore Beneficiatorum, neque deputatus ad servitium Chori, sed tantum ad exercitium Pontificalium, debet esse contentus sua congrua jam constituta, nec exigere distributiones Chorales, argument. ex de Luca apud Leuren. *in For. Benef. quæst.* 133.

146. Siquando vero Episcopus Suffraganeus Choro intersit, non debet quidem sedere in Sede Episcopali, at in stallo digniori super omnes Canonicos, sive in Sede Camerali, ex Cæremoniali Episcoporum *cap.* 13. Quaranta *in Addit. v. Archiep.* Eidem ad Ecclesiam venienti pro celebrandis Pontificalibus nomine diœcesani Episcopi non tenentur Canonici obviam ire usque ad cubiculum &c. sed satis est, quod aliqui Canonici obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ, ex Sacra Rituum Congregatione *in Bracharen.* 1. *Septembris* 1607. In ipso actu exercendi Pontificalia nomine Episcopi diœcesani, v.g. in actu Ordinationum, Canonici debent assistere, in habitu tamen ordinario Canonicali, exceptis illis qui juxta necessitatem officii debent accipere paramenta, ex Sacra Rituum Congregatione apud Barbosam.

147. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet sedere, nisi in Faldistorio: & quamvis præter Diaconum, & Subdiaconum, debeat habere Canonicum assistentem pro libro; tamen non debet habere assistentiam duorum Canonicorum, sicut haberet proprius Episcopus, nec Canonici debent assistere cum paramentis, sicut assisterent proprio Episcopo, sed cum habitu ordinario, & Canonicali: sicuti etiam in tali casu non debet poni in Altari septimum candelabrum, nec debent Canonici accedere ad circulos ante eum, qui pariter nequit inter celebrandum uti Baculo Pontificali. Decet autem, ut in fine Missæ benedicat populo. Ita ex Barbosa *Collect.* 286. Gavanto *v. Coadjutor Episcopi*, Quaranta *in Addit. v. Archiep.* qui hæc colligunt ex variis decretis Sacræ Rituum Congregationis.

148. Rursus cum Episcopus Suffraganeus non habeat exercitium jurisdictionis, sed tantum usum Pontificalium, non potest absque speciali commissione & mandato Episcopi visitare clausuram Monialium &c. ex Sacra Concilii Congregatione *in Vilnen.* 22. *Februarii* 1631. nec idem potest sine licentia Episcopi diœcesani benedicere populum, dum per civitatem incedit: ex eadem Sacra Congregatione apud Gavantum *v. Coadjut.*

149. Vide etiam apud Monacellum aliquot decreta edita a Sacra Congregatione *anno* 1698. 6. *Septembris*, quæ concernunt præeminentialia & facultatem Episcopi Suffraganei Titularis in Civitate Veliterna.

150. Fuit olim in controversiam vocatum in Romana Curia, an Archiepiscopus Titularis Suffraganeus deberet ratione Archiepiscopatus præcedere Episcopo provinciali Suffraganeo in propria provincia, de qua controversia egit Card. de Luca *in disc.* 16. *de præeminentiis*, & Pignatellus *tom.*6.*conf.*58. quos, si lubet, videas. Nec te prætereat, Suffraganeatum non esse Titulum perpetuum, ex decreto Sacræ Conc. Congregationis apud Fagnanum *in cit. Cap. Episco-*

Episcopalia, ideoque, secundum aliquos, mortuo Episcopo, expirare. Verum considerandа est forma litterarum, quibus Suffraganeatus confertur, & juxta illam sentiendum.

§. VI.

Episcopus Titularis Canonicus.

151. Episcopi Titulares aliquando sunt Canonici in aliqua Cathedrali, vel Patriarchali, sicuti videre est Romæ in Basilica Vaticana, Lateranensi &c. In tali autem circumstantia Episcopus Titularis, assistens Choro, debet uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, idest Rocheto supra Subtanam, & Mantelletto violacei coloris, & debet præcedere omnibus aliis Canonicis ejusdem Ecclesiæ, & sedere in primo stallo supra omnes. Ita ex Sacra Rituum Congregatione *in una Compostell.* 2. *Junii* 1617. decisum refert Barbosa *in Collectan.* Corradus *lib.*5. *cap.*8. *dispens.* Squillant. *de Oblig. Episc. part.* 1. *cap.*1. & ita fert praxis Romana in casu occurrente: quamvis eum non præcedere, sed sedere cum aliis Canonicis in suo loco, ut Canonicum, asserant Donat. Anton. de Marinis *quotid. resolut. c.*202. *num.*20 & Riccius *in praxi fori Eccles. part.*3. *resol.*274. Amplies ex Barbosa *de Canon. cap.*36. Episcopo Titulari competere præcedentiam in Capitulo, Processionibus, aliisque actibus, & functionibus.

152. Et quidem in Capitulo habet jus suffragii, sicut alter quilibet de Capitulo, sed magis ponderativum, ut ajunt, propter ejus auctoritatem; ita ut in casu paritatis ea pars præponderaret, pro qua staret Episcopus: ex Alzed. *part.*2. *cap.*1. *num.*57. quamquam ea in re spectanda sit ac servanda consuetudo cujusque Ecclesiæ: ex Barbos. *ibidem de Canon.* Addas, quod licet in Capitulo debeat proponere rem discutiendam Decanus, vel alius, qui sit caput Capituli, etiam existente Episcopo Titulari, tamen æquum est, ut id ipse faciat, petita cum debita urbanitate licentia ab Episcopo, eum salutando: ex Barbosa *ibidem*.

153. Cum autem proposita fuerint Sacræ Rituum Congregationi *in una Asculan.* infrascripta dubia, videlicet

I. An post delatam per Archidiaconum, sive Presbyterum assistentem pacem Episcopo locali, debeat illa referri per Archidiaconum, vel Presbyterum assistentem Episcopo Titulari, antequam Canonici assistentes in Throno illam recipiant ab Episcopo locali &c.

II. An Canonicus Episcopus Titularis in Missis, & Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis teneatur discedere e stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis consuetis circulis præscriptis a Cæremoniali Episcoporum &c.

III. An, exercente Pontificalia Episcopo locali, liceat Episcopo Titulari assistenti in stallo cum reliquis Canonicis deferre Pluviale, vel potius incedere debeat cum Rocheto, Mantelletto, & habitu violaceo; & quatenus affirmative quo ad primam partem &c.

IV. An una cum Pluviali possit quoque deferre Mitram Episcopalem absque consensu Episcopi localis; & quatenus affirmative &c.

V. An, & cujus qualitatis debeat esse Mitra gestanda per dictum Episcopum Titularem in casu &c.

VI. An in casu concessionis usus Mitræ, ut supra, debeat Episcopus Titularis illam per se ipsum imponere, & amovere ex capite, vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius in casu &c.

VII. An liceat Episcopo Titulari canenti Missas, & Vesperas tanquam Canonico in propria hebdomada, uti Faldistorio, & indumentis Pontificalibus, seu potius illas canere debeat sedendo in scamno, prout practicatur cum reliquis Canonicis, & absque Pontificalibus indumentis; & quatenus affirmative quo ad primam partem &c.

VIII. An tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo locali &c.

Sacra Congregatio ad relationem Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Pico Ponentis, Procuratore Capituli tantum in scriptis, & in voce informante audito, & Episcopo Titulari quamvis intimato, & nequaquam comparente, tam super prædictis dubiis, quam etiam super jure ab ipso Episcopo Titulari prætenso recipiendi thurificationem ante Archidiaconum exercentem officium Presbyteri assistentis, ac etiam ante Canonicos Throno assistentes Episcopo in Missis cantatis, aliisque functionibus Ecclesiasticis, rescribendum censuit

Ad primum *Negative*.

Ad secundum *Affirmative*.

Ad tertium *Affirmative, exercente Episcopo Pontificalia, & assistente Capitulo cum paramentis sacris*.

Ad quartum *Posse, accedente consensu Episcopi*.

Ad quintum *Mitram debere esse lineam, &*

Ad sextum *Per se ipsum in casu, ut supra*.

Ad septimum *Ad mentem*: & mens est, ut in Missis de turno abstineat, & subroget alium: in solemnioribus vero non posse, nisi *de licentia Episcopi*.

Ad octavum *Jam provisum*.

Et quo ad thurificationem, Episcopum Titularem esse thurificandum post Archidiaconum, & Canonicos assistentes Throno: & ita declaravit, ac servari mandavit die 10. *Aprilis* 1728.

154. Jam vero dubitabis 1. an Episcopus Titularis Canonicus subsit cum aliis Canonicis visitationi sui Episcopi? Resp. affirmative: & ita refert decisum Barbosa a Sacra Conc. Congregatione *in una Florentin.* 24. *Julii* 1632. *in Tract. de Canon. cap.* 36. *num.* 5. *ad finem*.

155. Dubitabis 2. an Episcopus Titularis Canonicus lucretur distributiones, si absit a Choro occupatus in exercendis Pontificalibus, v. g. in tradendis Ordinibus loco Episcopi diœcesani? Resp. negative, nisi vel privilegio Pontificis, vel consuetudine legitime præscripta, vel statuto a Pontifice confirmato, eidem concedantur. Ratio est; quia non esset occupatus in servitio propriæ Ecclesiæ, sed Episcopi, & Ecclesiæ in communi. Sic in simili, relato

lato Alex. Moneta, docuit Garcias *de Benefic. 5.part. cap.2. num.354.* Castropal. *disp.3. de Hor.Can. part.9.* §.7. aliique. Deberentur tamen illi fructus Beneficii, quia legitimam haberet causam absentiæ a Choro. Ita iidem Doctores citati, quos videas apud Castrop. *loc. cit.*

156. Dubitabis 3. an talis Episcopus possit exigere pulvinar in Choro ante suum stallum? Item an in Processionibus incedens cum Rocheto, & Mantelletto coloris violacei, debeat præcedere Canonicos incedentes cum Pluviali? ℞. Ad primum jam supra resolutum est *in* §.4. non tamen pigeat etiam legere *disc.41. de Præem.* apud Card. de Luca, ubi reperies a Sacra Rit. Congregatione decisum *in una Neapolit.* 1673. retentionem pulvinaris Episcopo Canonico sedenti in Choro de jure non competere. Ad 2. negative; quia, ut pluribus in locis firmat idem Card. de Luca, indutus paramentis semper præcedit alios non ita indutos, adeo ut Protonotarii in Curia Romana & Cappella Pontificia, ex eo quod incedant in habitu, præcedant Episcopos non ita incedentes.

157. Dubitabis 4. an sicuti Episcopo Titulari Canonico competit primus locus in Choro, ita etiam ipsi competat major thurificatio, cum uno scilicet ductu super alios: item an ipsi competat exercere primarias, ac Pontificales functiones, absente, vel impedito Episcopo, vel alias functiones, quæ præsente Episcopo ad primum ac digniorem de Capitulo spectarent? ℞. ad utrumque quæsitum negative, ex Sacra Rit. Congregatione *in Neapolit. sub die 12. Augusti* 1673. apud Card. de Luca *in cit. discur. 41. de Præem.*

158. Dubitabis 5. an idem Episcopus lucretur fructus, & distributiones, quando velit sedere in scamno diverso cum aliis Episcopis extra Chorum, sive extra aliorum Canonicorum cœtum, vel circulum? ℞. lucrari fructus, non vero distributiones. Ita Card. de Luca *in cit. disc.* Ratio primi est; quia, ut suppono, legitimam causam haberet absentiæ a loco Canonicorum, nempe ut obsequium præstaret cum aliis Episcopis Episcopo diœcesano, vel Principi in Cappella &c. Ratio secundi est; quia ad effectum lucrandi distributiones requiritur præsentia in Choro cum aliis Canonicis, faciendo id, quod alii faciunt.

§. VII.

Episcopus Titularis Regularis.

159. DE Episcopo Titulari Regulari egit Ricciullus *in suis lucubrationibus lib. 2. cap.* 11. sed pauca dumtaxat expendit: unde, ut plenius res explicetur, dicam 1. de habitu, seu veste talis Episcopi: 2. de exemptione ejusdem ab obedientia & observantia Regulari: 3. de præeminentia inter alios suos Regulares, casu quo cum ipsis conviveret.

160. Et primo quo ad habitum, seu vestem, vel est Regularis ex Ordine Clericali, vel Regularis ex Ordine non Clericali. Si primum, utetur veste Episcopali, sicuti cæteri Episcopi non Regulares, quamvis deceat, ut in iis, quo ad fieri potest, Religiosa paupertas, & simplicitas elucescat. Ita ex praxi,

xi, & ex eo quod ipſe, cum ſit Clericus, Clericorum habitum deferre debet. Si ſecundum, utetur veſte Epiſcopali quo ad formam, ſed retinendo colorem habitus ſuæ Religionis cum Mozzetta ſine Rocheto: item utetur galero nigro laneo, viridi ſerico ornato cum cordulis, ac floccis coloris viridis, ex Cæremoniali Epiſcoporum. Et quidem, quod debeat uti habitu ſuæ Religionis quo ad colorem, evincitur ex ipſo jure communi *in Cap. Clerici, de vit. & honeſt. Clericorum &c.* & firmant paſſim Doctores cum S. Thoma. Quod autem formam conſimilem aliis Epiſcopis in habitu deferre queat, conceſſit Clemens VIII.

161. Quo ad exemptionem ab obedientia, & obſervantia Regulari, eum non eximi ab obedientia Superiorum, exiſtimat Hoſtien. *in Cap. Quod Dei timorem, num. 9. de ſtatu Monachor.* quem ſequitur Joann. Andreas *ibid. num.* 15. Card. *num.* 5. *in* 2. *quæſt.* tum quia cæteri Epiſcopi eximuntur ab obedientia Superiorum, non ratione dignitatis, ſed propter bonum animarum, cui vacare debent, quæ ratio ceſſat in Epiſcopo Titulari; tum quia, cum ipſe teneatur ex voto obedire ſuis Superioribus, non eſt juſta cauſa exemptionis ipſe Ordo, ſeu dignitas Epiſcopalis ſine adminiſtratione: unde vel Epiſcopatus eum non eximit ab obedientia Prælatorum, vel ipſe peccat acceptando talem Epiſcopatum, ob quem ſine juſta cauſa eximitur ab obſervantia & obedientia Prælatorum. Ita ex Ricciullo *loc. cit.*

162. Nihilominus diſtinguendum eſt inter exemptionem ab obedientia Prælatorum Religionis, & exemptionem ab obedientia, ſeu obſervantia Regulæ. Qua poſita diſtinctione, dico 1. Epiſcopus Titularis Regularis exemptus eſt ab obedientia Prælatorum Religionis. Ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 17. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. ubi dicit, eum eſſe a Religione ſolutum & liberum, Sanchez *tom.* 2. *in decal. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 27. Ricciullus *loc. cit.* aliique. Ratio eſt; quia Eccleſia ita ab initio inſtituit, ut Religioſus eo ipſo, quod conſecratur Epiſcopus, licet revera non poſſideat proprium Epiſcopatum, ſit tamen liber ab obedientia omnium Prælatorum ſuæ Religionis. Hæc autem Eccleſiæ inſtitutio, inquit Suarez *loc. cit.* nobis ſatis conſtat ex traditione. Neque obſtant adducta in contrarium. Non 1. quia cæteri Epiſcopi, non præciſe ob bonum animarum eximuntur ab obedientia Prælatorum Regularium, ſed maxime quia non decet dignitatem Epiſcopalis conſecrationis, ut Epiſcopus maneat ſubditus inferioribus Prælatis Regularibus. Non 2. quia talis exemptio fundatur in Eccleſiæ inſtitutione, quæ utique juſta eſt, ac cenſeri debet: nec peccat Religioſus acceptans talem Epiſcopatum, per ſe loquendo; tum quia Epiſcopatus non deſtruit ſtatum Religioſum, quem ille promiſit; tum quia votum obedientiæ non poſtulat eſſentialiter actualem ſubjectionem ad aliquem Prælatum talis Religionis, ex Suarez *ibid.* unde acceptans Epiſcopatum annexum cum tali exemptione, non facit contra id quod promiſit, nec per ſe loquendo delinquit.

163. Dico 2. Epiſcopus Titularis Regularis ſubeſt omnibus & ſingulis ſuæ Regulæ officiis, & obligationibus, quæ Pontificale officium minime impediunt. Ita noviſſime in ſua Conſtitutione *Cuſtodes ſuper muros*, edita 1726. Benedictus

ctus XIII. Cum vero in prædicta Constitutione non exprimatur, an subsit ex lege coactiva, obligante sub gravi, vel solum ex lege honestatis ac decentiæ, videtur intelligendum, quod subsit omnibus & singulis obligationibus suæ Regulæ &c. ex lege dumtaxat honestatis, ac decentiæ, sicuti olim docuerunt Cajetanus *in Opusc. tom.* 1. *tract.* 25. *quæst.* 2. & Luccarinus *de Episcopo Regul. cap.* 2. *num.* 342. Siquidem, cum simus in lege odiosa, & pœnali, ea non extendenda est ultra casum expressum, ut constat *ex regula* 49. *in* 6. præsertim quia aliter haberetur manifesta correctio Canonis *Statutum* 18. *quæst.* 1. Glossæ ibi adjectæ, & omnium ferme Canonistarum, qui juxta citatum Canonem docent, Episcopum Regularem absolvi a jugo Regulæ, ideſt, ut cum aliis novissime interpretatus est Rotharius, absolvi ab obligatione observandi omnes, & singulas regulas sub culpa saltem gravi: correctio autem legum non facile præsumenda est, *ex Cap. Ecclesia &c. de elect.*

164. Hinc inferes 1. Episcopum Regularem Titularem ex quadam decentia & honestate in pluribus debere servare præscripta Regulæ, quam debeat alter Episcopus Regularis actualis; siquidem Episcopi Titularis munus & officium in pluribus compossibile est cum observantia Regulari, quam sit munus Episcopi actualis.

165. Hinc 2. peccaret graviter Episcopus Titularis Regularis non Clericus, qui non deferret habitum suæ Religionis, & rasilem, atque ad cutis planitiem in summo vertice coronam &c. ex præcepto Benedicti XIII. *in prædicta Constitutione*, & *ex Cap. Clerici, de vit. & honest. Cler.* imo ipso facto incurreret pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, si hoc agere contempserit, vel neglexerit, ex dicta Constitutione Benedicti XIII. Tunc autem verificaretur, quod contemneret, quando formaliter nollet hoc agere, in quantum renueret subjici huic ordinationi, ex S.Thoma 2. 2. *quæst.* 186. *ad* 3. Tunc verificaretur, quod negligeret, quando ex incuria, & remissione animi, sine ullo justo titulo nollet hoc agere, quia putaret id superfluum, vel impertinens &c.

166. Hinc 3. Episcopus Regularis Titularis non peccaret saltem graviter, nec incurreret pœnam a Regula taxatam, si non observaret alias regulas suæ Religionis, quamvis Regula obligaret ad culpam. Ita expresse de Episcopo Titulari Castrop. *disp.* 4. *de Relig. pag.* 24. Sotus *lib.* 10. *quæst.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 7. Ratio est; quia constitutus cum sit in culmine magisterii, absolutus est a jugo Regulæ, *ex Can. un.* 18. *quæst.* 1. juxta superius positam explicationem; ideſt, ita ut a culpa, & pœna immunis sit, si eam non servet, quamvis secundum moralem honestatem servare debeat regulas, quæ eum decent, & cum Episcopali munere bene conveniunt.

167. Dubitabis 1. an Episcopus Titularis ex vi voti obedientiæ emissi in Religione teneatur obedire Papæ? ℞. affirmative. Ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 17. Ratio est; quia Pontifex est vere Prælatus Religionis, & semper manet tali Episcopo Superior, & obedientia ad illum non repugnat, imo maxime congruit cum statu Episcopali. Advertas tamen, non teneri ex vi sui voti obedire in omnibus Summo Pontifici, sed in his tantum, quæ directe,

recte, vel indirecte ad Regulam pertinent; siquidem votum obedientiæ mutatum non est in se, sed tantum usus ejus quo ad respectum ad hunc, vel illum Prælatum: unde Episcopus Regularis sicuti antea non tenebatur ex vi voti obedire, nisi secundum Regulam, ita post assumptionem ad Episcopatum.

168. Dubitabis 2. an talis Episcopus teneatur ex vi voti obedire Episcopo diœcesano, in cujus diœcesi stabile domicilium habet? ℞. Videtur, quod sic; quia videtur ipse perinde se habere, ac Religiosus separatus omnino a sua Religione quo ad habitationem, & subjectionem, de quo docet Suarez *tom.4. de Relig. lib.* 3. *cap.* 6. manere subjectum obedientiæ Episcopi. Nihilominus dicendum est, talem Episcopum soli Pontifici debere obedientiam religiosam. Nam vel est Religiosus e Religione exempta, vel ex Religione non exempta. Si primum, sicuti antea non suberat obedientiæ Episcopi loci, ita nec postea; siquidem per consecrationem Episcopalem neque amisit exemptionem, nec denuo factus est Diœcesano subjectus. Si secundum, ex vi consecrationis factus est exemptus a jugo Episcopi sub ea ratione, qua ille Prælatus est talis Religionis: siquidem, quemadmodum Religiosus exemptus per consecrationem eximitur ab obedientia omnium Prælatorum, præter Pontificis, ita Religiosus non exemptus: eadem est enim utriusque ratio. Ita expresse Suarez *loc. cit.* Neque obstat ratio in contrarium; nam disparitas est ipse status, seu consecratio Episcopalis, eximens subjectum ab obedientia omnium Prælatorum &c. quæ non reperitur in illo alio Religioso: quamquam Layman valde dubitet *tract.* 5. *de Relig. cap.* 1. de illa sententia Suarezii relata in objectione.

169. Dubitabis 3. cuinam acquirat Regularis Episcopus Titularis, non habens Ecclesiam cui acquirat? ℞. Jam de hoc diximus *Par.*1. *cap.* 2. *illat.* 4. Addam tamen hic I. praxim esse, ut tales Episcopi Titulares Regulares possint, quamdiu vivunt, disponere de redditibus, quos obtinent, absque licentia Superioris Regularis, in sui sustentationem, & in opera pia &c. Ita ex communi apud Vasquez *de redd. dub.*7. aliosque. II. quod in morte non possint de iisdem disponere sine speciali privilegio Papæ, quia Regularis nec potest testari, nec donare causa mortis, ex communi apud Sanchez *lib. 6. in decal. cap. 6. num.* 10. *& seqq.* III. demum, quod post mortem bona talium Regularium Episcoporum, undecumque, vel quomodocumque fuerint acquisita, sive ex testamento, sive ex Beneficiis, sive ex industria &c. spectent, saltem in Italia, ad Cameram Apostolicam, ex Constitutione Pii IV. *Decet &c.* & Gregorii XIII. *Officii nostri &c.* apud Fill. *de spol. cap.*6. Limites, nisi ejusmodi Episcopus decesserit in Curia: tunc enim ipsius bona non capiuntur a Camera Apostolica, sed illi cedunt, cui jure communi debentur ab intestato, ex limitatione S. Pii V. apud Fill. *loc. cit.* item nisi ex speciali privilegio testamentum condiderit.

170. Dubitabis 4. an talis Episcopus teneatur recitare Officium juxta ritum suæ Religionis? Resp. Videtur, quod sic; nam alii Episcopi Regulares ideo non tenentur taliter recitare, ut se conforment suæ diœcesi: cum autem hæc ratio non militet respectu Episcopi Titularis, iste tenebitur taliter recitare. Nihilominus censeo, non teneri recitare juxta ritum suæ Religionis, posse tamen

men probabiliter recitare. Prima pars probatur; quia ipse est ab Ordine separatus, sicuti alius quilibet Episcopus: unde non subest in rigore, juxta dicta, obligationibus, ac ritibus talis Ordinis: & sic docent de Episcopo actuali Azorius, Sanchez, aliique cum Barbosa *de Potestate Episcopi tit.* 1. *cap.* 4. Altera pars probatur; tum quia sine inconvenientia discordandi a sua diœcesi posset id facere; tum quia Episcopis ex Ordine Minorum conceditur privatim recitare, & celebrare de Sanctis sui Ordinis, ex Sacra Rituum Congregatione apud Barbosam *in Collect. Apost. v. Episcopus Regularis*. Hoc autem sive sit privilegium, sive declaratio juris, fortasse probabiliter extenditur ad alios etiam Episcopos Regulares, præsertim Titulares.

171. Advertas autem, quod prædicta declaratio Sacræ Congregationis procedit in casu, quo retineatur Breviarium Romanum: unde si quis vellet non solum sequi ritum suæ Religionis in recitando, quo ad Festa Sanctorum, sub ritu vel duplici, vel semiduplici &c. sed etiam vellet sequi quo ad usum alterius Breviarii, v. g. Monastici, non bene procederet, per se loquendo; nam usus talis Breviarii permittitur illis dumtaxat, quos astringit consuetudo ducentorum annorum ante S. Pium V. ita recitandi: hæc autem consuetudo astringit solum viventes in tali communitate, ut ex variis Doctoribus firmat Castropalaus *loc. cit.* ac proinde Episcopus Titularis, cum non vivat in ea communitate, nec sit pars illius, non videtur habere talem permissionem, utpote qui non astringitur tali consuetudine.

172. Dixi, per se loquendo: ut præscinderem a privilegio, vel indulto, vel mandato Apostolico, quod nonnullis Regularibus Episcopis factum fuisse scio a Summo Pontifice Benedicto XIII.

173. Quo ad præeminentias inter alios suos Regulares, casu quo &c. sciendum est, Episcopos Titulares Regulares, quamdiu non resederint in suis diœcesibus, aut sacro alicui muneri, quod cum vita Claustrali exerceri non possit, ex peculiari voluntate Romani Pontificis non fuerint addicti, aut facultatem expressam vivendi extra claustra ab eodem Romano Pontifice non obtinuerint, teneri in pristinis suorum Ordinum claustris cum reliquis suis Religiosis sub eodem Instituto religiosam vitam agere; & quidem, si Episcopatu se abdicaverint, adeo teneri, ut contrafacientes omni usu Pontificalium, etiam cum facultate & permissione cujuscumque Episcopi exercendorum, penitus & undequaque interdicantur; sique perseveraverint in contumacia non redeundi ad claustra post annum, sint eo ipso suspensi a Divinis, ex Constitutione Benedicti XIII. *anno* 1726. & Alexandri VII. *die* 20. *Julii anno* 1662. & Clementis XI. *die* 11. *Junii* 1715. unde caute legas nunc Ricciullum *lib.* 2. *c.* 13.

174. Hoc posito, Episcopus Titularis sic rediens ad claustrum, atque in eo vivens, tenebitur quidem religiosam vitam agere sub pristino Instituto, at non reincidet in Regularium Prælatorum subjectionem; quia ex una parte adhuc retinet consecrationem & dignitatem Episcopalem, ratione cujus exemptio concessa est; ex alia vero parte nec Pontifex *in citata Constitutione* illum de novo subjicit obedientiæ Regularium Prælatorum, nec ipse novo aliquo se voto obediendi talibus Prælatis obstringit. Excipe, nisi realiter degradaretur;

quia per actualem degradationem omnia privilegia, & exemptiones auferuntur. Sic Castrop. *de Rel. disp.4. p.24.* Sanchez *lib.6. Summæ cap.6.* Layman *lib.4. tract.5. cap.1.* Barbosa *de Potestate Episcopi tit.1. cap.4.* Ricciull. *lib.2. lucub. cap.13.*

175. Provide etiam *in citata Constitutione* sancitum est, ut ejusmodi Regulares Episcopi possint sibi pro libito eligere in sua provincia quodcumque Ordinis sui cœnobium & monasterium, ubi commode & religiose degere possint: imo ex eadem Constitutione Benedicti XIII. tenentur Præsides & Superiores Regulares talibus Episcopis congruas & honestas cellulas in cœnobiis & monasteriis ab eisdem electis assignare. Utrum vero eadem Religio teneatur ejusmodi Episcopos alere? Crediderim negative; tum quia id non exprimitur *in citata Constitutione*; tum quia, cum sint a Religione separati, nec sint amplius pars illius, separati etiam sunt a Religionis cura. Neque obstat, quod in citata Benedicti XIII. Constitutione Superiores Regulares vocentur Præsides talis Episcopi, & Ordo, a quo fuit assumptus talis Episcopus, vocetur ipsius Ordo, unde videatur ille esse adhuc pars talis Ordinis; nam usurpantur tales termini, quia Religiosus Episcopus, etiamsi non sit in rigore pars actualis illius Religionis, & communitatis, nec actu subjectus ejus Regularibus Prælatis, tamen potius dicendus est Religiosus talis Religionis, quam alterius; tum quia in substantialibus & habitu manet adhuc illius Religionis; tum quia quo ad vinculum præcipue Obedientiæ semper manet ita ligatus habitualiter, ut, si a Pontifice privetur munere & exemptione Episcopali, futurus sit subjectus tali Religioni, & non alteri. Ita Suarez *tom.4. de Relig. lib.3. cap.17.*

176. At, esto ita sit, ut Religio in rigore non teneatur alere hujusmodi Episcopos manentes in claustro, tamen ex quadam æquitate possent Superiores majores sine scrupulo illis alimenta, sicut cæteris Religiosis, suppeditare, præsertim quando aliunde illi non haberent unde viverent. Ratio est; quia habitualiter cum pertineant adhuc ad eam Religionem, æquum videtur, ut in casu præsertim necessitatis eadem Religio eorum curam habeat. De facto, cum nonnulli e Societate olim sive Æthiopiæ, sive Japoniæ, sive aliis Infidelium regionibus dati fuerint Episcopi, nec suarum respective Ecclesiarum liberam administrationem obtinerent, de expresso Præpositi Generalis consensu in nostris Collegiis sunt excepti, ibique sustentati. Vid. Suarez *tom.4. de Rel. tr.8. lib.3. cap.18.*

177. Illud diligenter observandum, quod Episcopus Regularis ad Religionem rediens dimisso Episcopatu, vel eo retento in Religione convivens, non potest dignitates & officia illius Religionis obtinere. Ita ex Pauli IV. Constitione 21. incip. *In Sacra*, 19. *Julii* 1559. Barbosa *in Collect. Apost. decis.* Squillant. *de Priv. Episc. part.2. cap.22.* Et quidem, si retineat Episcopatum, videtur manifestum ex jure; nam, cum dignitates & officia Religionis solita sint conferri Religiosis actualiter de illa communitate Religiosa, nequeunt ipsi jure habito ad tales dignitates & officia privari per collationem factam alteri qui non est actualiter de ea communitate: *in Cap. Cum singula, de Præbend.*

bend. in 6. & Clement. 1. *de supplenda negligen. Prælator.* & testatur Gonzalez *super regul.* 8. *Cancellariæ gloss.* 8. *num.* 108. esse communem omnium sensum. Vid. apud Suarez *loc.cit.* declarationem hac super re Sixti IV. qui expresse meminit Episcoporum Titularium Regularium &c.

178. Quamvis autem dignitates Religionis, ejusmodi Episcopi, retinentes Episcopatum, nequeant obtinere, tamen ea honoris signa jure sibi vendicant, quæ Episcopalem dignitatem decent, nec Religiosam simplicitatem dedecent: ex Trid. *sess.* 25. *de ref. cap.* 6. Hinc in actibus publicis deberetur illis prima sedes, & locus, honestior supellex &c. Possent etiam uti illis Indulgentiis, gratiis, & privilegiis, quæ ita Ordini conceduntur, ut singulis etiam concessa sint, quorumque usus absque ullo onere & gravamine Religionis esse potest, ex Castrop. *disp.* 4. *de Relig. punct.* 24. Suarez *loc.cit.* aliisque.

FINIS TERTIÆ PARTIS.



PARS QUARTA

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPI TITULARIS.

CAPUT UNICUM.

179. Onor, & præeminentia Episcopis etiam Titularibus debita, suis non caret oneribus, quæ in hac Parte breviter exponam. Cum autem ex his aliqua consistant in positivo, aliqua in negativo; primum de obligationibus positivis agam, deinde de negativis.

§. I.

De obligationibus positivis.

180. QUæres 1. an Episcopus Titularis teneatur habere perfectionem vitæ Christianæ? ℞. præmittendo 1. Episcopos Titulares esse in statu perfectionis, sicuti sunt cæteri Episcopi. Ratio est; quia omnes illi sunt in statu perfectionis, qui obligarunt se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis, ex S. Thoma 2.2. *quæst.* 184. *art.*4. Cum autem Episcopi etiam Titulares obligarint se ad ea quæ sunt perfectionis, nempe ad curam animarum perpetuam, & adhibita solemnitate consecrationis; sequitur &c. Neque obstat, quod ab Infidelibus impediantur, ne actualem animarum curam exerceant: nam in primis non omnino impediuntur; siquidem adhuc possunt orationibus, Sacrificiis &c. suæ diœcesis populo consulere: deinde status perfectionis, ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 4. non exigit actum dilectionis, ita ut ille dumtaxat dicatur esse in statu perfectionis, qui actu perfecte diligit, sed exigit obligationem perpetuam cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis, ita ut dicatur esse in statu perfectionis etiam qui habens talem obligationem, non habet actualem perfectam dilectionem. Neque replices, obligationem, quam assumunt Episcopi Titulares, esse de re impossibili, adeoque nullam; nam obligatio inserviendi saluti sui gregis in partibus Infidelium, esto sit valde ardua, impedita &c. ac propterea hic & nunc ab ejus executione Episcopi Titulares excusentur, non tamen est absolute impossibilis, seu de objecto impossibili.

181. Item præmittendo 2. aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti, ex S. Thoma *ibidem*; unde potest contingere, quod Episcopus sit quidem in statu perfectionis propter dicta, & tamen non habeat perfectionem. Quæritur proinde, an teneatur habere perfectionem, quæ juxta S. Thomam *quæst. cit. art.*3. consistit in his duobus: primo, & quidem essentiali-

tialiter, in observatione præceptorum; secundo, & instrumentaliter, in observatione consiliorum?

182. His præmissis, dico, Episcopum Titularem teneri habere perfectionem vitæ Christianæ. Ita, loquendo de Episcopis in genere, docent omnes Scriptores, teste Cardinali Bellarmino in Opusculo ad Nepotem *controv. 4.* ac præsertim S. Thomas 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 7. Probatur 1. auctoritate; nam Dominus *Matth.* 5. ait: *Vos estis sal terræ, & lux mundi:* & Apostolus *ad Titum 2. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum &c.* unde concludit Bellarminus *loc. cit. Hæc igitur est veritas* [*nempe Episcopos debere esse perfectos*]; *sed non omnes capiunt verbum istud*. Probatur 2. ratione; quia, ex Lessio *de just. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. aliisque, status Episcopalis secundum rectum ordinem perfectionem supponit; tum ex eo quod talis status postulet charitatem adeo intensam, ut quis paratus sit animam suam ponere pro ovibus suis, & eas ad perfectionem nitatur adducere; tum ex eo quod munus Episcopi sit conferre Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, quibus efficimur perfecti Christiani, & ministri Ecclesiæ: unde habentes tale munus, utpote perficientes, debent secundum rectum ordinem esse perfecti. Porro has rationes in Episcopos etiam Titulares cadere, ac propterea etiam in ipsis perfectionem supponi, pronum est cuilibet animadvertere.

183. Hinc inferes 1. Episcopos inter, ac Religiosos hoc esse discrimen, quod Religiosi sunt in statu perfectionis acquirendæ; Episcopi sunt in statu perfectionis acquisitæ.

184. Inferes 2. Episcopis etiam Titularibus incumbere, non solum præcepta omnibus communia, & propria sui status, sancte custodire, sed etiam eam charitatem Dei, & proximi habere I. ut omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo, ex S. Thoma *loc. cit. art.* 7. & Bellarmino *loc. cit.* II. ut Angelica puritate Deo ministrent, & nullam unquam suspicionem incontinentiæ præbeant: proinde, inquit Bellarminus, non habeant domi personam ullam vel ob adolescentiam, vel ob ornatum, ad quam carnali affectione propensi credantur: foris autem cum nulla unquam muliere sine testibus loquantur, atque id potissimum erga Sanctimoniales observent; incredibile enim est, quam contemptibilis reddatur Episcopus, si aut verbis, aut factis ullum incontinentiæ signum dederit: Bellarm. ad Nepotem *cont.* 4. III. ut humiliter obediant Dei, & superiorum mandatis non solum gravibus, sed etiam levibus, juxta Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. *de reform.* & præcipue obtemperent illi præcepto a S. Joanne Evangelista *in* 1. *Epistola* promulgato, quo jubentur non solum pro fratribus animam ponere, sed multo magis divitias, quietem, delicias, & commoda omnia.

185. Oppones. Episcopus Titularis, ut supra diximus, non tenetur per accidens eam habere doctrinam, quam tenentur habere cæteri Episcopi: ergo similiter per accidens, ex eo quod actualiter non exerceat curam animarum, non tenebitur habere perfectionem, quam tenentur habere cæteri Episcopi. Sed contra est. Nam status Episcopalis exigit doctrinam commensuratam officio, quod

quod Episcopus exercere debet: perfectionem vero non solum commensuratam officio, quod exercere debet, sed etiam characteri, dignitati, ac sponsioni, quam Episcopus facit in sua consecratione. Cum itaque officium Episcopi Titularis per accidens non extendatur, nisi ad Sacerdotalia, & Pontificalia peragenda, sequitur, quod doctrina his muneribus peragendis sufficiens, sit etiam per accidens sufficiens Episcopo Titulari. At character, dignitas, sponsio, quam facit Episcopus in sua consecratione, cum sit æqualis in omnibus Episcopis; sequitur, quod sicut in aliis requirit perfectionem acquisitam, ita etiam in Titularibus. Non negaverim tamen, ob defectum actualis ac liberæ curæ animarum, eum vel paucioribus præceptis obstringi, vel facilius excusari: ut patebit ex infra dicendis.

186. Quæres 2. an Episcopi Titulares teneantur intra trimestre a die confirmationis suscipere consecrationem? Resp. præceptum esse Episcopis suscipere consecrationem intra tres menses a die confirmationis, nisi forte inexcusabilis necessitas cogeret Ordinationis tempus amplius prorogari, ut ex Concilio Chalcedonensi decernitur *in Can. Quoniam*, 2. *dist.* 75. & recentius a Tridentino *sess.* 23. *cap.* 2. *de ref.* ubi insuper in pœnam adjicitur, ut, si electus & confirmatus munus consecrationis intra illud tempus non susceperit, ad fructuum perceptorum restitutionem teneatur; &, si intra totidem menses postea id facere neglexerit, sit ipso jure privatus Ecclesia. Jam vero tale præceptum afficit Episcopos etiam Titulares, & consequenter hi tenentur intra trimestre a die confirmationis suscipere consecrationem. Ita Squillant. *de Obligat. Episc. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 38. Ratio est; quia etiam respectu Episcopi Titularis inconveniens est, ut conjugium spirituale cum sua Ecclesia jam ratum per confirmationem, ultra tale tempus non consummetur per consecrationem: siquidem etiam respectu ipsius verificaretur, quod Ecclesia esset provisa de Pastore, & simul indigeret alieno Pastore ad ea quæ sunt Ordinis, & quidem per longum tempus, ac sine justa causa, ut suppono.

187. Quamquam vero non teneretur in tali casu ad restitutionem fructuum, ex eo quod nullos perceperit, si tamen aliquos ex Episcopatu Titulari percepisset, v. g. ex Episcopatu Nazareno, vel Atheniensi &c. habente annuos redditus (sunt enim nonnulli Episcopatus Titulares, qui in nostris regionibus habent assignationem quamdam redditiuum), clarum est, quod ad talem restitutionem teneretur: sicuti etiam incurreret pœnam privationis Episcopatus, si in contumacia persisteret tempore præfixo ad privationem: ubi non te lateat, hanc pœnam privationis Episcopatus, & fructuum, probabiliter non ligare, quousque sententia declaratoria negligentiæ Episcopi non accesserit: ex Lessio *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 103. Castropal. *de Benef. disp.* 5. *p.* 6. Neque obstat, damnatam esse ab Alexandro VII. propositionem 20. asserentem, non deberi a Beneficiariis non recitantibus Horas Canonicas restitutionem fructuum ante sententiam declaratoriam &c. etenim in casu de Beneficiariis non recitantibus, clare apparet ex Bulla S. Pii V. legislatorem velle, eam restitutionem fieri ante Judicis sententiam; dicuntur siquidem in ea Bulla fructus injuste retineri post omissionem recitationis: at in casu præsenti non clare apparet hæc legislatoris volun-

voluntas; uti expendit Lessius adducens *loc. cit.* verba Tridentini: unde est disparitas.

188. At sciscitaberis duo: 1. an Episcopus Titularis nullos habens redditus ex Episcopatu in partibus, multam aliquam incurreret, si absque justa causa ultra tres menses differret consecrationem? 2. quomodo ipse privabitur Episcopatu, cujus nunquam possessionem inivit? ℞. ad 1. Si esset Suffraganeus, vel Vicarius Apostolicus quo ad Pontificalia, privaretur redditibus Suffraganeatus, vel Vicariatus; nam, ut diximus, Suffraganeus iis frui debet, quatenus inserviat; non autem inserviret, quousque careret consecratione. Si autem neque esset Suffraganeus, neque Vicarius Apostolicus, unde nullos haberet fructus neque ex Episcopatu, neque ex hujusmodi officio; puto, quod tunc esset puniendus aliis pœnis ob talem negligentiam, ex adductis ab Engel *tit. de pœnis num.* 5. ℞. ad 2. Privaretur jure in re, quod habet ad talem Ecclesiam in partibus Infidelium: nam post confirmationem electus acquirit jus in re, & perfectum quasi dominium in Prælatura respectu talis Ecclesiæ, *Cap. fin. de translat. Episcopi*.

189. Quæres 3. an Archiepiscopus Titularis teneatur petere Pallium intra tres menses a die consecrationis, vel confirmationis? ℞. per se loquendo, ac de jure ordinario, teneri; per accidens autem, ac de stylo præsenti Curiæ Romanæ, non teneri. Prima pars probatur; tum quia de jure communi *in Can. Quoniam dist.* 100. injungitur omnibus Archiepiscopis, ne ultra tres menses a die consecrationis, vel confirmationis, si antea erant consecrati, differant a S. Sede Pallium exposcere: cum autem etiam Titulares Archiepiscopi sint vere Archiepiscopi ac Metropolitani, sequitur &c. tum quia etiam Titulares Archiepiscopi debent nominari Archiepiscopi; item debent, per se loquendo, conficere Chrisma, ordinare Clericos, &c. hæc autem munera nequeunt obire ante Pallium acceptum, nec ante talem acceptionem possunt se Archiepiscopos nominare, *ex Cap. Nisi, de auctorit. & usu Pallii*, & *ex Cap. Quod sicut §. Præterea, de elect.* unde sequitur, quod etiam ipsi debeant Pallium exposcere, saltem si velint ita nominari, & ea munera obire.

190. Altera pars probatur; quia juxta præsentem Curiæ stylum, de quo testatur Baldassarr. *in Opusc. de Pallio*, non solent ejusmodi Archiepiscopi, seu Metropolitani, Pallium exposcere, nec accipere (limites in Archiepiscopo Nazareno): & hoc non obstante, ex speciali Sedis Apostolicæ Indulto, seu concessione, vocantur Archiepiscopi, ordinant Clericos, consecrant Episcopos &c.

191. Dubitabis, an Patriarchæ Titulares possint conferre Pallium suis respective Archiepiscopis, sicuti olim poterant ex privilegio, Patriarchæ scilicet Constantinopolitanus, Antiochenus &c.? Resp. negative. Ita Wiestner, Pikler, Schmalzgrueber, aliique *hoc tit. de Pallio*. Ratio est; quia vel tales Sedes Patriarchales hodie amiserunt tale privilegium, vel certe ejus usus non permittitur Patriarchis Titularibus, præsertim cum tales Patriarchæ Titulares non accipiant Pallium; & privilegium erat, ut, post acceptum a Sede Apostolica Pallium, possent ipsi aliis conferre.

192. Quæ-

192. Quæres 4. an Episcopi Titulares debeant emittere professionem Fidei? Resp. affirmative. Ratio est; quia ex duplici lege Episcopi tenentur ad talem professionem Fidei: altera nempe ex Constitutione Gregorii XIV. incipiente *Onus Apostolicæ servitutis*, qua omnes Episcopi ad talem professionem, & ad juramentum arctantur, cujus professionis & juramenti forma traditur in Pontificali Romano auctoritate Clementis VIII. edito *fol.79.* altera ex decreto Tridentini *seff.26. cap.2. de reform.* ubi statuitur, omnes Episcopos &c. teneri ad hanc professionem emittendam in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint. Jam vero Titulares Episcopi obligantur ad hujusmodi professionem, ac juramentum, ex Constitutione illa Gregorii XIV. ut constat ex praxi Romanæ Curiæ. Obligantur etiam ex Tridentini sanctione in Provinciali Concilio eam emittere, siquando in partibus Infidelium tale Concilium haberetur, & ipsi eidem interessent, ut notat Squillant. *in part.1. cap.11. de oblig. Episcop.* Verum, cum talia Concilia in iis partibus non habeantur, iidem ab ea Tridentinæ sanctionis observatione actuali excusantur.

193. Quæres 5. an teneantur residere in propria diœcesi in partibus Infidelium? Resp. Gravissima est hæc quæstio, quam respectu Episcoporum Titularium tractaverunt Corradus *dispensat. Apost. lib.5. cap.8.* Barbosa *de Potestate Episcopi part.1. tit.1. cap.6.* Anton. Pagan. Ord. Min. *in Tract. de Resident. Episcop.* aliique. Hanc ut resolvam, sciendum est 1. residentiam describi a Leurenio *in foro Beneficiali part.1.sect.3. quæst.363.*sic: *Est præsentia personæ, seu commoratio assidua in loco Beneficii, seu apud Ecclesiam, ad effectum illi personaliter deserviendi, sive ad servitium Ecclesiasticum personaliter præstandum.* Sciendum est 2. obligationem residendi respectu Episcoporum &c. saltem in thesi, idest in genere, & prout abstrahitur a casibus particularibus, certis circumstantiis, & conditionibus, esse de jure Divino: ex communi DD. contra Catharinum, & ex Tridentino *seff.23. cap.1. de reform.* ubi sancta Synodus obligationem residendi probat ex sacris litteris, & declarat, alias munus Pastorale obiri debito modo, uti sacræ litteræ præcipiunt, & res ipsa postulat, non posse, licet hanc suam doctrinam non posuerit inter canones, & dogmata Fidei, sed solum inter decreta reformationis. Sciendum est 3. eamdem residendi obligationem in certis casibus, & circumstantiis loci, temporis, personæ &c. desinere secundum jus Divinum, & manere tantum obligationem juris Ecclesiastici, in quo Papa dispensare potest, & sæpe solet, idque vel in casibus specialibus, vel generali lege: ex Layman *de Benef. cap.6.* juxta doctrinam S. Thomæ, & Cajetani *2. 2. quæst.185. art.5.*

194. His præmissis, dico 1. Episcopos etiam Titulares in thesi, & abstrahendo a circumstantiis, teneri jure Divino ad residendum personaliter in propria diœcesi in partibus Infidelium; adeo ut, si salus animarum exigeret eorum præsentiam in illis partibus, non possent iis abesse propter aliquod suum commodum temporale, imo nec propter propriæ personæ periculum declinandum. Ita Corradus *loc.cit.* Layman *loc.cit.* aliique. Ratio est; quia omnes Episcopi cum debeant jure Divino attendere sibi, & gregi sibi commisso, procurando, ut oves aliquas, saltem unam pristinæ saluti restituant, vel Chri-

sto

ſto adjungant &c. nec id debite præſtare poſſint, ex Tridentino *loc. cit.* niſi perſonaliter reſideant, ſequitur, quod jure Divino omnes Epiſcopi teneantur reſidere: cum autem etiam Titulares ſint vere Epiſcopi, & etiam illis incumbat attendere ſibi, & univerſo gregi, ſequitur, quod etiam illi eodem jure teneantur &c. adeo ut, ſi neceſſaria abſolute eſſet eorum præſentia ad unam earum animarum ſalvandam, non poſſent a reſidentia ſe eximere, neque ob periculum vitæ; ſiquidem bonus Paſtor animam ſuam pro ovibus dare debet, *Joan.* 10.

195. Dico ſecundo. Epiſcopi Titulares in hypotheſi, ideſt in præſenti circumſtantia, in qua nulla, vel exigua ſpes eſt eorum præſentiam fore utilem in illis partibus, & in qua illis populis vel utilius, vel æque utile eſt, ut actualis cura reducendi eos ad Fidem &c. adminiſtretur a Summo Pontifice per Miſſionarios Apoſtolicos &c. non tenentur ex jure Divino, ſed ſolum ex jure Eccleſiaſtico ad reſidentiam. Ab hac tamen obligatione juris Eccleſiaſtici ſolet Papa cum iis diſpenſare, quouſque ab Infidelibus eorum reſpective Eccleſia detinebitur. Et quidem, quod non teneantur jure Divino in tali circumſtantia, ſuadetur; quia talis ac tanta obligatio eſt propter ſalutem animarum, ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 5. unde, cum in tali circumſtantia ceſſet neceſſitas eorum præſentiæ ad finem ſalutis animarum, ceſſat etiam ea obligatio, ex Layman *de Benef. cap.* 6. Quod teneantur jure Eccleſiaſtico, conſtat; nam, quando ipſi præficiuntur in partibus Infidelium, Summus Pontifex iis inter cætera præcipit, ut, poſtquam Litteras ſuper proviſione, & præfectione hujuſmodi ipſi habebunt expeditas, ad ſuam Eccleſiam ſe conferant, & perſonaliter in ea reſideant. Vid. Corrad. *loc. cit.* Quod vero ſoleat Pontifex cum iis diſpenſare in hac obligatione, conſtat ex Litteris Apoſtolicis; nam ibi ait Pontifex: *Inſuper tibi, quod, donec dicta Eccleſia ab Infidelibus detinebitur, ad illam accedere, & apud eam perſonaliter reſidere, minime tenearis, dicta Apoſtolica auctoritate indulgemus.*

196. Hinc 1. Epiſcopis Titularibus incumbit, ut animum retineant reſidendi in ſua Eccleſia, ſi opportunitas adſit, & neceſſitas animarum requirat, ex S. Thoma *quæſt.* 185. *art.* 5. *ad* 3. item, ut animum habeant eo ſe conferendi, quando contingeret, ut talis civitas, ſeu Eccleſia in Chriſtianorum Principum veniret poteſtatem. De facto refert Flechier *in Hiſt. Card. Ximenes lib.* 3. *a pag.* 454. Ludovicum Guillelmum Franciſcanum Epiſcopum in partibus, titulo de Oran. ſtatim ac ea civitas in Hiſpanorum ditionem redacta fuit, ad eam ſe contuliſſe, ut ibidem reſideret, & quamquam id ei Hiſpani nollent permittere, tamen Romanus Pontifex acriter pro Epiſcopo ſtetit, donec idem Epiſcopus ad alium Epiſcopatum translatus eſt.

197. Hinc 2. laudabile eſſet, atque opus zelo Apoſtolico dignum, ut ejuſmodi Titulares Epiſcopi, habita a Romano Pontifice venia, ad ſuam Eccleſiam proficiſcerentur, ut ad Evangelii agnitionem eos populos ſibi commiſſos reducerent, vel, qui ibi ſunt Fideles, in Fide & Religione ſollicite conſervarent. Sic olim ſancte, nec ſine fructu, fecit B. Bartholomæus Bononienſis, declaratus Armeniæ Archiepiſcopus, ex Ordine Prædicatorum; ut refert ex Turriano Bollius apud Barboſam *de Poteſtate Epiſcopi part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6.

198. Quæres 6. an Episcopi Titulares absentes a suis Ecclesiis teneantur pro suo populo orare, & Missæ Sacrificium offerre? Resp. præmittendo, Romanum Pontificem ejusmodi Episcopis, ut constat ex Litteris Apostolicis, committere curam, regimen, & administrationem suarum respective Ecclesiarum: quamvis autem ob varias circumstantias actualitatem talis curæ, regiminis, & administrationis idem Romanus Pontifex vel Vicariis Apostolicis, vel aliis a se deputatis idoneis viris demandet, non proinde eos ab omni prorsus earumdem Ecclesiarum spirituali cura absolvit. Probo hoc; quia quando cura habitualis animarum est penes certam personam, cura vero actualis, seu exercitium est penes alteram, tunc sponsus & Pastor Ecclesiæ dicitur & est ille qui habet curam habitualem, ex Leuren. *part.* 1. *quæst.* 68. *in foro beneficiali*: unde in casu nostro Episcopus Titularis est sponsus & Pastor Ecclesiæ in partibus. Sicuti autem sponsus non omni prorsus cura solvitur erga sponsam, quando ista sine sua culpa separatur a sponso, ut docet Bonacina cum Sanchez *lib.* 9. *disp.* 4. *num.* 25. siquidem *quod culpa caret, in damnum vocari non debet*, text. *in Cap.* 2. *de constit.* ita nec Episcopus est immunis ab omni cura erga suam Ecclesiam, quando ista sine sua culpa redacta est in Infidelium captivitatem, & ab alio administratur &c. perseverante vinculo spiritualis matrimonii.

199. Hoc posito, dico 1. Episcopi Titulares tenentur aliquoties pro suo populo, seu pro sua Ecclesia orare. Ratio est; quia ex una parte certum est, Episcopos in genere teneri orare pro populo sibi commisso: uti constat tum ex jure Canonico *dist.* 36. *Can. Si quis vult*, ubi habetur: *Oret ergo & Sacerdos indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles &c.* tum ex jure Civili *L. Omnes, C. de Episc.* ubi sic declaratur: *Ob id ordinari Sacerdotes, ut suis precibus benignitatem humanissimi Dei rebus acquirant communibus*: tum ex Tridentino *sess.* 23. *de reform. cap.* 1.

200. Ex altera vero parte certum est, habentem plures obligationes, & excusatum ab una earum parte ob varia impedimenta, debere servare eam partem quam potest; siquidem *ex regul.* 37. *in* 6. *utile non debet per inutile vitiari.* Cum igitur Episcopi Titulares impediantur propter varias circumstantias ab executione plurium obligationum Episcopalium erga suum populum, & possint commode servare hanc obligationem orandi pro illo, eam servare omnino debent.

201. Neque obstat, quod nullos fructus percipiant ex sua Ecclesia: nam sicuti sponsus ducens pauperem indotatam, tenetur eam alere, præstando ea quæ potest, ex Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 5. *num.* 8. ita Episcopus ducens Ecclesiam pauperem, ac nullos habentem redditus, tenetur, hoc non obstante, ea illi exhibere quæ potest commode, & ad quæ alias teneretur.

202. Dico 2. non teneri Missæ Sacrificium applicare pro suo populo saltem sub mortali. Ratio est; quia incertum est, an Episcopi in genere teneantur vel quotidie, vel certis diebus, applicare Missam pro suo populo: nam talis obligatio non colligitur neque ex fine institutionis Episcopatuum; instituti enim sunt ad finem pascendi animas; & ad pabulum spirituale animarum non pertinet oblatio, seu applicatio Sacrificii: neque ex præcepto aliquo positivo extendente se ad Episcopos; quale videtur extare relate ad Parochos, ex pluribus

bus declarationibus Sacræ Congregationis *: neque ex eo quod Episcopi habeant redditus a populo, nam habent etiam alia pastoralia munera, ratione quorum redditus Ecclesiasticos recipiunt: neque demum ex consuetudine, quæ non probatur. Rursus incertum est, an Episcopi Titulares, etiam admissa tali obligatione in aliis Episcopis, eadem comprehendantur; quandoquidem in iis est dispar ratio, tum propter defectum reddit.uum, tum ex eo quod probabilius est, pro Infidelibus (quales supponuntur populi Episcopi Titularis) non posse Missæ Sacrificium applicari nomine Christi, & Ecclesiæ. Sic Sotus *lib.9. de just. q.2. art.2. ad 3.* Vasquez *disp.227. cap.3.* aliique apud Castropalaum. Unde cum non sit apponenda gravis obligatio, si de illa non constet, sequitur, quod, stante tali incertitudine hujus gravis obligationis, ea non sit apponenda Episcopis Titularibus.

203. Quæres 7. an Episcopi Titulares teneantur legibus ejus Diœcesani, in cujus diœcesi domicilium habent ratione originis, vel patrimonii, vel officii &c.? Resp. Supponendum est primo, Episcopos Titulares non habere extra propriam diœcesim fixum ac stabile domicilium: cum enim debeant ex dictis retinere animum personaliter accedendi ad propriam diœcesim, quandocumque animarum salus id exiget &c. nequeunt habere animum perpetuo manendi in eo loco, in quo manent, saltem absolute loquendo; unde censentur quidem habere quasi domicilium in loco quem eligunt pro sua ordinaria habitatione, non vero proprium domicilium. Vid. Sanchez *lib.8. de matr. disp.18. quæst.1.* Supponendum est 2. sermonem esse de legibus particularibus Episcopi diœcesani, quæ habent rationem, & materiam de se universalem, & communem ipsi Episcopo Titulari, ut est lex de aliquo jejunio, de observatione alicujus festi &c. nam, si materia, vel ratio legis non sit communis, aut Episcopali dignitati minime accommodata, clarum est, Titularem Episcopum ea non teneri. V. G. non teneretur ea lege, qua præciperetur Clericis interesse alicui Processioni, vel Synodo diœcesanæ &c. vel præciperetur dari præcedentiam alicui Præposito, vel Decano &c.

204. His suppositis, dico, Episcopum Titularem teneri legibus Episcopi diœcesani, in cujus diœcesi commoratur ad longum tempus, quo ad vim directivam, non autem quo ad vim coactivam, nisi ipse fuerit in ea diœcesi Parochus, vel Canonicus &c. nam tunc in concernentibus officium Parochi, vel Canonici &c. teneretur etiam quo ad vim coactivam.

205. Prima pars probatur; quia Episcopus Titularis cum habeat in ea diœcesi quasi domicilium, consideratur veluti pars illius diœcesis; ideoque naturali ratione æquum est, ut servet ea quæ a tota diœcesi servantur: *turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens*: ait S. Augustin. *Confess. lib.3. cap.8.* Accedit, quod Episcopus loci habet potestatem necessariam ad rectam gubernationem suæ diœcesis, & ad ejus bonos mores tuendos: ergo

 habet

* **Nota, quod hujusmodi præceptum relate ad Parochos jam certo extare constat ex recenti Constitutione Bened.XIV. *Cum semper &c. sub die 19. Augusti 1744.* ubi præcipitur applicatio Missæ Parochialis pro populo diebus festis &c. *Bullar. tom.1. pag.366.***

habet potestatem ad ferendas leges, quas omnes ibi commorantes saltem ad longum tempus servare teneantur: & consequenter, si eas ferat, iis tenebitur Episcopus Titularis ibidem commorans. Sic ex Suarez *de leg. lib.* 3. *cap.* 33. Neque obstat, quod juxta communem sententiam Canonistarum Legatus non teneatur in provincia legibus Episcopi diœcesalibus; nam est dispar ratio: siquidem Legatus est superior jurisdictione respectu Episcopi; leges autem latæ ab inferiore nullam vim habent erga superiorem: quod porro non verificatur respectu Episcopi Titularis.

206. Hinc, si Episcopus diœcesanus prohibeat universaliter accessum ad Moniales, non poterit vel directe, vel indirecte, ex vi talis legis, Episcopus Titularis ad eas accedere sine licentia vel tacita, vel præsumpta Episcopi diœcesani. Ita de Alexand. *in Conf. Mon.* Pellizz. *de Clauf. Monial. cap.* 5. *sect.* 5. *quæst.* 10. Sac. Congregatio *in Januen.* 10. *Maji* 1631. apud Barbos. *Jur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 169.

207. Altera pars probatur; nam Episcopus Titularis cum ratione dignitatis sit exemptus a jurisdictione Episcopi diœcesani, nequit per habitationem in ipsius diœcesi eidem subdi quo ad vim coactivam. Ita Suarez *de leg. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 10. Hinc, lata ab Episcopo pœna excommunicationis contra indebite accedentes ad Moniales, eam non incurreret Episcopus Titularis indebite accedens; uti probat Pellizz. *loc.cit. de Clauf. Mon. cap.* 5. *sect.* 5. *quæst.* 10. ubi recte & ad rem explicat quamdam declarationem Sacræ Congregationis relatam a Tamburino *disp.* 25. *quæst.* 2. *num.* 4.

208. Tertia pars suadetur; quia Episcopi Titulares censentur voluntarie suæ exemptioni cedere in concernentibus talia officia per hoc, quod tale officium suscipiunt: unde sicuti Regulares quamvis exempti subsunt, ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* si sint Parochi, visitationi, & correctioni Episcopi diœcesani in iis quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinent; ita Episcopi Titulares, si sint Parochi, vel Canonici, in iis &c. & ita declaratum a Sacra Congregatione testatur Barbos. *tract. de Can. c.* 36. Non negaverim tamen, quod in infligenda pœna ratio dignitatis habenda esset.

209. Quæres 8. an Episcopi Titulares teneantur visitare Limina SS. Apostolorum juxta veterem sanctionem S. Gregorii Magni, & recentem Constitutionem Sixti V. incipientem *Romanus Pontifex*, editam 20. *Decembris* 1585? ℟. Vel tales Episcopi resident in propria diœcesi in partibus Infidelium, vel non? Si non resident, sed manent, ut solent, in aliqua Christiana civitate sine actuali jurisdictione, non tenentur visitare Limina. Ratio est; quia in qualibet obligatione, inquit S. Thomas, attendendus est obligationis finis: cum autem finis ejusmodi obligationis visitandi Limina sit ad recognitionem Sedis Apostolicæ, & ad consultanda dubia, negotia, & difficultates, quæ in diœcesi se obtulerunt, ex citata Constitutione Sixti V. sequitur, quod talis obligatio Episcopos Titulares non afficiat utpote non habentes suæ diœcesis negotia quæ exponant, nec habentes actuale regimen, & curam populorum, unde eorum recognitio erga Supremum Pontificem videatur ab eodem speciali-

ter

ter exigi in dicta Constitutione. Si vero resideant in partibus Infidelium, declaratum est per Sacram Congregationem de Propaganda Fide coram Urbano VIII. *die* 28. *Julii* 1626. impleri præfatam Constitutionem Sixti V. per Episcopos in partibus Infidelium residentes, si id præstiterint medio ipsorum Procuratore in Curia existente, ut testatur ex Navarro Squillant.

§. II.

De obligationibus negativis, seu de prohibitionibus.

210. QUÆ Titularibus Episcopis a sacro Concilio Tridentino sunt prohibita quo ad usum Pontificalium in aliena diœcesi, & quo ad collationem Ordinum alienis subditis, jam supra recensuimus, nec opus est, ut iterum ea referamus. Solum innuo, posse lectorem in secunda & tertia hujus Operis Parte ea reperire, &, si textum ipsum velit consulere, posse *cap.* 5. *sess.* 6. *de reform.* & *cap.* 2. *sess.* 14. *de reform.* Concilii Tridentini legere. Unde hic

211. Quæres 1. an Episcopi Titulares possint aliquid exigere ratione officii Pontificalis ultra id, quod de jure eis permittitur? ℞. negative. Ita ex textu *in Cap. Conquerentes, de officio Ordin.* Genuens. *in Manual. cap.* 77. Naldus *v. Episcopus num.* 14. Squillant. *part.* 2. *cap.* 19. aliique. Ratio est; quia exigere ultra id, quod eis jure taxatur, & permittitur, est injustum, & aliquando etiam simoniacum.

212. Hinc nequeunt quidquam accipere tanquam pretium pro consecratione Templi, Altaris, Calicis &c. quia talis acceptio esset simoniaca; siquidem tales actiones sunt spirituales, & actus potestatis Ordinis. Ita Suarez, & alii cum Pyrh. *num.* 34. Hinc pariter nequeunt aliquid etiam sponte oblatum admittere pro Ordinibus, vel pro testimonialibus, vel pro sigillo &c. præter candelam, juxta Pontificale. Ita ex Barbosa *de jure Ecclesiastico lib.* 1. *c.* 33. & habetur expresse in Tridentino *sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* Hinc demum occasione consecrationis Ecclesiæ censent Franc. Leo *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. & Riccius *in praxi p.* 1. *resol.* 495. posse Episcopos prandium aliaque victualia eundo, & redeundo, ab iis accipere, qui eorum ministerium requisiverunt, quando Ecclesia consecranda esset extra civitatem, & commode ad proprias ædes ipsi non possent redire pro sumendo prandio &c. in tali enim casu æquitas, & urbanitas exigit, ut Episcopus ab iis sustentetur, in quorum gratiam laboravit. Ubi noto, quod, si post peractam aliquam functionem Pontificalem velit aliquis titulo gratitudinis munus exhibere Episcopo, posset illud ab eo accipi, dummodo scandalum abesset, nec specialis aliqua esset prohibitio.

213. Quæres 2. an Episcopi Titulares possint emittere votum Religionis sine licentia Summi Pontificis? ℞. Tale votum potest considerari in duplici differentia, nempe absolute emissum, & conditionate emissum, scilicet sub conditione, si Pontifex consenserit. Jam vero Episcopus Titularis nequit emittere votum ingrediendi Religionem absolute. Ratio est; quia Episcopus etiam Titularis tenetur conjugio cum sua Ecclesia, quod nequit dissolvi sine consensu Pontificis,

Cap.

Cap. Nisi cum pridem, *de renunciatione*: unde nequit vovere ingressum in Religionem absolute. Idem vero Episcopus potest emittere tale votum sub conditione &c. Ratio est; quia sub tali conditione ingressus in Religionem est actio bona, honesta, nec impeditiva majoris boni; nam Pontifex expenderet, an hic & nunc talis ingressus obstaret bono communi, necne? Quod si Episcopus emitteret votum ingrediendi Religionem cum præcisione, an emitteret absolute, vel conditionate, tunc intelligeretur emisisse conditionate. Ita cum Sancto Thoma Layman *cap. 7. de voto*. Ratio est; quia votum ita potius interpretandum est, ut valeat, quam ut non valeat: atqui ejusmodi votum invalidum esset, nisi subintelligeretur conditio, si Pontifex consenserit: ergo &c.

214. Quæres 3. an Episcopus Titularis possit ingredi Religionem sine licentia Papæ? ℞. Videtur, quod sic; quia Ecclesia in partibus nullum pateretur detrimentum propter ingressum in Religionem sui Episcopi. Nihilominus dicendum est, quod non. Ratio est; quia Episcopus etiam Titularis est obstrictus suæ Ecclesiæ, sicut maritus suæ uxori, & animam suam pro ea Ecclesia ponere tenetur, sicut Christus posuit pro Ecclesia, *ex cit. Cap. Nisi cum pridem*, *de renunciatione*: quare, sicut maritus non potest deserere uxorem sine ejus consensu, ita nec Episcopus etiam Titularis potest deserere suam Ecclesiam sine ejus consensu, quem Pontifex Romanus, qui omnium Ecclesiarum curam habet, sibi reservavit. Vid. Lessius *de just. lib. 2. cap. 41. dub. 3.* Neque obstat ratio in contrarium adducta; nam ea solum probat, posse Pontificem facilius dare ejusmodi Episcopis licentiam ingrediendi Religionem, siquidem difficilius propter talem ingressum respublica detrimentum caperet.

215. Dices. Ex ratione conclusionis ideo non posset Episcopus ingredi Religionem sine consensu Papæ, quia nequit sine tali consensu deserere Ecclesiam: ergo in casu, quo non deserat, sed retineat Titulum & vinculum suæ Ecclesiæ, poterit ingredi Religionem. Accedit, quod Episcopus Titularis non deserit Ecclesiam, nec potest eam deserere; siquidem supponimus, nunquam ejus possessionem inivisse. Sed contra est: nam nullus Episcopus potest ingredi Religionem, absque eo quod deserat Episcopatum, ex Innocentio III. *in Cap. Post translationem*, *de renunc.* Deinde Episcopus Titularis quamvis non inverit possessionem suæ Ecclesiæ, tamen per confirmationem acquisivit jus in re respectu talis Ecclesiæ, & habet cum eadem spirituale matrimonium ratum per confirmationem, consummatum per consecrationem: unde deberet tali Ecclesiæ renunciare, ut ingrederetur Religionem, & sic eam desereret.

216. Quæres 4. an possit Episcopus Titularis Advocati officium gerere? ℞. non posse. Ratio est; quia omnibus Episcopis id vetitum est *in Can. Pervenit ad sanctam Synodum, dist.* 86. Squillant. *de prohib. Episc. part. 2. cap. 22.* Franciscus Ansaldus *de jurisd. Ecclesiast. par. 2. tit. 11. cap. 30. num. 5.* Excipe officium Advocati Consistorialis; nam, ex Card. de Luca *in Relat. Curiæ disc. 46. num. 52.* hoc habent speciale Episcopi Titulares, ut possint esse simul Advocati Consistoriales.

217. Quæres 5. an Episcopi Titulares possint aliquam negotiationem exercere ad honestum sui sustentationem? ℞. Vel manent in partibus Catholicorum,

vel

vel resident in partibus Infidelium? Si manent in partibus Catholicorum, certum videtur, eos non posse; quia vel non dabitur necessitas gravis eos excusans a prohibitione *in Cap. Negotiatorum*, & *Cap. fin. de vit. & honestate Clericorum*, vel in sensu composito talis necessitatis dabitur commoditas recurrendi pro opportuna licentia ad Summum Pontificem: unde nunquam regulariter dabitur necessitas gravis permittens negotiari sine expressa licentia; quia non est vera gravis necessitas, quando adest tempus, & opportunitas recurrendi ad Superiorem, ut multis citatis docet Verricelli *quæst.* 104. *num.* 10. Si vero resideant in partibus Infidelium, poterit dari casus, in quo ob sui sustentationem necessariam excusentur in tali prohibitione. Sic ex Castropal. *de Stat. Relig. disp.* 4. *par.* 13. §. 4. Molin. *tr.* 2. *de Just. disp.* 342. Non enim lex Ecclesiastica, quæ solum ob decentiam status constituta est, ita rigide obligat, ut vetet medium hic & nunc necessarium ad sui sustentationem. Notes tamen ex Bulla Urbani VIII. in ordine *la* 126. prohibitum esse omnibus & singulis Religiosis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne mercaturæ, seu negotiationibus se immisceant sive directe, sive indirecte, aut quovis alio prætextu, seu colore &c. *

218. Quæres 6. an Episcopi Titulares possint retinere, ac legere libros prohibitos? ℟. libros alios esse prohibitos in Bulla Cœnæ sub excommunicatione reservata, quales sunt Hæreticorum libri de hæresi, aut de Religione tractantes; & ad hanc classem reduci possunt libri astrologiæ judiciariæ &c. alios esse prohibitos in Indice sub excommunicatione non reservata, quales sunt libri Catholicorum hæresim continentes, vel suspectam de hæresi doctrinam: alios in Indice pariter prohibitos sine excommunicatione, sed sub peccato mortali, quales sunt libri prohibiti neque ob hæresim, neque ob hæresis suspicionem, sed ob aliam causam: Bonac. *de cens. in part. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 4.

219. Jam vero dico 1. Episcopi Titulares, sive degant in partibus Catholicis, sive resideant in partibus Infidelium, nequeunt sine licentia retinere, aut legere libros prohibitos in prima classe. Et quidem conclusio certa est, si ipsi maneant inter Catholicos: nam licet olim Episcopi actuales possent tales libros legere ad confutandos errores, ex Conc. Carth. IV. *can.* 10. Hormisda Papa *epist.* 56. *ad Possessorem Episcopum*; hodie tamen non possunt eos retinere, vel legere, ex Pontificia Constitutione Julii III. Pauli IV. & Pii IV. apud Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 13. & docent Penia *in Direct. part.* 2. *comm.* 3. *vers. Falluntur ergo Episcopi*, Suarez *de Fide disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 26. aliique. Cum igitur eos non possint legere Episcopi habentes actuale regimen suæ Ecclesiæ, a fortiori non poterunt Episcopi Titulares. Si vero ejusmodi Episcopi resideant in partibus Infidelium, videri posset, quod licite eos legant ad eorum confutationem tum ex privilegio concesso a Clemente VIII. Missionariis Apostolicis in partibus Infidelium apud Verricelli *quæst.* 98. §. 28. tum ex necessitate. Tamen sentiendum est, quod illicite id facerent; tum quia privilegium illud Clementis VIII. revocatum esse ostendit Verricelli *qu.* 299. *de Apost. Mission.* tum quia, si est necessitas eos legendi, non est necessi-

* **Notes etiam a Bened. XIV. in Constit. *Apostolicæ Servitutis &c.* edita die 25. *Febr.* 1741. quamlibet negotiationem Clericis interdici, etiam sub alieno laici nomine &c. *Bullar. tom.* I. *pag.* 32.**

cessitas eos legendi sine licentia, quam possunt obtinere, antequam in eas partes se conferant ejusmodi Episcopi.

220. Dico 2. Episcopi Titulares sive in partibus Catholicis, sive in partibus Infidelium existentes, nequeunt legere, aut retinere libros prohibitos in secunda, & tertia classe. Ratio est; quia a tali lege prohibente eos libros comprehenduntur etiam Episcopi habentes actuale regimen, ut docet Carena *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 43. Squillant. *de Prohib. Episcop. p.* 2. *cap.* 13. Undè valet discursus in superioribus factus, quod a fortiori comprehendantur Titulares.

221. Quæres 7. an Episcopi Titulares sine licentia possint in aliena diœcesi accedere ad Moniales, quando nulla adsit Episcopi diœcesani prohibitio? R. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 48. cum Graffio affirmat; quia, inquit, experientia docet, Episcopos sine scrupulo cum Monialibus loqui in aliena diœcesi absque Ordinariorum licentia. Nihilominus respondendum censeo negative cum Gratiano *tom.* 2. *cap.* 393. de Alexandris &c. quia non solum frequens, sed etiam simplex accessus sine licentia ad Moniales prohibetur ex variis juribus apud Pelliz. *de Monial. cap.* 5. *num.* 194. Relate tamen ad Episcopos benignius aliquot jura interpretatur Bonacin. *de Clauf. quæst.* 3. *part.* 2. *num.* 3.

222. Quæres 8. an Archiepiscopus, vel Patriarcha Titularis possit in aliena diœcesi, extra suum Patriarchatum &c. de licentia Episcopi diœcesani præferri facere Crucem elatam in aliqua Pontificali functione, quam ibi exerceat? Resp. distinguendum esse inter Patriarchas majores, nempe Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, & Archiepiscopos. Ac de illis Patriarchis etiam Titularibus dico, eos posse Crucem elatam ante se deferre, dummodo adsit licentia Ordinarii. Ratio est; quia illis ex speciali privilegio competit Crucem elatam præferre ubique, excepta Roma, & ubi Summus Pontifex, vel ejus Legatus extiterit: *ex Cap. Antiqua, de privilegiis*, Gonzalez *ibidem*, Azor. *part.* 2. *cap.* 36. *quæst.* 2. &c. Limitavi, dummodo adsit licentia Ordinarii. Ratio est; quia *sess.* 14. *de ref. cap.* 2. videtur Tridentini Concilii mens esse, ne ejusmodi Titulares sive Patriarchæ, sive Episcopi, quidquam redolens superioritatem attentent in aliena diœcesi sine licentia Ordinarii.

223. De Archiepiscopis autem dico, eos id non posse neque de licentia Ordinarii. Ratio est; quia facultas eis jure communi concessa deferendi ante se Crucem, est restricta intra fines sui Archiepiscopatus, seu provinciæ, ex Gonzalez *in Cap.* 1. *ne lit. pendent.* & *in cit. Cap. Antiqua &c.* ergo nequit sine auctoritate Papæ talis facultas extendi ultra eos fines: nam privilegium pro certo loco concessum a Summo Pontifice, nequit per inferiorem extendi ad alium locum, *ex Cap. Sane, de priv.* & Glossa *ibi: Speciale non debet trahi ad generale*. Excipe Archiepiscopum Nazarenum, qui ubique Crucem fert ex privilegio.

224. Quæres 8. an Episcopi subordinati Congregationi de Propaganda Fide possint extra proprias Ecclesias de consensu Ordinarii exercere Pontificalia? Resp. non posse, ex decreto ejusdem Sacræ Congregationis *die* 28. *Martii* 1651. apud Verricelli *quæst.* 229. & quidem sub pœna suspensionis reservatæ Pontifici. Limites, dummodo non fuerint a Sacra Congregatione deputati Vicarii Apostolici, seu Administratores in aliquo certo loco: Verricelli *ibidem*.

FINIS QUARTÆ PARTIS.

PARS

PARS QUINTA

DE PRIVILEGIIS EPISCOPORUM TITULARIUM.

CAPUT UNICUM.

225. Ignitas Episcopalis multis ornata est privilegiis, ut videre est apud Squillant. qui in Opere satis erudito ea dispositæ refert, explicatque. Cum autem ex iis alia requirant jurisdictionem completam in diœcesim; alia possessionem, & administrationem actualem ejusdem; alia demum respiciant solam dignitatem Episcopalem: sequitur, quod per accidens eorum aliqua non competant Episcopis Titularibus; aliqua vero etiam ipsis, licet non habentibus jurisdictionem completam, nec actualem possessionem, administrationemque diœcesis, tamen ob Episcopalis dignitatis prærogativam jure conveniant. Unde in hac ultima Parte videndum erit, quænam sint ejusmodi privilegia Episcopis Titularibus competentia.

226. Quæres igitur 1. an Episcopi Titulares gaudeant privilegio eligendi sibi Confessarium, juxta textum *in Cap. final. de pœnit. & remiss.* Resp. supponendo, tale privilegium consistere in eo, quod possit Episcopus eligere Sacerdotem idoneum, a quo in foro interno absolvatur tum a peccatis, tum a censuris &c. juxta formam talis privilegii. Hoc supposito, videtur, quod Episcopi Titulares non gaudeant tali privilegio. Ratio est; quia Episcopi Titulares non habent, ut hic supponimus, Sacerdotes sibi actualiter subditos, adeoque non habent Sacerdotes, quibus per electionem a se factam tribuant jurisdictionem necessariam ad absolvendum. Nihilominus dicendum est, Episcopos Titulares gaudere tali privilegio. Ita Suarez *de pœn. disp. 27. sect. 2. n. 5.* Henriquez *lib. 6. cap. 13. num. 3.* Squillant. *part. 3. de privil. Episc. cap. 6.* aliique. Ratio est; quia ejusmodi privilegium conceditur Episcopis, non intuitu actualis regiminis, sed intuitu dignitatis, quæ est in Episcopis Titularibus æque, ac in Episcopis residentialibus.

227. Neque obstat ratio in contrarium adducta; nam in casu electionis Sacerdos non acciperet jurisdictionem ab Episcopo Titulari eligente, sed ab ipso Summo Pontifice concedente privilegium.

228. Dubitabis 1. an Episcopus Titularis per tale privilegium possit eligere quemcumque Sacerdotem, vel debeat eligere approbatum ab Ordinario? ℞. Debet eligere approbatum ab Ordinario. Ita Vasquez *quæst. 93. art. 1. dub. 5.* Suarez *disp. 28. de pœn. sect. 4.* Bonacina *de pœn. quæst. 7. p. 3.* aliique quamplures agentes de Episcopis actualibus, qui etiam intelligendi sunt de Episcopis Titularibus. Ratio pro utraque Episcoporum classe est; quia Tri-

dentinum *sess.* 23. *cap.* 15. *de ref.* decrevit, nullum Sacerdotem reputari idoneum ad excipiendas Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, nisi aut Parochiale Beneficium, aut Episcopalem approbationem obtineat. Hoc autem decreto comprehendi etiam Episcopos, ita ut nequeant simplicem Sacerdotem non subditum, extra propriam diœcesim, non approbatum ab Ordinario, sibi eligere, ju[illegible]cavit Gregorius XIII. teste Suarez *disp.* 28. *de pœn. sect.* 4. Diana, aliisque apud Vivam *in prop.* 16. *Alex. VII.*

229. Oppones. Tale privilegium erit frustraneum, ac nullius momenti, siquidem omnes Christifideles sæculares possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem approbatum. Contra est: nam licet omnes Christifideles sæculares possint eligere Confessarium approbatum, & habentem jurisdictionem, non tamen iidem omnes possunt sibi eligere Sacerdotem approbatum quidem, at carentem jurisdictione. Episcopi autem ex vi talis privilegii possunt sibi eligere Sacerdotem approbatum, etiamsi non præhabuerit jurisdictionem; hæc siquidem conferretur illi a Pontifice per ipsam electionem factam ab Episcopo non suo extra suam diœcesim &c. unde tale privilegium non est frustraneum.

230. Dubitabis 2. an Sacerdos, qui eligitur, debeat esse approbatus ab Episcopo loci, vel sufficiat, quod sit approbatus ab aliquo Episcopo? ℞. Vel talis Sacerdos est Regularis, vel est sæcularis. Si est Regularis, debet esse approbatus ab Episcopo loci: talem enim approbationem ad idoneitatem audiendi Confessiones requirit in Regulari Clemens X. in Bulla *Superna &c.* Si est autem sæcularis, videtur res dubia, & adhuc in quæstione. Nihilominus cum de Lugo, & la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1516. probabilius censeo, Sacerdotem etiam sæcularem debere esse approbatum ab Ordinario loci, ut possit eligi ab Episcopo non suo extra propriam diœcesim &c. propter rationes ab Eminentissimo de Lugo adductas *de pœn. disp.* 21. *sect.* 2.

231. Quæres 2. an Episcopi Titulares gaudeant privilegio Canonis Concilii Viennensis, & Bullæ Cœnæ? ℞. Sciendum est, in Clementina *Si quis suadente &c.* extare excommunicationem contra percutientes, capientes, & bannientes Episcopos, & contra mandantes ejusmodi actiones: item in Bulla Cœnæ *can.* 11. extare excommunicationem contra vulnerantes, capientes, carcerantes, detinentes, hostiliter insequentes &c. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &c. Jam vero Episcopi Titulares gaudent utroque hoc privilegio; ita ut eos percutientes, vulnerantes, mutilantes, carcerantes &c. sine justa causa, & cum lethali culpa contra hos canones, incurrant excommunicationem Papæ reservatam in his decretis. Ratio est; quia tales canones, ut videre est apud Bonacinam *de cens. in part. disp.* 1. *quæst.* 12. Duardum *quæst.* 8. Alterium *de cens. cap.* 6. editi sunt intuitu consecrationis, & Ordinis Episcopalis, non ratione jurisdictionis, & actualis regiminis. Cum itaque Episcopi Titulares sint consecrati, & habeant Ordinem Episcopalem, sequitur &c.

232. Dubitabis, an ejicientes Episcopum Titularem ab illa civitate, vel terra, in qua nullam habet jurisdictionem, sed in qua vivit, & domicilium habet titulo patrimonii, originis &c. incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ edi tam in hoc canone contra ejicientes Episcopos a suis terris? ℞. affirmati-

mative. Ita Bonacina cum aliis, *de censur. in p artic. disp.* 1. *quæst.* 12. *num.* 17. Ratio est; quia in hoc casu verificarentur verba canonis excommunicantis absolute ejicientes Episcopos a suis terris: terra enim, quæ alicui, titulo vel domicilii, vel patrimonii, vel originis competit, juxta communem & vulgarem dicendi modum, dicitur sua. Vid. Alter ium *de cens. cap.* 3. *dub.* 2.

233. Quæres 3. an Episcopi Titulares gaudeant privilegio *in Cap. Quia periculosum, de sent. excom. in* 6. in quo cavetur, ne Episcopi incidant in suspensionem, vel interdictum sive a jure, sive ab homine, nisi eorum specialis, & expressa mentio fiat? Resp. affirmative. Ita in terminis Squillant. *de Privil. Episc. part.* 3. *cap.* 7. *num.* 8. Ratio est; quia tale privilegium dirigitur universaliter ad Episcopos: Titulares autem sunt vere Episcopi, & comprehenduntur sub nomine Episcoporum, juxta tradita per Pasqualigum *dec.* 87. Notes tamen, in privilegio sermonem esse de suspensione, vel interdicto, non autem de excommunicatione: unde Episcopi ligantur excommunicatione lata generaliter a Summo Pontifice, etiamsi de ipsis non fiat expressa mentio, dummodo illorum non fiat exceptio. Ita Suarez *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 3. *de cens.* Bonacin. *disp.* 1. *quæst.* 1. *de censur. in part. num.* 11. aliique apud ipsum.

234. Quæres 4. an Episcopi Titulares gaudeant privilegio fori, quo gaudent alii Episcopi; ita ut speciali reservatione eorum causæ, & ipsi, Summo Pontifici immediate subjiciantur, juxta *Can. Quamvis* 3. *quæst.* 6. & *Can. Frater* 16. *quæst.* 1? Resp. remissive ad dicta superius *Part.* 3. *cap.* 1. *num.* 4.

235. Dubitabis tamen, an ipsi in causis Fidei subjiciantur Inquisitoribus utpote habentibus potestatem procedendi contra omnes quavis dignitate illustres, nisi expresse a jure reperiantur excepti, ex Diana p. 3. *tr.* 8. *ref.* 24. *&* 25.? Resp. Episcopos excipi a potestate Inquisitorum, ita ut hi nequeant contra illos procedere, nisi de expressa Sedis Apostolicæ facultate, firmant cum aliis Carena *de Offic. Sanctæ Inquisitionis part.* 1. *tit.* 5. §. 9. *num.* 75. Squillant. *de Privil. Episc. part.* 2. *cap.* 30. ex textu *in Cap. Inquisitores, de hæret. in* 6. Nomine autem Episcoporum, contra quos nequeunt Inquisitores procedere, docet expresse Castropalaus *de Fid. disp.* 8. *punct.* 12. §. 2. *num.* 6. venire etiam Episcopos Titulares; quia sunt vere Episcopi: unde propositæ dubitationi satis fit.

236. Notes autem, quod sicut respectu aliorum Episcoporum, ita respectu Titularium, prædictum privilegium limitatur ita, ut non habeat locum, si Episcopus sit hæreticus manifestus, & suspectus de fuga, vel graviora alia mala ex dilatione comprehensionis timeantur, ex Carena *loc. cit.* & Castropal. *loc. cit.* qui etiam ajunt, non prohiberi Inquisitores secreto accipere informationes contra Episcopum, ut eas ad supremum Inquisitionis Tribunal transmittant: prout etiam docet Diana *part.* 4. *tr.* 8. *resol.* 21.

237. Notes pariter, Episcopum diœcesanum, in cujus diœcesi existit Episcopus Titularis, posse contra eumdem procedere, quando hic sit hæresis suspectus, vel crimen pertinens ad Inquisitionem committat; quia tunc Episcopus diœcesanus videtur habere in ipsum jurisdictionem ex delegatione Apostolica, juxta *Cap. Ad abolendam, de hæret.* Sic tradunt Farinaccius *quæst.* 186. *num.* 122.

Decian. *tract. crimin. lib.5. cap.21.* Castropalaus *de Fide disp.8. punct.12. §.2. sub finem.*

238. Quæres 5. an familia laica Episcopi Titularis gaudeat privilegio fori; ita ut nequeat conveniri apud Judicem laicum? Resp. affirmative, ex decreto Sacræ Congregationis Immunitatis, de quo testatur Diana *coord. tom.4. tr.1. resol.9. & tom.9. tract.2. res.*184: ita tamen, ut ejusmodi familiares conveniri debeant, & sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, non autem ab ipso Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari; uti pariter decrevit Sacra eadem Congregatio *die 3. Januarii* 1620. Ratio autem assertionis est; quia Episcopi Titulares retinent Episcopalem dignitatem, ut patet: sed in Episcopalis dignitatis privilegium familia Episcopi gaudet privilegio fori, ut pluribus relatis firmat Diana *coord. loc.cit. resol.*183. contra Cutellium *in Patrocin. reg.jur. cap.1. num.21.* ergo &c. Hinc refert Ciarlinius *controv. forens. cap.20. n.*19. Serenissimum Ducem Mantuæ *sub die 6. Aprilis* 1629. remisisse ad Episcopum Regiensem familiarem Archiepiscopi Titularis, qui sclopum contra quemdam exploserat.

239. Quæres 6. an palatium Episcopi Titularis gaudeat immunitate asyli? Resp. videri, quod non; quia privilegium asyli conceditur palatio Episcopi, habita relatione ad Ecclesiam ejus sponsam; ne domus sponsi sit minus privilegiata, quam domus sponsæ. Cum autem hoc non militet respectu Episcopi Titularis, siquidem ejus sponsa Ecclesia non est in his nostris partibus, ubi sunt ejus ædes; sequitur &c. Ita Ciarlinius *controv. forens. lib.1. cap.10. num.*10. qui etiam conatur id confirmare *ex Can. Id constituimus 17. quæst.4.* & ex Peregrino *in tr. de Imm. cap.4. num.69.* Nihilominus dicendum est, palatium Episcopi Titularis gaudere immunitate asyli. Ita in terminis Diana *coord. tom.9. tract.1. resol.16.* Probatur primo ex decreto Sac. Congregationis Immunitatis apud Riccium: deinde ex ratione; quia *in Can. Id constituimus*, absolute dicitur, *domum Episcopi gaudere privilegio immunitatis*: sed, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; ut patet *ex l. De pretio ff. de public. in rem action. &c.* & aliis juribus: ergo etiam palatium Episcopi Titularis, cum sit iste vere & proprie Episcopus, gaudet immunitate asyli. Neque obstat ratio in contrarium adducta; nam privilegium concessum palatio Episcopi, non est concessum habita relatione ad Ecclesiam, nec quia illi adhæret, nec quia habet Oratorium sacrum &c. ut fuse ostendit Castropalaus *de Imm. disp.1. punct.6.* sed est concessum in reverentiam & decorem dignitatis Episcopalis, ut *ibid.* idem Auctor docet; adeoque habet locum etiam in Episcopo Titulari: nec contrarium eruitur ex textu citato a Ciarlin. uti expendit Diana *loc. cit.* Ex quo notes, quod Episcopus diœcesanus, non autem ipse Episcopus Titularis, judicabit de reis confugientibus in tale palatium quo ad immunitatem.

240. Quæres 7. an Episcopus Titularis sit exemptus a solutione decimarum? Resp. distinguendo inter decimas personales, ac decimas reales, seu prædiales: item distinguendo inter obligationem personalem, & obligationem realem. Qua posita distinctione, certum est, Episcopos Titulares non teneri solvere

solvere decimas personales, nam decimæ personales fere nuspiam solvuntur amplius, teste Card. de Luca *disc.* 18. *de decimis num.* 16. unde sola quæstio est de decimis prædialibus: ac proinde de his

241. Dico 1. Episcopi Titulares non tenentur ad decimas prædiales obligatione personali. Ratio est; quia debitum personale decimarum fundatur in receptione spiritualium ab aliquo Pastore, qui ad hoc ex officio teneatur: sed Episcopi Titulares non habent proprium Pastorem, nisi Pontificem, qui decimas non exigit: ergo &c.

242. Dico 2. Episcopi Titulares non tenentur ad decimas ex obligatione reali ex prædiis sibi spirituali titulo assignatis in sui sustentationem, nisi prædia essent extra eorum diœcesim, & eadem jam essent oneri decimarum obnoxia, priusquam titulo spirituali destinarentur in eorum sustentationem. Ratio est; quia ex bonis quæ Clerici titulo spirituali possident in sui sustentationem, non sunt debitæ decimæ: voluit enim Ecclesia, eorum redditus absque diminutione Clericis provenire. Ita Layman *de decim. cap.* 3. citans Halensem, S. Thomam, & *Cap.* 2. *de decimis &c.* Limitavi, nisi prædia constituta extra eorum diœcesim essent antea obnoxia solutioni decimarum. Ratio est; quia in tali casu Episcopi tenerentur onere reali ad decimas, etiamsi ea prædia essent assignata in eorum sustentationem: nam res transit cum suo onere, & nequit præjudicari Parocho, intra cujus fines sita est, per hoc quod assignetur Episcopo in sustentationem. Ita, teste Pichler, habent plures contra S. Thomam & Cajet. *ex Can.* 42. *& seqq. caus.* 16. *qu.* 1.

243. Dico 3. Episcopi Titulares tenentur obligatione reali solvere decimas ex bonis, quæ possident titulo patrimoniali, vel alio modo non spirituali. Ratio est; quia illa prædia, seu bona, per se tali oneri subjecta sunt: res autem cum suo onere transit; præsertim cum per accidens sit, quod hic & nunc ab Episcopo possideantur. Ita Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 5. citans S. Thomam, Layman *loc. cit.* aliique communiter.

244. Quæres 8. an Episcopi Titulares gaudeant eo privilegio Episcoporum; quo cavetur, ut soli eorum testimonio credatur in foro sæculari? Resp. affirmative. Ratio est; quia tale privilegium concessum est ab Imperatore Theodosio, ut constat *ex Can. Omnes* 11. *qu.* 1. ob sanctitatem gradus Episcopalis; ibi enim dicitur: *Illud incorruptum habeatur, quod a sacrosancto homine secundum scientiam mentis illibatæ fuerit prolatum.* Cum autem sanctitas gradus Episcopalis sit etiam in Episcopo Titulari, sequitur &c. Quamvis vero Speculator *tit. de test.* §. *Restat &c.* censeat, tale privilegium respectu omnium Episcoporum esse correctum per *Cap. Cum a nobis, de testibus*; nihilominus contrarium est verius: ut fatetur Genuens. *in pract. Eccl. qu.* 180. cum aliis.

245. Quæres 9. an Episcopi Titulares possint deputari in Judices in causis Canonizationum quo ad inquisitiones &c.? Resp. affirmative. Ita in terminis Pignatellus *tom.* 5. *consult.* 22. quia sunt vere Episcopi. Monet tamen idem Auctor, ut id fiat solum in iis locis, ubi ipsi sunt Coadjutores, vel Suffraganei; quamquam praxis contraria sit huic monitioni, ut mihi testati sunt periti.

246. Quæres 10. an Episcopi Titulares possint gaudere privilegiis Curialium

lium Urbis? Resp. affirmative. Ita in terminis Eminentissimus Card. Petra in suo eruditissimo Opere super Bullas Pontificias, ubi *tom.5. Const. Apostolicar. in Const. Sixti IV. Const.8.* ait: *At Titulares Episcopi Curiam sequentes frui possunt hoc privilegio &c.*

247. Quæres 11. an iidem Episcopi, si sint Regulares, possint esse patrini in Baptismo, & Confirmatione? Resp. affirmative: nam quamvis tale munus prohibeatur Monachis, & Religiosis Claustralibus per textum *in Can. Non licet, & Can. Monachi, de Consecrat. dist.4.* & constat ex Rituali Romano; nihilominus, quando tales personæ fuerint assumptæ ad Episcopatum etiam Titularem, cessat respectu eorum talis prohibitio. Ita Sanchez *in Summ. tom.2. lib.6. cap.6. num.34.* Diana *part.3. tract.4. de Sacram. resol.21.* & censuit Sacra Congregatio, ut testatur Riccius *part.9. collect.* 3894.

248. Quæres 12. an eidem possint delegari causæ Episcopales ab Episcopo diœcesano? item an iisdem possint delegari causæ a Sede Apostolica? Resp. ad 1. affirmative. Ratio est; quia causæ Episcopales non exceptæ possunt cuilibet delegari, qui non prohibeatur esse Judex ordinarius, etiamsi non sit subditus delegantis. Ita ex textu, & DD. *in Cap.11. de rescript. in 6.* Notes tamen, quod Episcopus Titularis, cum non sit subditus Episcopi diœcesani, nequit ab ipso cogi ad acceptandam delegationem, per *Cap.2. de Constit. in 6.* Resp. ad 2. pariter affirmative; quia de jure ille est capax delegationis Apostolicæ, qui habet Dignitatem, vel Personatum, vel Canonicatum in Cathedralibus &c. *ex Cap.11. de rescript. in 6.* Cum autem Titulares Episcopi habeant dignitatem Episcopalem, quæ est culmen dignitatum, sequitur &c.

249. Quæres 13. an Episcopi Titulares possint in proprio palatio habere Oratorium, in quo Missæ celebrentur? Resp. distinguendo inter Oratorium, & Altare portatile: nam Oratorium est locus permanens, permanenter deputatus ad celebrationem Sacrificii, ex Card. de Lugo *Resp. mor. lib.1. dub.13.* Altare portatile est lapis consecratus, super quo possunt privilegiati jam in uno, jam in alio loco decenti Sacrificium celebrare: unde seorsim loquendum est de Oratorio, & de Altari portatili. Hoc posito

250. Dico. Episcopi etiam Titulares possunt in suo palatio habere Oratorium, seu locum stabiliter deputatum ad Missas celebrandas. Ratio est; quia Episcopi etiam Titulares, uti expresse tradunt Gobatus *in metbod. Sacrif. cas.* 8. *n.148.* Tamburinus *de Sacrif. lib.* 1. *cap.4. §. 2. num.12.* Card. de Lugo *de Euch. disp.20. sect.2.* Diana, Portel. Squillant. aliique contra Riccium *part.4. decis.74.* possunt in suo palatio deputare locum stabilem, in quo indifferenter ab omnibus Missa celebretur. Hæc autem doctrina innititur tum praxi Episcoporum, qui eam in usum sine scrupulo deducunt; tum ea ratione, quod palatium Episcopi etiam Titularis non est domus privata, ut docent Gavant. *in Rubr. Missal. part.1. tit.20.* & Pax Jordan. *tom.1. lib.4. tit.1. num.132.* cum aliis; tum demum quia hæc facultas ex una parte competit Episcopis in jure, *Can. Missarum, de Consecrat. dist.1. & Can. Concedimus, ibidem &c.* ex alia parte nec per Tridentinum, nec per Pontificem aliquem, ut infra dicam, revocata est: & videri potest Cardinalis Petra *tom.4. Const. Apost. Const.2. Urban. V. num.15.*

251. Dubitabis tamen 1. an Episcopi Titulares possint hoc privilegio uti in ipsa Urbe Roma? Resp. videri, quod non, sine speciali facultate Papæ; tum quia communiter DD. cum Navarro *cons.5. de privil.* & Diana *loc. cit. resol.5.* docent, Episcopos Romæ commorantes non posse in proprio palatio habere Oratorium, in quo Missam audiant, vel celebrent, ob reverentiam Summo Pontifici debitam; tum quia Episcopis Assistentibus Solio Pontificio hoc specialiter conceditur, ut possint etiam in Urbe Oratorium habere: ex Constitut. Gregorii XV.

252. Nihilominus, stando in rigore juris, & præscindendo a consuetudine, vel a modestia qua privilegiati nolint in Curia uti suis privilegiis sine facultate speciali, ob reverentiam Summi Pontificis, & ob facilem ad ipsum recursum, dicendum est, posse Episcopos etiam Romæ uti eo privilegio habendi Oratorium. Ita Fagnanus aperte contradicens Navarro in quæstione facti: nam ille asserebat, Cardinales non uti eo privilegio Episcopali sine speciali facultate in Urbe Roma; iste vero aperte docet, quod, statim ac creati sunt Cardinales, celebrant, & audiunt Missas in suis Cappellis, nec super hoc ullæ expediuntur litteræ a Secretaria Brevium: unde concludit, Cardinales frui hoc privilegio Episcopali, eoque posse uti etiam Romæ: Fagnan. *in Cap. Quod nonnullis, de privileg.* Et quidem idem concludendum est relate ad Episcopos. Ratio est; quia expresse, & sine ulla limitatione conceditur Episcopis in jure tale privilegium: ergo limitandum non est, cum favorabile sit, & pium: argument. *ex Cap. In his quæ ad cultum Divinum &c. de privil.* Favet Card. Petra, qui *in Const.2. Urban. V. num.32.* non negat, tale privilegium Romæ competere Episcopis; sed solum ait, eos sive ob reverentiam Summi Pontificis, sive ob facilitatem recursus, optime abstinere ab usu suarum facultatum.

253. Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Nam ad primam dic, Doctores fortasse ita communiter docere, non quia Episcopi commorantes Romæ debeant necessario se abstinere ab usu talis privilegii; sed quia debent convenienter se ab eodem abstinere, propter reverentiam Summi Pontificis. Hæc tamen convenientia intelligenda est, prout id velle Summum Pontificem peritiores Curiæ judicaverint. Ad 2. dic, Episcopis Assistentibus Solio concedi tale privilegium cum ea expressione, *etiam Romæ*, fortasse ad tollendam convenientiæ obligationem, quæ est in aliis: vel quia talem novam concessionem ita voluit limitatam Pontifex, præscindendo ab alia antiquiori concessione facta Episcopis in jure, nec eidem derogando.

254. Dubitabis 2. an in tali Oratorio palatii Episcopalis possint plures Missæ eadem die celebrari sive ab Episcopi familiaribus, sive ab exteris; & an Fideles omnes, si ibidem intersint Sacro, satisfaciant præcepto in quolibet die festo? Rc. affirmative quo ad utrumque: nam Oratoria Episcoporum etiam Titularium non sunt Oratoria privata, nec comprehenduntur prohibitione celebrandi eadem die plures Missas in Oratoriis privatis, aut prohibitione ibidem satisfaciendi præcepto vel relate ad certos dies, vel relate ad certas personas. Ita communiter Theologi, & Canonistæ: Gobat *de Sacr. cas.8. n.148.* Pellizz. Diana, Tamburinus, la Croix, de Lugo, & alii: pariterque Barbosa, Nicolius, Gallemart, aliique apud Monacellum *in Form. tit.13. num.39.*

ibi

ubi refertur decretum Sac. Concilii Congregationis declarantis, omnes in Oratorio Episcopali audientes Missam diebus festis satisfacere præcepto Ecclesiæ.

255. Oppones contra principalem assertionem I. Privilegium concessum Episcopis in jure deputandi Oratorium, fuit sublatum per Tridentinum *sess. 22. decr. de evitandis in celebratione Missarum*, ubi sancta Synodus præcipit, ne Episcopi patiantur, sacrosanctum Sacrificium peragi in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam &c. II. Admisso etiam, quod ejusmodi privilegium non sit sublatum per Tridentinum, adhuc eo nequeunt uti Episcopi Titulares, qui utpote existentes extra suam diœcesim, non possunt exercere hanc jurisdictionem deputandi locum aliquem ad Divinum cultum.

256. Sed contra est. Nam ad primum dic, Tridentinum loqui de Oratoriis in privatis domibus: palatium autem Episcopi etiam Titularis non est privata domus: unde per Tridentinum non est revocatum privilegium concessum Episcopis in jure. Sic cum aliis Quartus *in Rubr. part. 3. tit. 10.* Tamburinus *de Sacrif. lib. 1. cap. 4. §. 4.* Gobat *loc. cit.* Ilsung. *tract. 5. num. 163. &c.* Ad 2. dic, talem deputationem non esse actum jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, ac fieri sine usu Pontificalium, ideoque posse exerceri ab Episcopo in aliena diœcesi: ex Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 9.* Campanil. *rubr. 9. cap. 5.* Fagn. *in Cap. Quod nonnullis, de privil.*

257. Quæres 14. an Episcopi Titulares habeant privilegium Altaris portatilis; idest, an possint super lapide consecrato in quacumque parte suæ domus, & tam domi suæ, quam domi alienæ, vel celebrare, vel ab aliis coram se celebrari facere? R. distinguendo inter jus antiquum, & jus novum; & ea posita distinctione dico 1. Ex jure antiquo possunt Episcopi etiam Titulares uti Altari portatili. Ratio est; quia tale privilegium conceditur Episcopis *in Cap. fin. de privil. in 6.* nec revocatum est respective ad Episcopos per Concilium Tridentinum, sicuti resolvunt Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 4.* Barbos. aliis relatis *alleg. 23. num. 5.* Vasquez *disp. 233. cap. 1. num. 7.* Nomine autem Episcoporum, quibus conceditur tale privilegium, venire etiam Episcopos Titulares, firmat cum aliis Squillant. *part. 3. cap. 4. num. 16.* & praxis: unde Episcopi Titulares possunt ex jure antiquo celebrare, vel celebrari coram se facere in quocumque loco decenti suæ domus, vel alienæ &c.

258. Dico 2. Ex jure recentiori aliquorum summorum Pontificum possunt quidem Episcopi uti hoc privilegio Altaris portatilis, sed cum his restrictionibus: 1. ut non celebrent, nec celebrari coram se faciant in cubiculo, ubi dormiri solet; ex Concilio Romano *tit. 15. cap. 2.* 2. ut non id faciant extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœcesi; quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, ex decreto Clementis XI. 15. *Decembris* 1703. Huic tamen decreto addenda est declaratio facta a Benedicto XIII. in Concilio Romano *tit. 15. cap. 3.* tenoris sequentis, videlicet: *Declaramus, quod cum in prædicto decreto statuatur, non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis erigere Altare, ibique sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus*

bus ipsi Episcopi forte, occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur, & nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Apostolicæ Sedis licentia, absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena diœcesi per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum &c. Unde habes, in quibus casibus ex jure recentiori possint Episcopi Titulares erigere Altare portatile &c.

259. Dubitabis, an in casu, quo Episcopus juxta facultatem, quam habet, Altare erigat, ibique celebret, vel celebrari faciat coram se, Fideles qui non sunt de ejusdem familia, satisfaciant præcepto diei festivi? ℞. affirmative; quia in textu concedente tale privilegium non fit hæc limitatio, seu prohibitio, sicuti fieri solet in Brevibus pro Oratoriis privatis, & in Brevibus Episcoporum Assistentium: nec ex alia parte nunc viget aliqua limitatio, seu prohibitio. Ita ex Azorio, Suarez, Toleto, Barbosa, habet Diana *part.6. tract. 8. resol. ult. §. Quod autem &c.* Alia vide apud Tamburin. *in method. sacr. lib. 1. cap. 6.*

260. Quæres 15. an possint Episcopi Titulares secum dispensare quo ad horam Sacrificii? ℞. præmittendo, posse Episcopum dispensare, seu facultatem concedere ex rationabili causa celebrandi post meridiem, vel ante auroram, contra legem ex consuetudine jam recepta, & a S. Pio V. sub pœna suspensionis ferendæ approbata in Bulla *Sanctissimus &c.* statuentem, Missas celebrandas esse ab aurora usque ad meridiem, ut firmant cum Suarez Castropalaus, aliique: item præmittendo, legislatorem, vel alium cui commissa est potestas dispensandi in lege Superioris, posse dispensare secum ipso in materia non ambitiosa, nec obnoxia fraudibus, ac damno tertii; quia Deus dans potestatem dispensandi in voto v. g. vel Superior dans alicui privilegium, vel jurisdictionem ad dispensandum, non præsumendus est velle talem facere deterioris conditionis, quam illius subditos, quibuscum dispensandi potestatem largitus est, ex Pikler, aliisque apud Castropalaum *disp. 5. de legib. punct. 7. §. 1.* Dixi, in materia non ambitiosa, nec fraudibus obnoxia &c. quia *Cap.26. de jure patronat.* Patronus Ecclesiæ nequit secum ipso exercere actum jurisdictionis voluntariæ præsentando ad Beneficium se ipsum: item *l. 1. ff. de auth. & consensu tutoris*, tutor prohibetur contrahere cum pupillo, & pro regula ponitur, in rem suam tutorem auctorem fieri non posse.

261. His præmissis, dico, Episcopos Titulares posse dispensare secum ipsis quo ad horam Sacrificii, ita ut illud valeant celebrare ante auroram, & post meridiem. Ratio est; quia Episcopi Titulares habent jurisdictionem & facultatem ex vi sui muneris, seu Episcopalis officii, dispensandi in hac re cum suis subditis, si existerent actualiter, & per accidens ex eorum defectu nequeunt actu cum iisdem dispensare: ut fuse diximus cum Vasquez *in Part. 2. hujus tract.* ubi de jurisdictione talium Episcoporum. Ergo possunt ex doctrina præmissa dispensare secum ipsis: siquidem facultas dispensandi, quæ relate ad alios non potest ab ipsis reduci in actum propter defectum subditorum, potest ab iisdem reduci in actum secum ipsis; nam relate ad se ipsos non obstat ratio deducta ex defectu subditorum.

262. Opponès. Episcopi Titulares manent in aliena diœcesi: sed non potest quis exercere jurisdictionem in aliena diœcesi: ergo non possunt Episcopi Titulares exercere hunc actum jurisdictionis dispensandi secum ipsis. ℞. Contra est; quia actus dispensandi, est actus jurisdictionis mere voluntariæ, non autem contentiosæ: unde potest exerceri ab Episcopis Titularibus non solum sine distinctione personarum secum ipsis, sed etiam in aliena diœcesi, ex Sanchez supra citato, aliisque.

263. Ubi notes, traditam doctrinam extendendam esse in iisdem Episcopis ad alias dispensationes, quæ non exigunt jurisdictionem aut contentiosam, aut absolutivam, aut condemnativam.

264. Quæres 16. an Episcopi Titulares decedentes, ut solet, extra propriam diœcesim, debeant sepeliri in Cathedrali loci, vel in Parochia, vel in alia certa Ecclesia? ℞. certum esse, Episcopos, si moriantur quin elegerint sepulturam, in sua Ecclesia Cathedrali sepeliendos esse, ex communi apud Mendo *in Epit. v. Sepultura*. At quia Episcopi Titulares communiter decedunt extra diœcesim, nec commode ad eam deferri possunt, vel in eadem respective aut non extat locus sacer, aut aliud adest impedimentum; hinc distinguendum est sic: vel ubi decedunt, contraxerunt quasi domicilium, vel non contraxerunt. Si contraxerunt, nec elegerint sepulturam, nec habeant electam a majoribus, sepeliendi sunt in ea Parochia, in qua contraxerunt quasi domicilium, & e qua receperunt, vel recipere debuere ultima Sacramenta, *ex Cap. 1. & 10. de sepultur.* & sic est praxis Romæ. Si vero non contraxerunt quasi domicilium, nec commode deferri possint ad eam Parochiam, in qua contraxerunt; tunc de rigore sepeliendi sunt in Parochia loci ubi decedunt, non obstante quod in tali loco sit Ecclesia Cathedralis, ubi nonnulli eos existimant sepeliendos: ex Pikler *tit. 28. de sepult. num. 7.* citante Abb. & Molin. Limites, nisi aliud habeat consuetudo: limites etiam, nisi in Cathedrali obtinuerint Canonicatum &c.

265. Hæc dixerim, ut aliquid pro viribus in publicam utilitatem conferrem: quod si minus id fuerim assequutus, non voluntati id quisquam adscribat, sed vel rerum difficultati, vel virium infirmitati, quarum neutra prohibere me potuit, ne qualicumque hoc studio aliis deservire contenderem. Cæterum omnia, ac singula, quæ scripsi, tum Sapientum censuræ, tum S. Romanæ Ecclesiæ judicio filius ejusdem obsequentissimus corrigenda subjicio.

266. Placet huic Tractatui annectere brevem aliquorum Episcoporum Titularium notitiam, qui a seculo XIII. quando diximus eos habuisse initium, singulis consequentibus sæculis sanctitate, doctrina, rebusque præclare actis floruerunt. Ex multis paucos dumtaxat proferam, quos ad manus habeo, quique præ cæteris in promptu sunt.

267. Primus omnium sit ex sæculo XIV. B. Bartholomæus Bononiensis ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopus Armeniæ. Is inter Titulares Episcopos annumeratur a Barbosa *de Potestate Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 6. num. 16.* citante Turrian. Bollum &c. Verum, si res æstimetur juxta a me dicta in descriptione Titularium Episcoporum, beatus hic vir non videtur fuisse in ea prima diffe-

differentia Episcoporum Titularium, de quibus præcipue in hoc Tractatu sermonem habui: siquidem ipse tali dignitate, ac Titulo fuit insignitus, quando de proxima Armeniæ reductione ad Fidem Catholicam non omnis prorsus spes evanuerat: imo, quamvis ea regio tunc temporis in Infidelium esset potestatem redacta, tamen non omnino carebat Clero, & populo Christiano, ac propterea non videtur in rigore dicendus Episcopus Titularis. Nihilominus, quia inter illos a viris gravibus censetur, & quia Archiepiscopatum obtinuit, quando Armenia jam magna ex parte parebat Saracenis, & Christiani habitatores plerique per schisma, & hæresim a Romana Ecclesia defecerant; idcirco Beatum hunc Titularibus Episcopis saltem lato modo, & in secunda, vel tertia eorum differentia lubens etiam ipse adscribam. De hoc igitur ita scribit *in suo Sacro Theatro Dominicanorum* Fr. Vincentius Maria Fontana ejusdem Ordinis: *B. Bartholomæus Parvus, quem de Piscialis nostri Scriptores vocant, ex Torcellano Episcopo Armeniæ Archiepiscopus creatus fuit a Joanne XXIII. anno* 1333. *ultimo sui Pontificatus anno..... Perrexit in Armeniam, ut oves sibi commissas Rom. Ecclesiæ, a qua per schisma recesserant, reconciliaret; quod ut facilius consequi posset, duos ex nostris socios secum adduxit P. Fr. Angelum Bononien. cum Fr. Jacobo Converso, qui necessarios Latinos libros in Armenum idioma verteret. Ibi Armenos Monachos Schismaticos non solum ad Apostolicæ Sedis venerationem, verum etiam ad emittendam Dominicanam Professionem inflammavit. Unitis igitur Monachis cum nostris Dominicanis innumeri filii Ecclesiæ accessere: quod ut facilius evenire posset, ex Latino idiomate in Armenicam linguam Biblia, Missale, Regulam S. Augustini, Rubricas Ordinis, Breviarium, & Opera S. Thomæ contra gentes transtulit Bartholomæus cum Socio: quibus permoti Turcæ Sanctum Pontificem crudeli morte peremerunt manibus lento igne combustis: quo in martyrio evolavit in Cœlum maximo cum dolore Fidelium: cujus Corpus miraculis & prodigiis venerabile usque in præsentem diem ibidem summa veneratione colitur in Oppido Charna prope Abataner, in Ordinis Ecclesia B. Virgini in Cœlum assumptæ dicata conditum, ubi maximo Fidelium, Schismaticorum, atque etiam Turcarum concursu die Assumptionis B. V. duobusque aliis sequentibus, quibus ejus festum colitur, veneratur.* Hactenus citatus P. Fontana de beato hoc Episcopo, qui promotis ad Ecclesias in partibus Infidelium, sanctitatis, ac fortitudinis Apostolicæ exemplum præclarissimum reliquit.

268. Sæculo XV. se se offert Archiepiscopus Nazarenus Fr. Augustinus de Favoronibus Romanus, ex Priore Generali Eremitarum S. Augustini ad ejusmodi Archiepiscopatum evectus *anno* 1431. ac simul renunciatus Cæsenatensis Episcopatus Commendatarius; de quo sic testatur Ughellius: *Fuit vir eximia scientia doctus, ingenio subtilis, moribus, & sanctimonia vitæ celebris, cujus monumenta illustria recenset Anastasis Augustiniana. Post annos duodecim [totidem in sui Ordinis Magisterio Generali consumpserat] in magna humilitate, & zelo Ecclesiasticæ disciplinæ, in Archiepiscopali honore vita traducta, bonorum fruge ditatus, in senectute bona virgo & humilis ad æternæ salutis tramitem feliciter Prati in Hetruria properavit anno* 1443. *ubi*

summa veneratione in Templo S. Augustini humatus colitur, titulum viri beati a suis adeptus, pluraque memorantur gloriosæ suæ sanctitatis argumenta. Hactenus Ughellius *tom. 7. Ital. Sac. inter Archiepiscopos Nazarenos.*

269. Sæculo XVI. pietate ac doctrina spectatissimus fuit Episcopus Hierapolitanus Andreas Oviedo Hispanus e Societate Jesu, qui deinde Æthiopicum Patriarchatum obtinuit. Is a S. Ignatio, cum Joannes III. Lusitaniæ Rex a Pontifice Julio III. aliquot Societatis Patres postularet, qui in Æthiopiam ad stabiliendam Catholicam Fidem mitterentur, inter cæteros ejusmodi expeditioni designatus est, datusque a Pontifice socius adjutorque Patriarchæ Æthiopico Joanni Barretto cum futura successione, siquando ejusmodi tempus incideret. Expavit Oviedo ad delati honoris nuncium, ita ut non induxerit animum acquiescere, donec pro imperio Pontifex cogeret. Deinde *anno* 1554. Roma in Lusitaniam se contulit, ubi 3. *nonas Maji anni* 1555. Episcopus Hierapolitanus consecratus est. *Ab ea consecratione*, inquit Scriptor Biblioth. Soc. *stetit in Ordine, nec a muneribus prædicandi, confitentibus assidendi, aut ullis etiam domesticis vel abjectissimis discessit: in triclinio cibos accumbentibus apponebat, ut reliqui, coquinæ officia obibat, sternebat ægrotis lectum, verrebat domum., peregre advenientium pedes, idque singulari affectu, exemplo Christi abluebat. Rogatus ab Henrico Cardinali Archiepiscopo Eborensi eam diœcesim prisco more pedes, ipse sibi minister & famulus, inspexit: qua in visitatione, siquando alias, dedit omnis sanctitatis exempla &c.* Addit Sacchinus *lib. 15. hist. Soc.* in animo illi fuisse Hierapolim se conferre, ut credito sibi gregi consuleret, juxtaque immineret; quod per coadjutoris munus cum sibi impediri conspiceret, statuerat, nisi se Pontifex vel eo Titulo, vel coadjutoris sollicitudine liberaret, suam ei Cathedram resignare, delatisque se titulis abdicare. Tandem in Indiam profectus, ac Patriarchæ Barretto in Æthiopiam præcurrens, institit Romanæ Ecclesiæ mortalium quamplures ibi reconciliare, gravissimas ubique perpessus ærumnas, donec per obitum Patriarchæ eum Titulum jure suo occupavit. Et quamvis a S. Pio V. facultatem accepisset, ut, relicta Æthiopia, ad Ecclesiam Japoniæ transiret; tamen ipse in laboribus multis, vigiliis, ac periculis Æthiopiam tenuit, utpote laborum, ac pœnarum feraciorem, usque *ad annum* 1580. quando oppressus calculi doloribus migravit ad Dominum tantæ cum opinione apud Abyssinos sanctitatis, ut Æthiopes Catholici anniversarium transitus ejus diem, quantum fas est, pietate privata colerent, & domum, quam vivens incoluerat, post ejus mortem in Sacrarium converterint: ex Bibliotheca Societatis Jesu.

270. Eodem sæculo XVI. floruit Episcopus Argolicensis Fr. Hieronymus Wielmus Ordinis Prædicatorum, qui locum hic sibi vindicat non solum ob insignem pietatem ac doctrinam, sed etiam quia ipse primus *de Episcopo Titulari* Librum conscripsit, ac fortasse unicus extitit inter Titulares Episcopos, qui Concilio Tridentino interfuerit, eo a Pontifice missus, nullius alterius qualitatis superadditæ habita ratione, nisi solius specialis litteraturæ. Etenim, ut dixi supra in hoc Tractatu, & confirmavi ex Card. de Lugo, Episcopi Titulares quamvis nonnulli interfuerint Concilio Tridentino, nullus tamen, quem sciam, inter-

interfuit nomine proprio ac solo solius Episcopatus Titularis. Do exemplum. Interfuit Patriarcha Hierosolymitanus, sed simul erat Episcopus Polanus: interfuit Episcopus Philadelphiæ, sed erat Procurator & Suffraganeus Eichstensis: Episcopus Nazianzen. sed erat Coadjutor Famagustanus: Episcopus Hipponen. sed erat Coadjutor Bovini: Episcopus Theodosien. sed erat Procurator (ut conjicio ex Procuratorum numero apud Azor. *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 17. & apud Pallavic. *hist. lib.* 24. *cap.* 8.) alicujus Poloni Episcopi. Antibaren. vero, Nicien. item Rapoten. Ægaden. aliosque Hibernos, perperam aliquis vocet Titulares. Quocirca Titulares omnes cum alii alia ratione superaddita in eo Concilio sederint, unus Wielmus, quantum ipse assequor, interfuit ratione superaddita specialis litteraturæ in facultate Theologica; nam de eo sic scribit eruditissimus Papadopoli *in sua Historia Gymnasii Patavini: Claruit maxime ab hac exedra* (nempe Patavinæ Theologicæ Facultatis); *quamobrem Pius IV. Romam accitum eamdem scientiam in Archilicæo Romano Sapientiæ profiteri publice jussit. Eum inter paucos S. Cardinalis Carolus Borromæus dilexit, qui, ne VVielmus rediret Patavium, quo Senatusconsulto ad sacrarum Paginarum interpretationem evocabatur, apud Avunculum egit, ut Argolicensis Episcopus renunciaretur titulo tenus, ac ad Synodum Tridentinam dimitteretur. Interfuit actis Synodi ejusdem postremis, ut ex Nomenclatore eorum constat qui Concilio interfuere. Rediit deinde Patavium, fuitque Patavini Antistitis, uti dicimus, Suffraganeus. Incertum esse Thomassinus scribit, an prælegerit publice ea dignitate ornatus &c.* Is fuit origine Rhætus, Perusiæ natus, ac Veneta Civitate donatus. Edidit plura Opera: nempe 1. *de D. Thomæ doctrina libros duos*: 2. *Opusculum de sex diebus Orbis conditi*: 3. *Orationem Apologeticam adversus obtrectatores Theologiæ*: 4. *de optimi Episcopi munere libellum*: 5. *Elucubrationes de Episcopis Titularibus*: 6. *Librum de Residentia Episcoporum*. Tandem ad Æmoniensem Ecclesiam in Istria evectus, decessit Venetiis *anno Domini* 1582. Utinam ejus de Episcopo Titulari Opus mihi ad manus venisset, uberius fortasse ac solidius de jure præsertim Episcoporum Titularium ad Concilia scripsissem; etenim accepi a viro erudito, de eo argumento ipsum fuse tractare, fortasse idcirco quia tale jus fuit ipsi in controversiam vocatum.


271. Sæculo XVII. probavit se quammaxime Archiepiscopus Myrensis Fr. Bonaventura Teuli Ord. Minor. Conventual. Is natus est Velitris, atque ab Alexandro VII. ad Titulum ac dignitatem Archiepiscopalem promotus *anno* 1655. ob insignem ejus pietatem ac doctrinam, idemque Constantinopoli Suffraganeus Patriarchalis & Vicarius Apostolicus constitutus. Ad eam urbem quantocyus a consecratione se contulit, ibique optimi Antistitis partes tam sancte sapienterque implevit, ut apud ipsos Turcas sibi existimationem, benevolentiam, venerationemque conciliarit. Extat ejus Vita recte appositeque scripta ab Illustrissimo Petro Antonio Teocrito Borgia, in qua susceptas ab eo curas, & res gestas amplissimas æstimantes, virum pietate, doctrina, magnisque in rempublicam Christianam meritis clarissimum intelligunt. Plura edidit suæ doctrinæ monumenta: nam ipse commentariis Okami Philosophiam illustravit: quæstiones morales Doctoris subtilis collegit in libro quem inscripsit

Scotus

Scotus Moralis : quæstiones selectas Sac. Scripturæ in altero colligavit , qui dicitur *Scotus Scripturalis* : item Librum typis mandavit , cui titulus *Decachordum Scoticum* , in honorem B. V. sine labe conceptæ : præterea de historia Veliterna , de natalibus Veliternis Octaviani Cæsaris , de Collegio S. Bonaventuræ de Urbe &c. aliasque de aliis rebus elucubrationes reliquit . Tandem Constantinopoli in patriam rediens , ibique Deo , studiis , ac sibi vacans , cum animum jamdiu per solidas , ac religiosas virtutes morti composuisset , e vita discessit *pridie idus Novembris anno* 1670. ætatis suæ 74. ex Illustrissimo Borgia *in Vita ejusdem* .

271. Jam vero sæculo XVIII. quod elabitur , agnoscebam , dum primam hujus Tractatus editionem adornarem, Illmum , ac Rmum Episcopum Hermopolitanum D. Ludovicum Valdina Cremona non solum gravitate morum modestiaque , sed pietate in Deum , & charitate in proximum insignem : vidisses illum totum in eo esse , ut animarum bono consuleret , sive in sacris Confessionibus jugiter excipiendis , sive in excolendis per spiritualia Exercitia sacrarum Virginum asceteriis, sive in retrahendis e vitiorum cœno per secretas eleemosynas flagitiosis hominibus : donec vir plane Ecclesiasticus , & Præsul omni ex parte spectatissimus Romæ e vivis piissime decessit *anno* 1758. Labente eodem sæculo XVIII. imo nuperis temporibus duo extitere Episcopi Titulares ex Ordine Prædicatorum apud Indos zelo, & Fidei constantia conspicui, de quibus late, & præclare admodum alloquutus est Cardinales Summus Pontifex Bened. XIV. in Consistoriis secretis a se habitis *die* 16. *Septembris* 1748. *&* *die* 24. *Januarii* 1752. quas Allocutiones, si lubet , legas , ac disces profecto, Dei beneficio fieri, ut, senescente mundo, non in cunctis, nec ubique senescat Christiana virtus.

F I N I S.



DE

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS
E NUMERO PARTICIPANTIUM.

Illustrissimo ac Reverendissimo

PROTONOTARIORUM

E NUMERO PARTICIPANTIUM

COLLEGIO

AUCTOR FELICITATEM.



Irabuntur fortasse Dominationes Vestræ Illustrissimæ & Reverendissimæ, quid causæ fuerit, quare ipse has mihi partes receperim, ut de amplissima Collegii vestri dignitate, obligationibus, ac privilegiis hæc litteris consignarem. Verum mirari, ut confido, desinent, ubi primum occasionem scribendi, ac finem cognoverint. Occasio quidem hæc fuit. Nobilissimus juvenis, Collega nunc vester spectatissimus, Antonius Maria Erba, Venerabilis Innocentii XI. Pontificis Optimi Maximi ex Sorore Pronepos, ac virtutum hæres, vestro se adscribere cœtui cogitabat. Huic ego, quem, pro ea qua est humanitate, mei cognovi amantissimum, gratificari, ac perenni aliqua gratulatione primum ejus ad rempublicam accessum prosequi statueram. At quid præstarem tenuis ipse, unusque de multis? Quid instituerem litterarius cæteroquin homo, ac Religiosus? Id erat in promptu. Librum conscribere, quo nobilis candidatus suscipiendi a se muneris dignitatem, obligationes, ac privilegia, strictim & facili methodo plane intelligeret. Nihil enim est quod nos magis delectet, quam earum rerum notitia, quæ propius ad nos pertinent: idcirco nationis, patriæ, familiæque suæ decora unusquisque avidius cognoscit, & inter philosophica ipsa instituta ea maxime auditione ducimur, quæ animæ naturam, corporisque nostri structuram, coagmentationemque nos docet. Nec mora. Id consilii suscipio, quod in mentem venerat, amplector, ac non levi profecto labore Opus hoc qualecumque absolvo. Itaque electissima in vestrum ordinem nobilissimi juvenis cooptatio scribendi occasionem dedit. Honesta hæc quidem, & omnium judicio commodissima existimabitur, utpote quæ ex eo fonte dimanat, unde in vestrum Ordinem amplitudinis non exiguum derivatur incrementum. Quid igitur mirum, si hanc ipse nactus occasionem eo animum induxerim, ut opus mihi sumerem, quod nullus quidem deferret, gratulatio tamen, & observantia quodammodo postularet?

Accedit occasioni finis, quem ipsemet mihi proposui, isque alius non est, quam vobis omnibus obsequium exhibere, atque Illustrissimi ac Reverendissimi Collegii vestri commodo deservire, & gloriæ. Huc enim studia referri oportet, ut secundum Deum, cui nostra omnis uni impendenda est industria, de universis quidem, sed de iis præcipue, qui reipublicæ dant operam, optime mereamur. Stat quippe illud ex Angelico Doctore 2.2. quæst. 102. art. 2. ad 2. & art. 3. in

corp. *teneri unumquemque iis, qui sunt in dignitate constituti, ita cultum, & honorem tribuere, ut aliquid pertinens specialiter ad eorum utilitatem, vel gloriam, libenter ac studiose conferat. At sciscitabitur quispiam, quid tandem commodi, quid gloriæ afferat nobilissimo Protonotariorum Collegio exilis hæc Opella? Respondebo: exiguum sane, ac fortasse nihil. Ast ego ea illam mente, ea voluntate conscripsi, ac si futura esset toti Collegio perhonorifica, nec mediocriter fructuosa. Enimvero id satis superque erit, ut bene de Illustrissimi Collegii nomine, ac dignitate meritus a vobis existimer. Nihil enim, ut optime ajebat Cicero, sapientum virorum tam proprium est, quam non modo re ipsa, sed voluntate etiam, nec beneficio dumtaxat, sed benevolentiæ solius, observantiæque significatione alligari. Opportune in hanc rem cadit, quod de Plinio juniore accepimus. Versiculos de illo composuerat M. Valerius Martialis. Huic propterea se devinctum sentiebat, ac fatebatur Plinius* lib.3. epist.21. Dedit enim, *ajebat ille*, quantum maximum potuit, daturus amplius si potuisset. Tametsi quid homini potest dari majus, quam gloria, & laus, & æternitas? At non erunt æterna quæ scripsit. Non erunt fortasse. Ille tamen scripsit, tanquam essent futura. *Hactenus Plinius. Quidni idem futurum credam, ut de me dicant Illustrissimi Domini Protonotarii? Dedit nempe hic quantum maximum potuit, daturus amplius si potuisset. Nihil utilitatis, gloriæ nihil affert Opella: at ille scripsit, tanquam esset allatura. Profecto ubi par Plinianæ inest benignitas, nefas est suspicari, ut illic dispar futura sit gratia. Ex occasione igitur, quam habui, ex fine quem mihi proposui, mirari unusquisque desinet, quid causæ fuerit, quare huic Libro conscribendo animum adjecerim.*

Superest jam illud, ut Dominationes Vestræ Illustrissimæ ac Reverendissimæ hunc meum laborem æqui bonique faciant, nec, antequam vestris fidelibus oculis fuerit res tota subjecta, de illa sententiam ferant. Non desunt enim quamplures, qui, ut ajebat S. Hieronymus, vel in laude, vel in vituperatione nimii sunt, non meritum styli, sed suum stomachum sequentes: *quibus si faciles præbeatis aures, alterum ex his eveniat necesse est, ut aut in iis accuser, sicuti expertus jam sum, in quibus omnino culpa vacem, aut ea in me probentur, in quibus fortasse peccem. Vos igitur appello, ad vestrum tribunal sto. Adnixus enimvero sum, ut gravissime, diligentissimeque rem hanc omnem tractarem; magnopere scilicet verendum mihi esse intellexi, ne iis rebus vestram in me invidiam concitarem, quibus ipse apud vos gratiam aucupari constitueram. Utrum satis necne caverim, haud scio. Profecto sic habetote, me nihil detrahendæ, spoliandæque dignitatis gratia dixisse: imo id unum ubique spectasse, ut vestri ordinis decora, atque ornamenta aliqua ex parte [quod salva fide possim] augerem, eaque ipse si minus facunde, splendideque, certe quo ad ejus fieri potuit, sincere, atque accurate explicarem. Quod si aliquid, me imprudente & invito, ex calamo exciderit, unde quisquam possit offendi, jam nunc denuntio, profiteorque, me fuisse emendaturum, si habuissem opportune qui commoneret. Valete.*

DE

DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS

E NUMERO PARTICIPANTIUM

PROOEMIUM.



Mplissimum, ac magnæ existimationis est in Romana Curia Protonotariorum Collegium ex eorum numero, qui Participantes dicuntur. Spectat autem ad Ecclesiasticarum rerum doctrinam, cui maxime in hac sacrorum Canonum, & casuum Congregatione vacamus, scientiam aliquam de his & cognitionem tenere, ut canonicas videlicet, ac morales inde nascentes quæstiones possimus enodare. Paucis itaque rem omnem complectar; ac primo de Protonotariorum origine dicam, significatione nominis, officio, & præeminentia: deinde de eorum obligationibus, tum qua Romanæ Curiæ Prælati sunt, tum qua tales Prælati: postremo de eorum privilegiis in genere & in specie, quibus observationes quasdam ex probatis Auctoribus annectam.

PARS PRIMA

DE PROTONOTARIORUM ORIGINE, SIGNIFICATIONE NOMINIS &c.

CAPUT I.

De nominis significatione.

1. REI cujuslibet cognitio a nominis significatione initium capit. Ut hanc igitur in re præsenti explicem, sciendum est, a notis dici Notarios, qui, teste Suetonio *in Galba cap. 5.* notis quibusdam, & compendiis dictionum, syllabarum, & litterarum aliquid breviter perscribere solent. Hinc *in L. Lucius ff. de milit. testam.* hæc habentur: *Titius miles Notario suo testamentum scribendum notis dictavit*: hoc est per litterarum compendia, seu breviaturas. Hujusmodi autem notatores, qui ita res scribunt, ab utroque jure appellati sunt Notarii; & quidem mira erat eorumdem in scribendo celeritas, ut erudite ostendit Baronius *ad annum Christi* 238. adeo ut ex eo inferat fieri potuisse, ut orationes Martyrum satis longas brevissimo tempore exscri-

 berent.

berent. Usus talium Notariorum, qui in foro erat antiquissimus, introductus est, ut infra dicam, apud Christianos primo nascentis Ecclesiæ tempore ad Sanctorum Martyrum dicta, ac gesta perquirenda, & posterorum memoriæ mandanda. Progressu vero temporis eosdem Ecclesia, & Curia Pontificia adhibuit ad ea annotanda, quæ in publicis Consistoriis geruntur, & ad conficienda, cum rogantur, publica instrumenta, expediendasque Bullas Apostolicas; ita tamen, ut eorum numerus septenarium non excederet, prout ab initio, cum Martyrum acta describerent, institutum fuerat.

2. Porro ejusmodi Ecclesiæ Notarii appellati sunt Protonotarii, idest primi Notarii, ob excellentiam, ut innuit Pius II. In sua Constitutione, quam habent & a Principe cui inserviunt, & a rebus quibus annotandis vacant.

3. Dicuntur Participantes, quia sunt ex iis, qui Romæ in Curia officium obtinent cum dignitate, unde participant de ejusdem officii emolumentis, & sic non solum discriminantur a communibus Notariis, sed ab aliis etiam Protonotariis, qui vocantur non participantes, seu titulares, vel honorarii; quippe qui nullum speciale officium obtinent in Curia Romana, nec dignitatem habent, nisi eatenus ut ipsis causæ Papales delegari possint, quando tamen doctrinæ, & idoneitatis qualitas non desit, ex nupera Sanctissimi Domini Nostri Monitione ad Episcopos.

CAPUT II.

De Protonotariorum origine, ac principio.

4. QUando vero Protonotariorum Participantium Collegium initium habuerit, constans est Historicorum, quos viderim, sententia, tunc fuisse, cum in fine primi sæculi Clemens PP. I. viros quosdam graves constituit, qui divisi per septem Urbis regiones, septem ipsi gesta Martyrum scriberent. Quod etiam satis aperte in sua Constitutione XII. Sixtus V. insinuat, dum ait: *Collegium Notariorum Sedis Apostolicæ de numero Participantium, quod per felicis recordationis Clementem I. Antherum etiam I. & Julium similiter I. prædecessores nostros ad res Martyrum, & quæcumque ad Ecclesiam pertinerent, fideliter describenda, & descripta scriniis Ecclesiæ recondenda institutum, ordinatum, ac destinatum fuit.*

5. Nihilominus Cardinalis Jacobatius, qui prior Sixto hac de re scripserat, videtur huic opinioni multum fidere; siquidem *lib. 1. art. 5. de Conciliis* ita loquitur: *Sunt qui dicunt, Protonotarios ortum habuisse, sive institutos fuisse per Clementem I. ac deinde per Fabianum Pontificem, ut etiam dixit Brix. Clemens enim divisit regiones septem Notariis, qui diligenter Martyrum res gestas conscriberent, & Fabianus septem Diaconibus regiones divisit, qui Martyrum res gestas summa diligentia investigarent, & scripto mandarent. Ita legitur in eorum vita.* His enarratis hæc subdit: *Quod autem hi fuerint Protonotarii, aliter non reperio: convenit tamen vocabuli allusio &c.* Hactenus Jacobatius.

6. Equidem hanc qualemcumque eruditi cæteroquin viri subdubitationem, non tanti fecerim, ut a communi sententia recedendum existimem. Propterea eidem

eidem communi sententiæ inhærens, eam per plures propositiones sic statuo.

Ac primo ajo, Notarios Sedis Apostolicæ ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse institutos numero septem ad acta Martyrum conscribenda. Constat id ex Baronio, Pagio, aliisque.

II. Sedis ejusdem Notarios perseverasse etiam reddita Ecclesiæ pace, ac Summis Pontificibus suam gravioribus in rebus operam præstasse. Id constat ex Baronio *ad annum Christi* 449. ubi ipse narrat, S. Leonem misisse suas Constantinopolim epistolas, per certos fidosque Sedis Apostolicæ Nuncios, nimirum Epiphanium, atque Dionysium S. R. E. Notarios.

III. Hos eosdem, progressu temporis, magno in honore apud Romanam Curiam habitos, Protonotariorum nomen sibi ex consuetudine asciviſſe. Id constat ex Constitutione Pii II. ubi dicitur: *Notariorum nostrorum, quos vulgo Protonotarios, quasi per excellentiam quamdam, non abs re consuetudo vocitat.*

IV. Non plane constare, quo ipsi demum tempore cœperint Protonotarii nomen usurpare, inter Prælatos censeri, & usque ad Pii II. Pontificatum eam sibi præeminentiam arrogare, ut Episcopis, atque Archiepiscopis in publicis functionibus anteirent, ut notat Thomassinus *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 114.

V. Demum Sixtum IV. horum Notariorum officium venale fecisse, ex Oldoino *in Vita Sixti IV.* Sixtum autem V. septenarium eorum numerum ad duodenarium produxisse, & magnis pluribusque Illustrissimum hoc Collegium privilegiis ornasse, ex Bulla *Romanus Pontifex*, & ex Bulla *Laudabilis*.

Ex hactenus dictis habes, unde, & ob quam causam hi Prælati dicantur Protonotarii Participantes; item quam a remoto principio antiquissimi hujus Collegii institutio derivetur. Illud ad extremum advertas, in Constitutionibus, & Bullis Pontificiis non subscribi nomen *Protonotarii*, sed *Notarii* dumtaxat: Curia enim sic eos appellat in litteris Pontificiis, ex Jacobatio *loc. cit.* & Gloss. *in Cap. Cupientes, in principio, de electione in 6.*

CAPUT III.

De officio Protonotariorum Participantium.

7. Officium Protonotariorum Participantium est in duplici differentia. Alterum scilicet est proprium & ordinarium; alterum accessorium, & veluti privilegiarium. Proprium & ordinarium est, scribere acta, & gesta Papæ, ex Jacobat. *loc. cit.* Hinc ipsi intersunt Consistoriis publicis ad rogandum de actis: & olim adnotabant decreta, quæ fiebant in ipso sacro Consistorio: nunc vero ad Secretarium Consistorii res hæc delata est. Præterea unus ex ipsis semper intervenit in Congregationibus de Propaganda Fide, ac Sacrorum Rituum, & in confectione Processuum Canonizationis, seu Beatificationis Servorum Dei, ex Eminentissimo Petra, ac Eminentissimo de Luca: imo docet Eminentissimus Lambertini, hodie Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV. *in suo erudito de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum*

Opere

Opere tom. 1. *cap.* 17. quod in Sacra Congregatione Rituum Protonotarii electio olim pertinebat ad ipsam Sacram Congregationem, nunc vero ad Summum Pontificem. Is vero, qui fuerit a Pontifice electus, est ipsius Congregationis Consultor, atque intervenire debet examinibus testium, adeo ut examen non esset authenticum, nisi esset a Protonotario subscriptum, prout exigunt decreta generalia Urbani VIII. Addit prælaudatus Doctor, quod, quando contingeret deesse Secretarium Congregationis, tunc praxis invaluit ex quadam congruentia, ut ejus vices suppleantur, annuente tamen Pontifice, a Protonotario; idque ipse pluribus exemplis in Rituum Congregatione factum confirmat, & nos in Congregatione etiam de Propaganda Fide id ipsum novissime in usum redactum conspeximus. Hoc porro Protonotariorum officium conjunctum est cum dignitate, atque idcirco censentur hi Protonotarii in dignitate constituti, quia Notarii sunt Principis, *ex l. p.* ubi Bartolus *C. de mandatis Principum*, apud Jacobat. Dicuntur etiam Illustres propter assistentiam Papæ, ex eodem *ibidem*. Præterea idem officium conjunctum est cum jurisdictione aliqua, non quidem contentiosa, sed voluntaria, ex de Luca *disc.*44. *Rel. Cur.* nam, ut infra dicam, competunt ejusmodi Protonotariis aliquæ facultates, nempe creandi, seu declarandi Doctores &c. & alia id genus, quæ spectatissimum ordinem valde commendant.

8. Jam vero officium eorumdem accessorium, & veluti privilegiarium, est officium Referendariorum Signaturæ; sunt enim ipsi ex Constitutione Sixti V. Referendarii utriusque Signaturæ. Quare ad ipsos spectat etiam, prout ordo postulaverit, tribunali utriusque Signaturæ interesse: primo quidem, ac veluti in limine Prælaturæ, nullam peragentes functionem, sed ad solum effectum ut instruantur ad munus suum recte obeundum; deinde singulas sibi distributas commissiones proponentes, & Latino sermone referentes facti seriem, oratoris petitionem, & oppositoris exceptiones, absque tamen sententiæ prolatione, si res agatur in Signatura Gratiæ coram SSmo: si vero agatur in Signatura Justitiæ coram Cardinali Præfecto, ipsi post relationem status, ac meriti causæ, suam etiam proferre debent sententiam, priusquam Votantes suum dent suffragium, ex de Luca *in Relat. Cur.* Illud tamen notandum est, non patere iis accessum ad Signaturam Gratiæ, nisi prius per triennium fuerint laudabiliter versati in Signatura Justitiæ, ex Plettemberg.

9. Notandum etiam est, debere eos, antecedenter ad exercendum munus Referendarii, præstare juramentum coram Cardinali Præfecto, prout sancivit in sua Constitutione *Inter cæteras* Alexander VII.

CAPUT IV.

De officio Protonotariorum Sede Apostolica vacante.

10. Usus olim obtinuit, ut Sede Apostolica vacante perhonorificas Protonotariorum Collegium partes sustineret. Primicerius quippe, seu Decanus hujusce Collegii, una cum Archidiacono, & Archipresbytero Romanæ Ecclesiæ, Romanam eamdem Ecclesiam, durante toto ipso Interpontificii tem-

tempore, regebat. Habetur id ex Pagio *ad annum Christi* 652. & constat ex epistola S. Martini Papæ ad Theodorum, in qua Sanctus Pontifex, cum, se vivente, alium electum Pontificem quereretur, ait: *Subrogato in loco meo Episcopo, quod necdum aliquando factum est, & spero, quod nec aliquando fieri habet; quia in absentia Pontificis Archidiaconus, & Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis*. Hinc citatus Pagius existimat, penes hunc triumviratum Ecclesiæ regimen fuisse a tempore, quo S. Martinus fuit jussu Constantis Imperatoris Roma abductus, usque ad electionem Eugenii I. En ejus verba: *Durante Interpontificio, a die* 19. *mensis Junii anni* 653. *quo Martinus Romam reliquit, computando, Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium Notariorum Ecclesiam Romanam gubernasse laudata S. Martini verba nos dubitare non patiuntur*. Unde pronum est colligere, quanta priscis temporibus Protonotariorum Collegio esset auctoritas, ac dignitas.

11. Nunc vero alius est rerum ordo. Etenim Sede Apostolica vacante administratio nulla pertinet ad Protonotarios, qua tales. Imo ipsum eorum officium Referendariorum, sicuti in cæteris Prælatis, ita in ipsis cessare ad tempus intelligitur, ex Pii IV. Constitutione §. *Prohibentes*.

12. Nihilominus tum ipsis, tum aliis Prælatis cumulative gravis per id tempus cura & solicitudo incumbit. Siquidem ad Prælatos pertinet assistere ad Rotas Conclavis, ac diligenter providere, ne quid a Pontificiis Constitutionibus vetitum in Conclave intromittatur, vel ex eodem efferatur.

13. Jus hæc disponens ex præfati Pii IV. Constitutione est ejusmodi: *Prælati quoque ad custodiam Conclavis deputati sub pœna perjurii, & suspensionis a Divinis, maxima & exquisita diligentia utantur in inspiciendis, ac perscrutandis epulis, & aliis rebus, ac personis in Conclave intrantibus, & de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litteræ, aut notæ, vel signa aliqua transmittantur*.

14. Nequis vero contraria consuetudine hæc penitus exolevisse existimet, nuper felicis recordationis Clemens Papa XII. in sua peculiari Constitutione edita *quarto nonas Octobris* 1732. confirmavit, approbavit, innovavit, ac inconcusse & inviolabiliter observari præcepit & mandavit quæcumque & singula ab suo Prædecessore Pio IV. aliisque constituta & disposita hactenus constant. Hinc infertur, Prælatos deputatos ad custodiam Rotarum teneri, quantum est ex vi verborum dictæ Constitutionis, adhibere sub gravi diligentiam moralem summam, imo plusquam moralem in perscrutandis rebus, & personis Conclave intrantibus; nam illa verba, *maxima & exquisita diligentia*, important, teste Diana *p.*12. *ref.*15. *de Conclavi*, vel diligentiam moralem summam, vel plusquam moralem. Cæterum Passerinus *de elect. Pontificis q.*14. sedulo expendit hanc Prælatorum in re præsenti obligationem, & hæc habet: *Dubitabis, quanta, & qualis diligentia adhibenda sit in hujusmodi perscrutatione? Videtur enim, quod maxima sit adhibenda; quia dicitur, quod Prælati maxima & exquisita diligentia utantur. Et, si dicatur esse impossibile impedire, ne in Conclave penetrent litteræ, vel notæ, aut signa, quia possunt apponi intra panem, & intra fundum artocrearum, vulgo* Pasticci, *vel in fundo*

cornu-

cornutarum, *vel in fundo suberis frigidarii*, *vulgo* Cantemplora, o Rinfrescatore, *ex hoc concluditur, diligentiam debere esse maximam*, *talem tamen*, *qualis moraliter possibilis est*. *Sed in individuo non potest decerni*, *quanta diligentia sit necessaria*, *& quanta sufficiat*; *sed duplici regula utendum est*. *Prima*, *ut tanta adhibeatur*, *quanta ad arbitrium docti*, *boni*, *& prudentis viri censetur sufficere*; *quales supponuntur esse Prælati*, *qui ad Conclavis custodiam deputantur*. *Secunda est*, *ut attendatur rationabilis praxis & consuetudo perscrutandi*. *Nam consuetudo rationabilis est optima legis interpres*, *& magistra*. Hactenus Passerinus, cui præiverat Cajetanus *in Summa v. Excommunicatio*, *cap.*54. ubi ait: *Forte excusantur ex usu &c.*

15. Verum, quia hæc ultima regula petita ex consuetudine, seu usu, difficultatem habere potest, ut dixi, ex recenti Clementis XII. Constitutione innovante, & confirmante antiquas Pii IV. leges, ideo, ne quisquam ejusmodi assistentiam, immoderatum veluti onus, recuset, duo in primis meminisse oportet. Alterum est, legem quamlibet positivam humanam regulariter intelligendam esse juxta æquum & bonum; nam, *ex reg.*90. *in omnibus*, *maxime tamen in jure*, *æquitas spectanda est*. Hinc illud enatum adagium: *Summum jus*, *summa injuria*. Quare obsequi nos quidem & obtemperare legibus par est; at, juxta Apostoli monitum *ad Rom.*12. rationabile esse debet obsequium nostrum; idest, ex explicatione S. Thomæ, nimietas cavenda est, & curandum, ne per excessum in legem quis committat, dum legi justus nimis parere intendit. Nam, ut bene inquit S. Bernardus *serm.*40. *in Cantica*, *discretio est moderatrix*, *& auriga virtutum*, *& morum*: *omni virtuti ordinem ponit*: *ordo modum tribuit*, *& decorem*, *& perpetuitatem*. *Tolle hanc*, *virtus vitium erit*.

16. Alterum etiam, quod innuebat Passerinus, sedandis scrupulis proderit; videlicet aptum esse ad efformandam sibi conscientiam rectam, & ad judicandum hic & nunc, hanc, vel illam rem esse licitam, factum plurium virorum piorum & gravium absque scrupulo rem illam operantium. Ita ex Sa *v. Dubium in edit. Rom. & Complut.* Castropalao *disp.*2. *p.*1. *n.*6. & ratio esse potest; quia in tali casu prudenter præsumitur, rem illam licere: siquidem plures viri graves & pii non solent absque scrupulo agere, quod illicitum est. Hinc Prælati plus æquo timentes, ac solliciti circa observantiam præfatarum legum, & præsertim circa diligentiam in perscrutandis rebus, quæ debet esse *maxima & exquisita*, notent, qualiter, & quatenus in his se gerant sine scrupulo plures alii ex Prælatis magis pii, magis graves, & magis docti, atque iis se se accommodent. Dixi, plures; nam factum unius, vel alterius etiamsi gravis & pii, non sufficit ad recte judicandum, aliquid hic & nunc sibi licere: ut fuse docet Joannes Sanchez *in select. disp.*44. *n.*7. Siquidem unus, vel alter vir pius & doctus causas occultas habere potest, quibus illi sit licitum operari, quod alteri est vetitum, non præexistentibus similibus causis. Addas, quod unus, vel alter, quamvis habitu sit pius & gravis, poterit actu ex passione, aut inadvertentia operari aliquid illicitum: etenim quandoque bonus dormitat Homerus. Non igitur unius, vel alterius viri probi

bi ac docti facto Prælati acquiescant, sed plurium & piorum & doctorum. Nam, ut ajebat S. Prosper *l.2. de vocat. gentium cap.2. magna fortitudo est consensionis, cui ad sequendam veritatem auctoritas sufficit, etiam latente ratione.*

17. Demum incurritur quidem censura per transgressionem talis Constitutionis; at censura non est excommunicationis, prout ex textu legis inferunt Diana *loc.cit.* & Passerinus *de elect.Summ. Pontific.* sed est suspensionis, & quidem non latæ, sed ferendæ sententiæ. Ubi notetur, esse multorum DD. opinionem, legem latam sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ, non facere reum peccati mortalis transgressorem: quamquam, propter materiæ gravitatem, non facile huic ego opinioni adhærerem.

CAPUT V.

De facultate quam habent Prælati Secretarii Congregationum tempore Sedis vacantis.

18. SUpponendum est 1. Secretarios Congregationum, vivente Pontifice, aliqua leviora spectantia ad negotia suarum respective Congregationum expedire per solam suam subscriptionem, idque facere ex potestate sibi collata vel a consuetudine, vel a tacito, aut etiam expresso consensu Congregationis. Supponendum est 2. Secretarios aliquando obtinere a Papa vivente specialem facultatem ad exequenda per se ipsos quædam alia graviora pertinentia ad easdem suas respective Congregationes.

19. His suppositis, tempore ultimi Interpontificii interrogatus fui de casu occurrente in utraque prædicta suppositione: an videlicet Secretarius eo tempore posset ea leviora exequi, quæ antea exequebatur? & an posset exequi, quæ per specialem sibi a Papa delegatam potestatem, vivente Pontifice, exercebat? Ad quæ

20. Dixi,ac dico 1.Secretarium posse ea leviora exequi mortuo Pontifice, quæ vel ex consuetudine approbata a sua respective Congregatione, vel ex expresso illius consensu exercebat antea per se ipsum; modo ipsius officium ob aliquam causam non expiraverit. Ratio est; quia potestas in delegato perseverat, quamdiu perseverat ordinarius delegans, nec iste illam revocat, nec elapsum sit tempus pro quo illa fuerit concessa; ut constat *ex tot. tit. de off. deleg.* Atqui tempore Sedis vacantis perseverant in sua ordinaria potestate Congregationes Cardinalium delegantes illam potestatem suo Secretario, ut fuse ac solide pluribus firmat Fagnanus *in Cap. Cum olim, de major. & obed. pag. mihi* 518. nec eædem Congregationes illam revocant, nec elapsum est tempus, pro quo ea potestas fuit concessa, ut suppono. Ergo &c. Limitavi, modo ipsius officium ob aliquam causam non expiraverit; nam, si in ipso cessaverit officium Secretarii, cum potestas illi fuerit delegata ratione officii, hoc cessante, cessabit etiam illa; siquidem cessat conditio,

sub qua fuit facta talis potestas; & constat ex Glossa *v. Principalis*, *in Clement.2. de rescriptis*.

21. Dico 2. Secretarium posse per se ipsum ea graviora exercere, de quibus habuit a Papa specialem delegationem. Ratio est; quia talis delegata potestas est in casu gratia & favor factus præcipue ipsi Secretario potius, quam recurrentibus ad Congregationem; siquidem ad istius, & non ad illorum petitionem, facta est. Gratia autem facta non perit concedentis morte, *ex Cap. Si super gratia, de off. delegati*, *in 6.* aliisque apud Sanchez *l.8. de matr.* Limites, dummodo delegatio non fuerit ad litteras justitiæ exequendas; nam hæc expirat morte concedentis, re integra; idest antequam delegatus cœperit jurisdictione uti, ex Sanchez *ibidem disp.28.n.30.* & habetur expresse *in Cap. Gratum*, *Cap. Relatum*, *Cap. Licet undique*, *de offic. delegat.* Si ipsa tamen hæc delegatio fuerit facta nomine dignitatis, seu Sedis Apostolicæ, etiam ipsa perseverat. Raro autem sic Pontifex delegat, ex Hostien. Abb. aliisque.

CAPUT VI.

De Protonotariorum Participantium præeminentia.

22. PRæeminentiam hujus Collegii paucis, sed gravissimis verbis expressit Emus Card. Petra *in Constit.v. Pii II.* ibi enim eruditus Auctor sic habet: *Hujusmodi Protonotariorum Collegium .... semper fuit in maxima veneratione; tum quia utplurimum nobiliores ex familiis Italiæ, dum Prælatitium gradum assumunt, in illud ingredi solebant; tum quia ex eo ingens numerus Cardinalium, & multi Summi Pontifices assumpti fuere; tum demum ex honorabiliori loco, quem obtinent super omnes Prælatos Curiæ.*

23. Et quidem, ut in alium rejiciam locum, quæ huic Collegio accedit, præeminentiam sive ab illustrium familiarum viris, qui eidem adscribuntur, sive ex eorum copia qui e tali Collegio ad Cardinalatum promoventur; satis superque elucet singularis ejusdem prærogativa ac splendor ex honorabiliori loco quem obtinet super omnes alios Prælatorum cœtus. Nam per plura sæcula usque ad tempus Pii II. Protonotarii præcedebant Episcopis, & Archiepiscopis, ex Eminentissimo Jacobatio, Petra, aliisque: quamvis testetur Brix. contrarium se vidisse servari in Concilio generali. Dixi, usque ad tempus Pii II. nam hic Pontifex altitudinem Episcopalis eminentiæ animo volvens, per litteras Mantuæ datas 1. *Junii* 1459. statuit, ut Episcopi etiam electi super Protonotarios præcedentiam haberent.

24. Quamquam post ipsam hanc Pii Constitutionem, quam a toto fere Orbe collaudatam refert Eminentissimus Petra, post, inquam, hanc Constitutionem, honorificentia bene magna remanet huic Collegio. Etenim ipsemet Pius eodem diplomate decrevit, ut in Consistoriis publicis quatuor ex antiquioribus Protonotariis assistere debeant super gradum Solii Pontificii in loco honorabiliori. Deinde Protonotarii locum habent in Cappella, & ex consuetu-

ſuetudine ac praxi jam recepta ipſi in Cappella Pontificia, aliiſque actibus præcedunt quoſcumque alios Prælatos Curiæ, præter Epiſcopos: addit Eminentiſſimus Petra, etiam præter Gubernatorem Urbis, Auditorem Cameræ Apoſtolicæ, & Theſaurarium Generalem. Præterea iidem præcedunt Sacriſtam Papæ, dummodo non ſit Epiſcopus, Præceptorem Hoſpitalis S. Spiritus, Archimandritam Meſſanenſem, Abbates uſum Mitræ habentes, & Canonicos tam in Eccleſiis Cathedralibus extra Urbem, quam in Eccleſiis Patriarchalibus Urbis: ex variis deciſionibus S.Rit. Congregationis apud Eminentiſſimum Petram *loc. cit.*

25. Hæc honorificentia in ipſis augetur a ſatis conſpicuo veſtium ornatu: Etenim Protonotarii induunt veſtem, & Mantellettum, ut vocant, violaceum cum uſu Rocheti in publicis functionibus, & habent in pileo, privative quo ad omnes alios Prælatos, floccum roſacei coloris. Inſuper iidem utuntur in pileo uſuali vitta coloris roſacei cum tintinnabulis in cingulo, ex deciſione Sac. Cong. *die 6. Auguſti* 1674. apud Eminentiſſimum Petram.

26. In Cappella vero Pontificia utuntur Cappis juxta morem aliorum Prælatorum, nunquam tamen Cotta ſuper Rochetum, uti conſuevere Auditores Rotæ &c. nam Protonotarii, inquit laudatus Petra, ſemper incedunt cum Cappis; & hæc eſt ratio, ut expendit Card. de Luca *in Relat. Curiæ diſc.*44. cur aliquando præcedant ipſi etiam noſtro tempore Epiſcopis, puta in equitatu ſolemni, qui fiat in ingreſſu magni Principis; ſiquidem in eo primum locum occupant Epiſcopi Aſſiſtentes, deinde Protonotarii, poſt iſtos veniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi. Id vero, ait, propterea fit ſine inconvenientia; quia Protonotarii incedunt in Cappis, ut dici ſolet, parati: receptum autem eſt, quod parati præcedant non paratis, etiamſi non parati ſint ſuperiores, atque illis debeatur præcedentia: ex Card.de Luca *ibidem*.

27. Locus ſedendi in publicis functionibus congruit tam præcellenti Prælaturæ: etenim non ſolum in Cappella Pontificia, ſed in ipſis Conciliis, uti affirmat Jacobatius, Protonotarii poſt Epiſcopos immediate ſunt ponendi; quia hi, inquit ille, ſuccedunt loco Evangeliſtarum, unde immediate poſt Apoſtolos repræſentatos ab Epiſcopis ſedere debent.

28. Dixi, in ipſis Conciliis habere hanc præcedentiam: quod intelligas in caſu, quo ipſi vel tanquam ipſius Concilii adminiſtri, vel tanquam familiares Papæ in comitatu ipſius Papæ Concilio intereſſent, prout noviſſime contigit in nupero Concilio ſub Benedicto XIII. ubi duo interfuere Protonotarii Apoſtolici, qui ejuſdem Concilii actis ſubſcripſerunt, & olim contigerat in antiquiſſimo Romano Concilio ſub Gelaſio, in quo hæc extat apud Baronium Notarii teſtificatio: *Sixtus Notarius S.R.E. juſſu Domini mei Beatiſſimi Papæ Gelaſii ex ſcrinio edidi*. Cæterum ipſis non competit jus ſuffragii, & deciſionum in Conciliis, nec ſunt neceſſario ad eadem vocandi, ex Jacobat. *lib.*2. *art.*2. §.*De Perſonis &c.*Aliquando tamen factum eſt, ut Pontifices Romani

ad Concilium miserint unum ex Protonotariis, qui suo nomine, & Pontificia vice interesset; uti testatur Thomassin. *p.* 1. *l.* 2. *cap.* 104. *ex epist.* 10. S. Leonis I. Papæ.

CAPUT VII.

De forma admissionis ad Collegium Protonotariorum Participantium.

29. DUplex est aditus ad nobilissimum hoc Protonotariorum Collegium; alter per obitum alterius Protonotarii; alter per resignationem. In utroque casu porrigitur a candidato supplex libellus per viam Datariæ Sanctissimo Domino Papæ, in eoque exponitur sive completa vacatio Protonotariatus per obitum, sive imminens vacatio per resignationem intentam ab aliquo ex duodecim Protonotariis, & supplicatur Sanctitati suæ, ut velit in defuncti locum oratorem admittere, aut, si res agatur per resignationem, velit Protonotario veterano resignandi potestatem facere, & in resignantis locum oratorem substituere cum omnibus emolumentis, indultis &c.

30. Antequam vero ejusmodi supplicatio fiat, tractatum præcessisse oportet vel immediate cum Dataria, si per obitum alterius Protonotariatus obtinendus est, vel cum Protonotario meditante resignationem, si per resignationem ejusdem assecutio procuratur; & in utroque casu, sive cum Dataria, sive cum resignante respective, de pretio erogando convenisse, quod, teste Card. de Luca *de offic. venal. cap.* 2. non est fixum, sed varium, juxta temporum contingentiam, nec solvitur pro assecutione Prælaturæ, sed pro notabilibus emolumentis, quæ officio Protonotariatus affixa sunt. Quare apud rerum peritos, & Romanæ Curiæ non detractores, ejusmodi emptio, ac venditio longe abest ab omni specie simoniæ. Vid. Card. de Luca *loc. cit. cap.* 3.

31. Postquam Pontifex supplicationi annuerit, & juxta petita rescriptum dederit, per consuetos Datariæ administros recognitum, ac firmatum, tunc mittitur id ipsum Secretario Collegii Protonotariorum, qui Illustrissimum Collegii Decanum commonefacit, ac de ipsius mandato stata die Collegium indicit pro admissione novi Protonotarii; qui interea temporis convenit in propria uniuscujusque domo singulos Protonotarios in Curia existentes, iisque significat suum desiderium, ut in Illustrissimum eorum Collegium cooptetur.

32. Ubi præstituta dies advenerit, ad locum Collegii, qui solet esse in ædibus Decani, se confert novus Protonotarius indutus vestibus Prælatitiis, nempe talari toga violacea cum Mantelletto, & zona ejusdem coloris; & pileo cordulis violaceis circumdato cum floccis rosacei coloris, deferente uno ex servis involutum in panno serico coloris pariter violacei Rochetum, Biretum, & Pileum Pontificalem.

33. Is locum Collegii, seu ædes Decani ingressus, aulam subit, ibique depo-

deposito pileo Biretum induit, moxque a domesticis Decani in interiorem aliquam ædium partem introductus, dum Collegas præstolatur, scribit manu propria juramentum de observando omnia & singula Collegii statuta, reformationes, constitutiones &c. prout ab aliis Protonotariis observata sunt, atque hactenus observantur, abdicatis omnibus & quibuscumque exemptionibus, ac privilegiis sibi quomodocumque competentibus, quæ ejusmodi statutis, reformationibus, & constitutionibus adversentur.

34. Coacto jam Collegio, & considentibus singulis juxta ordinem Protonotariis, introducitur a Secretario in totius Collegii conspectum candidatus, qui Mantellettum exuens, ac manu Biretum tenens, primum toti Collegio reverentiæ signa exhibet, deinde genuflexus in pulvinari existente ante Illustrissimum Decanum emittit professionem Fidei, ac supra expositum juramentum. Quibus absolutis accipit ab Illustrissimo Decano insignia Protonotariatus, Rochetum videlicet, Mantellettum, Biretum, & Pileum Pontificalem, atque ad amplexum Decani, cæterorumque Protonotariorum admittitur; sicque Collegio Protonotariorum intelligitur adscriptus: non participat tamen de redditibus massæ, nisi elapso sexto a sua admissione mense: quamvis minutorum redditiuum statim fiat particeps.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



PARS

PARS SECUNDA

DE PROTONOTARIORUM OBLIGATIONIBUS GENERALIBUS, QUATENUS ROMANÆ CURIÆ PRÆLATI SUNT.

35. Onorem quemlibet peculiare ac proprium comitatur onus. Hinc Prælatura omnis, ac præsertim hæc amplissima, suis non destituitur obligationibus. Has in hac Parte paucis perstringam, easque tum ex Pontificum Constitutionibus, tum ex juramento ipso, quod Prælati emittunt, in medium proferam; ut appareat, jure iis ad dignitates aditum patere, qui pluribus in Romana Curia legibus obstricti ad hanc legum Ecclesiasticarum normam vitam moresque suos componunt: ut sane faciunt quotquot e Collegio nunc sunt, quibus cum S. Cypriano *l.3. ep.3.* jure dixerim: *Vos estis, qui quod nos verbis conscripsimus, factis impletis.*

36. Porro obligationes, quæ Prælatos generaliter afficiunt, in quinque ferme classes distribuuntur. Nam imprimis ab iis exigitur morum integritas; deinde solidæ doctrinæ excellentia; tertio fidelitas in Principem; quarto secreti tenacitas; postremo severa a munerum susceptione abstinentia.

CAPUT I.

De morum integritate.

37. QUæ de vita, & honestate Clericorum a sacris Canonibus recte compositeque sunt instituta, ea vel maxime ad Romanæ Curiæ Prælatos pertinere, nemo unus est qui ignoret. Certe hanc in primis qualitatem, integritatem videlicet morum, nobilissimo Prælatorum cœtui inesse oportere, censet S. Bernardus *lib.4. de consideratione ad Eugenium*: *Nam Clerum hunc*, ait, *ordinatissimum esse decet, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam Cleri forma processit*: ac paulo post ad ea descendens, quibus potissimum ornari debeant, qui de Pontificis domo, ac mensa sunt: *Inveniantur*, inquit, *præ cæteris expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas soliciti, circumspecti ad se se custodiendos in omni castitate.* Ad Pontificem deinde se convertens, addit: *In talibus, ut opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Dominum timeant nibil, nihil sperent, nisi a Deo. Qui adventantium, non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate pro mansuetis terræ &c.* Horum vero optima redditur ratio; nam ille subdit: *Interest gloriæ Sanctitatis Tuæ, ut, quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis, & ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma.*

38. Quare, ne multis rem exploratiſſimam urgere videar, poſt limatiſſimum S. Bernardi judicium, nihil aliud proferam, quam Pontificiam Alexandri VII. ſanctionem, ex qua ſatis apparet, Romanorum Pontificum mentem eam eſſe, ut qui huic ordini adſcribuntur, morum integritate, atque Eccleſiaſtica litteratura præ cæteris commendentur. *Prælati,* inquit citatus Pontifex, *Prælati Romanæ Curiæ, qui tanquam ſtellæ in firmamento militantis Eccleſiæ relucent, ac in arduis quibuſque negotiis Apoſtolicæ Sedi opera, & conſilio præſto eſſe debent, ii demum deligantur, qui optima indole, moribus, ac litteris præſtantiores, cæteris veræ virtutis exemplar ſe ipſos præferunt.* Ubi illud notandum, hanc morum ac litteraturæ præſtantiam requiri a Pontifice in ipſo veluti limine, ac primo ad Prælaturam ingreſſu; unde conjicere pronum eſt, quonſque ſe porrigere debeat Prælati illius virtus ac ſanctitas, qui plures in Prælatura annos expleverit.

39. Intellexit hæc olim integerrimus S. Damaſi eo nomine Primi adminiſter, atque inter Eccleſiæ Doctores maximus S. Hieronymus, qui in Romana Curia Pontifici cum eſſet ab epiſtolis, ea ſanctitate ſibi vivendum duxit; ut in detractores deinde ſuos potuerit confidenter hæc contorquere: *Dicant, quid unquam in me aliter ſenſerint, quam Chriſtianum decebat? Pecuniam cujuſquam accepi? Munera vel magna, vel parva non ſprevi? In manu mea æs alicujus inſonuit? Obliquus ſermo, oculus petulans fuit?* Hæc profecto S. Doctor cum vel præſtiterit, vel abhorruerit reſpective, eam vitæ integritatem exhibuit, ut ſpectatiſſimum ſe Romanæ Curiæ Prælatum probaverit, & calumniatorum, cæterorumque os loquentium iniqua obſtruxerit.

40. Ne tamen vetera hæc inopportunus fortaſſe proponam, adeſt nuperis temporibus (ut cæteros quamplures omittam) qui imitationi deſervire poſſit, celeberrimus ille vir Joannes Franciſcus Cardinalis Commendonus, cujus ampliſſima extiterunt Eccleſiaſticæ virtutis monumenta in octo illis nobiliſſimis Legationibus, quibus functus eſt, quarumque immortalis erit memoria. Hic quippe tantus vir inter Prælatos a Julio III. collocatus, illud ſibi propoſuit, ut in ſacrorum diſciplina, atque inſtitutis Chriſtianæ religionis pietatem diligenter, ac ſtudioſe, non pure ſolum, & caſte coleret: dedit propterea operam, ut qui eſſent in Urbe docti viri, ac probi, eorum conſuetudine maxime uteretur, intelligens, quale cujuſque ſit ingenium, ex eorum maxime moribus æſtimari ſolere, in quorum quis amicitiam ſe contulerit. Ab adulatione ſemper abhorruit, atque idcirco Innocentium Montium, quem alii omnibus colebant officiis, quia tamen moribus viveret nova fortuna minus dignis, ipſe nec proprie obſervavit unquam, & penitus ſe domo ejus abſtinuit. Secundis in rebus ita ſibi temperabat, ut cum ei ab univerſis ob res præclare in Anglia geſtas magna gratulatio fieret, in ſua ſe vitæ morumque modeſtia diligentius etiam quam antea continuerit. Adverſas vero res tam elato animo ferebat, ut a Pauli IV. gratia per calumniam cum deciderit, animum non deſponderit, ſed [illegible]nus publicis muneribus per gravia ac ſeria ſtudia optimum ſe reipubli[illegible]miniſtrum efformare perrexerit. Erat præterea intactus ab avaritiæ ſordi[illegible], & a lucri cupiditate vehementer alienus: quod cum alias, tum maxime ex rejecta

cta cujusdam Germanici Dynastæ opulentissima largitione significavit; adeo ut ex iis unum dixeris, quos S. Bernardus pluribus commendat, nempe qui *ad Pontificem ex provinciis, ac Legationibus redeunt fatigati quidem, sed non suffarcinati, simul & gloriantes, non quod curiosa, seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Hæc ex Illustrissimo Episcopo Gratiano, Latino Commendoni historiographo sive accepi, sive exscripsi; ut quæ Prælatis morum vitæque integritas convenit, in uno hoc terso vivoque veluti speculo elucescat. Certe obmutescerent Romanæ Curiæ hostes, si ad ejusmodi virtutis exemplar Curiales omnes se componant; &, ut optime ajebat S. Hieronymus *in epist. ad Nepotianum, Judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quam diviti, & magis; sanctitatem venerabitur, quam opes*.

CAPUT II.

De sacræ & Ecclesiasticæ doctrinæ studio.

41. Altera Prælatorum obligatio est in id sedulo incumbere, ut sacrarum ipsi & Ecclesiasticarum rerum studio vacent, atque exquisitissimam, quo ad fieri potest, penitioris litteraturæ sibi doctrinam comparent. Etenim unusquisque jure naturæ tenetur curare, ut sit idoneus ad munus quod suscipit: cum autem munus Prælatorum sit in arduis quibusque negotiis Apostolicæ Sedi opera, & consilio præsto esse, plane consequitur, sacrarum rerum studio iis quamdiligentissime esse vacandum. *Sancta quippe rusticitas*, ut ait S. Hieronymus, *solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat*. Accedit, quod imperiti, & illitterati, judices esse non possint, & munus judicandi scientia destitutis non sit credendum, ex Baldo *in L. ultima quæst. 16. C. de hæred. instit.* Cum autem Prælatis sæpenumero judicandi officium demandetur, eos litterarum scientia, & cognitione præstantes esse oportere, exploratissimum est. Hinc Alexander VII. *in sua citata Constitutione* sancivit, ut inter Prælatos ii sint adscribendi, qui non solum moribus, sed litteris etiam fuerint præstantiores.

42. Dixi, Ecclesiasticarum rerum studio &c. nam docet S. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 1. quod Religiosis (& a fortiori Clericis, ac talibus Clericis) competit principaliter intendere studio litterarum pertinentium ad doctrinam, quæ secundum pietatem est: & maximus inter Doctores S. Hieronymus orat Paulinum Presbyterum, ut inter Scripturas sanctas vivat, istas meditetur, nihil aliud noscat, nihil quærat, subjungens illud Clericorum menti alte inserendum: *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in Cælo*. Profecto prælaudatus Joannes Franciscus Card. Commendonus cum poesi ante Prælaturam indulsisset, ubi primum inter Prælatos est cooptatus, rem totam prorsus abjecit, nec postea per omnem vitam attigit amplius. His quippe, ac similibus artibus satis decoratur adolescentia. Virum gravem, & Ecclesiasticis obsequiis mancipatum, alia, & graviora decent studia.

43. Ma-

43. Materiem proinde Prælatorum studiis uberem satis, & honestissimam præbebit primo sacra ipsa Scriptura, deinde Jurisprudentia tum Civilis, tum Canonica, postremo Historia sacra, atque omnis antiquitatis, Patrum, & Ecclesiasticæ disciplinæ cognitio. Nec ab iisdem negligenda est Theologia, tum ea quæ dicitur Scholastica, tum Dogmatica, tum Moralis. Nam licet per hæc tempora quamplures sint, qui per summam injuriam in invidiam illam vocent, meminisse tamen oportet, sacram Theologiam plurimi semper æstimatam fuisse a Summis Pontificibus, & Conciliis generalibus, præsertim Lugdunensi, Viennensi, Florentino, ac Tridentino, in quibus Theologorum discussio ac diligens consultatio, morum ac Fidei decretis semper aut fere semper anteivit, ea Christianæ reipublicæ utilitate, quam abunde ostendunt tot veteres hæreses, illis cooperatoribus, profligatæ, & novæ hactenus subnascentes depressæ. Certe Romanus Pontifex Sixtus V. *in sua Constitutione* 76. tam aliter sensit, ac moderni illi Theologiæ contemptores, ut expresse pronunciaverit, Scholasticam Theologiam maximum semper Ecclesiæ adjumentum attulisse, ac multum eam valere *sive ad Scripturas vere, & sane intelligendas & interpretandas, sive ad Patres securius, & utilius perlegendos, & explicandos, sive ad varios errores, & hæreses detegendas, & refellendas*. Scio, scholasticas illius subtilitates reprehendi, spinosum ratiocinium traduci: sed, si quis diligentius rem introspexerit, deprehendet fortasse, ab iis plerumque hæc fieri, qui vel sui erroris retinentissimi eam machinam oderint, per quam putant se libertatem docendæ hæreseos perdere, vel laborem exosi, toti in eo sunt, ut respublica viris quidem eruditis abundet, doctis vero careat omnino. Cæterum, si quis in ea tempora oculos converterit, quibus Theologiæ studium apud summos & imos in pretio erat, intelliget, eos Christianæ reipublicæ athletas tunc floruisse, quos nostra fortasse desiderat, ac futura omnis admirabitur extolletque in Cœlum ætas. Quare Romanæ Ecclesiæ utilitati qui servit, in hoc etiam studio versari non abhorreat, ac sacræ Theologiæ præceptis institutisque animum excolat.

44. Ratio vero inter cujuslibet facultatis studium adhibenda est. Ac primo, si quis in Scripturis sanctis, & universa scientia sacra velit erudiri, ductore aliquo prævio ac monstrante semitam ingrediatur; nam, ut sapienter de more docet S. Hieronymus *ep. ad Paulinum, habet nescio quid latentis energiæ viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat*. Profecto agricolæ ipsi, inquit citatus S. Hieronymus, *absque doctore non possunt esse, quod cupiunt*. Quanto igitur difficilius sine magistro scientiam sacram assequemur, quam requirimus? Deinde sedulo cavendum est, ne perturbentur ac permisceantur studia; etenim varietas, ac multitudo rerum tum intelligentiæ tenebras, tum memoriæ confusionem afferet. Ordo proinde, certusque & constans sit studendi tenor, ac quibusdam veluti gradibus ab uno ad aliud scientiarum genus pateat accessus: qui enim simul prosequitur omnia, nihil propemodum adipiscitur; & qui huc illucque discurrit, metas novissimus attingit.

45. Postremum illud valde observandum superest, ut habeatur librorum

delectus. Nam statim ad manus ii sint, qui novo, & adhuc inexploratæ fidei Auctore prodierint: imo qui ex regionibus venerint occulto morbo laborantibus, suspicionem faciant. Quod si ea celebris habeatur in fronte libri promissio tradendi doctrinam ex sacra Scriptura, Conciliis, & Patribus &c. is liber suspicionem augeat; nam, teste Balthassarre Francolino *in suo Cleric. Rom. ea non, ut olim, promissio nunc est in recentibus quibusdam compendiariis dogmaticis, moralibus, ac textualibus Theologiis, sed est protestatio quædam, qua Auctor significat, se scholasticam viam in probando confirmandoque assertiones suas non insistere, non speculari, non rimari, sed textus congerere veterum Doctorum, recentiorum nunquam, seque solum proinde velle esse veterum Scriptorum, & Canonum interpretem*. Ex hujus observationis defectu recens quædam lues in dies serpit, & ex vana novorum atque exterorum librorum lectione nonnulli doctrinæ sibi famam aucupantes, venenum miro cum artificio, & sub obscura quadam ambage verborum involutum & ipsi bibunt, & aliis propinant. Propterea universe statuendum sic censeo, ut unaquaque in arte, qui duces habentur, ii primum & plurimum legantur: S. Thomas videlicet in Scholastica Theologia, Card. Bellarminus in Dogmatica, Laymanni Summa, aut Sylvestri in Morali, Card. Baronius in Ecclesiastica Historia, Abbas Panormitanus, Felinus, Fagnanus in Jure Canonico &c. nec unquam pruritus ille subrepat, ut, nostratibus, ac probatissimis neglectis, recentes & exteros Auctores avide sectemur: præsens enim nostrorum temporum calamitas timori locum facit, ne Auctores aliqui antequam sapientum ac proborum judicium præsertim in Romana Curia subierint, ex eorum numero sint, qui, ut ajebat apud S. Hieronymum Epiphanius, *non contenti perditione sua volunt plures mortis habere participes*. Quamobrem omnium mentibus alte insitum optarim, quod sapienter idem Hieronymus monebat *in epist. ad Furiam*: *Post Scripturas sanctas, doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat, quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere*. Hæc intelligenti satis.

CAPUT III.

De fidelitate erga S. R. E. & Romanum Pontificem.

46. Quamvis Christiani omnes teneantur fidelitatem exhibere Romano Pontifici, tanquam visibili Ecclesiæ Capiti, & Jesu Christi in terris Vicario, specialissime tamen ad eam tenentur Romanæ Curiæ Prælati tum ex officio, tum ex jurata promissione. Ex officio quidem; quia sunt domestici & familiares ipsius Pontificis: constat autem, familiares ac domesticos præcipue erga dominum fidelitatis vinculo obstringi, siquidem eorum fidei se Princeps industriæque committit. Hinc *in Psalm.54.* postquam conquestus est Rex David de tota civitate & populo, specialiter conqueritur de proditione consiliarii & familiaris sui Achitophel per ea verba: *Tu vero, homo unanimis, dux meus, & notus meus &c.* quasi dicat, ut docte explicat Bellarminus, nunquam a te ejusmodi infidelitatem expectassem, quoniam tu homo

homo unanimis videbaris, dux meus, ideſt conſiliarius meus primarius, cujus ego ſententiam in rebus agendis ſequebar.

47. Ex jurata promiſsione; nam expreſsis verbis ſic jurant Prælati: *Ex hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, ſanctæque Eccleſiæ, & Domino meo Domino Papæ, ejuſque Succeſſoribus canonice intrantibus.*

48. Porro hæc fidelitas in tribus potiſsimum ſita eſt: I. in obſervanda, atque, ubi opus fuerit, defendenda perſona ipſius Principis: II. in manutenendo ejuſdem jura, regalia, leges, & mandata: III. in adimplendo exacte id, ad quod unuſquiſque eſt conſtitutus. Ac primo quidem Principis perſona obſervanda, atque, ubi opus fuerit, defendenda eſt. Nam, ex S. Thoma 2.2. *q.26. art.3. in corp.* exploratum eſt, ſubditum quemlibet, ac præſertim conſtitutum in miniſterio, teneri vitam ipſam exponere pro ſalute reipublicæ, adeoque pro capite, ſeu Principe, a quo multum pendent reipublicæ commoda. Hinc ſumma apud omnes laude ac prædicatione effertur Hugo ille Cardinalis de Alatro, qui adverſis in rebus ad Tiberina oſtia cum fugeret Pontifex Gelaſius II. cumque nihil eſſet propius, quam ut aut cæderetur, aut raperetur ab hoſtibus, ipſe ſanctiſsimum Senem ſuis humeris impoſitum Ardeam detulit, atque in Caſtro S. Pauli incolumem depoſuit. Neſcias, an commendabilior, quod Principem in eo etiam rerum anfractu ſenſerit, aut quod adverſam ejus fortunam non declinaverit.

49. Deinde manutenenda ſunt ipſius Principis jura, regalia, leges, & mandata. Nam, ex S.Thoma 2.2. *q.*103. domeſtici ac familiares peccant, ſi domino juſta præcipienti non pareant, aut grave illi damnum inferant, vel inferri permittant, cum poſſint impedire. Intellexit hæc celeberrimus ille ac primarius S. Gregorii VII. adminiſter, S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui nihil unquam habuit antiquius, quam ſui Principis mandata reverenter ſuſcipere, prompte exequi, atque alacriter tueri; adeo ut de illo pronunciaverit Card. Baronius: *Anſelmus Gregorio fuit in omnibus certaminibus manus dextera*: nec quidquam in eo magis Schiſmatici reprehenderint, niſi quod fuerit Gregorio addictiſſimus; quæ ſane reprehenſio in ſancti hujus miniſtri gloriam cedit quammaximam, dum enim de ea re arguitur, de ſingulari fidelis adminiſtri virtute commendatur.

50. Notandum tamen eſt, a debita fidelitate non aberrare, qui ab imperatis faciendis aliquando ſuperſedeat, ut Principem interea temporis de re tota commonefaciat. Præſtat enim quandoque e re ac tempore voluntatem Principis ulterius explorare. Hinc Pontifex Alexander III. Ravennati Archiepiſcopo reſcripſit: *Qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas; quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum*: *Cap. Si quando, de reſcr.*

51. Non facile tamen mandata interpretabitur; nam, ut recte monet Cardinalis Pallavicinus *lib.*13.*cap.*18. *Concil.Trid. Hiſtoriæ*, fideli miniſtro curandum plerumque eſt, ut ad verbum Principi obediat: etenim interpretatione

in iis uti nequaquam par est, quorum præcisum ac strictum habetur a Principe mandatum, præsertim quando hujus nulla appareat ratio, quam metiri cum administer non possit, valida ac fortasse maxima ut ab eodem existimetur, necesse est. Nec quemquam decipiat Illustrissimi Spondani in suo Auctario enarratio, qua vehementer laudatur Legati Pontificii prudentia, propterea quod iterata S. Pii V. jussa is reipublicæ tunc temporis incommoda censuerit, atque idcirco eadem exequi consulto prætermiserit, cujus deinde facti Pontifex ipse laudator extiterit, & ministro suo gratias habuerit. Non, inquam, hæc quemquam decipiat narratio; ea quippe veritati non omnino conformis ostenditur a Laderchio *in Continuatione Baroniana*, ubi, non absolute, sed conditionate fuisse a Pontifice Legato suo ea data mandata, nec unquam conditionem advenisse, firmissimis monumentis comprobatur. Quare ex tali facto exemplum peti non potest, quo quisquam sibi persuadeat, licere aliquando ministris ab expressa, nec manifeste illicita Principis voluntate discedere, vel eam ad id, quod ex circumstantiis intelligi potest, facili arbitratu detorquere.

52. Postremo fidelitas in eo præcipue demonstrabitur, si injuncto sibi muneri unusquisque pro viribus satisfaciat. Etenim fidelitas est quædam virtus moralis, quæ præbet constantiam in servandis promissis: & quia in quocumque munere recte præstando invenitur quædam moralis obligatio, & quasi implicita pactio, ideo qui satisfacit suo muneri, solet fidelis appellari, juxta illud Evangelii *Matth.* 25. *& Lucæ* 19. *Euge serve bone, & fidelis*. Ita ex Suarez *de Fide disp.* 1. aliisque.

53. Hoc posito, fidelis est, qui demandatum sibi munus recte sancteque obit. Puta, Prælatus, qui Judex a Principe constituitur, fidelis erit Principi, si optimi Judicis partes omnes expleat, si in expendendis causis diligens sit, si faciles litigantibus aures præbeat, si unicuique jus suum tribuat, nec diu unquam sine justa causa sententiam protrahat. Prælatus, qui urbibus præficitur, fidelis erit Principi, si propriam gubernantis personam induat, videlicet si publico omnium ac privato singulorum bono prospiciat, ac pro viribus det operam, ut legibus reverentiam, moribus addat probitatem. Similiter de cæteris peræqua proportione dixeris.

54. Hæc igitur tria, quæ hactenus paucis ac strictim recensui, fidelem administrum constituent; iisdemque Prælatus juramento, quo obstringitur, rite satisfaciet.

CAPUT IV.

De secreti tenacitate.

55. Appendix quædam rei præcedentis est quarta præsens obligatio: etenim fidelitatem vel subsequitur, vel facit commissi secreti perquam exacta custodia ac tenacitas. Nam infidelis diceretur, & esset, qui secretum sibi concreditum aperiret. Hinc tritum est apud sacras litteras Proverbium *cap.* 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*. Et quidem peccaret graviter consiliarius, aut minister,

ster, qui in materia gravi illud læderet, ut firmant Navarr. *in Manuali cap.25. num.4.* Sanchez *in consil. tom.2. lib.6. cap.6.* Card. de Lugo *de just. disp.14. num.135.* aliique communiter. Ratio est; quia eo ipso quod ii suscipiunt a Principe ministerium, censentur ex sua parte suscipere onus servandi secretum, & non manifestandi res sibi propositas, quæ illo indigent.

56. Quod autem obligatio hæc gravis sit, quando materia secreti talis est, constat argum. *l.1. §. Qui deposita, ff. Ad Leg. Cornel. de falsis*, ubi frangens secretum commissum punitur juxta rei gravitatem pœna falsi, prout explicat Decian. *lib.7. cap.17. num.8.* pœna autem gravis non imponitur, nisi ob culpam gravem.

57. Advertas, id procedere attenta solius ministerii natura, etiamsi nullum specialiter de secreto servando emissum fuerit juramentum, prout in variis Romanis Congregationibus fieri consuevit. Gravius autem tale vinculum obstringere, quando naturali huic obligationi adjicitur ex juramento religionis obligatio, nemo est qui non intelligat.

58. Dixi, quando materia secreti gravis est; nam rata est communis Theologorum doctrina, quod qui ex officio suscipiunt onus servandi secretum, eatenus teneantur illud servare, quatenus materia illud postulet; atque idcirco non peccent graviter illud lædendo, si non magni intersit secretum servari; lethaliter vero peccent, si multum intersit (ut sane sæpissime) servari secretum.

59. Hæc porro doctrina cum grano, ut ajunt, salis intelligenda est: etenim non de facili sibi quisquam persuadere debet, non magni hic & nunc interesse servare secretum; tum quia ex parva sæpe re gravissima pendent negotia; tum quia ex unius dumtaxat secreti detectione, quod parvi æstimatur, maxima non raro, & magni momenti arcana acuti homines introspiciunt. Stat enim illud ex sacris litteris *Prov.20. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud*, idest per sapientiam & solertiam ex parvis rimulis secreta expiscabitur, ut bene hic notat Cornelius a Lapide.

60. Imitanda proinde est S. Ambrosii fidelitas, qui ita tacitus apud se secretum servabat quodcumque sibi commissum, ut ne fratri quidem dilectissimo Satyro illud vel leviter communicaret, unde de obitu Satyri: *Cum omnia*, inquit, *nobis essent nostra communia, individuus spiritus, individuus affectus, solum tamen commune non erat secretum amicorum, non quod conferendi periculum vereremur, sed tenendi fervaremus fidem .... Erat enim fidele indicium, extraneo non esse proditum, quod non esset cum fratre collatum.*

61. Profecto tanti semper apud omnes gentes commissi secreti tenacitas fuit, ut Ægyptii, teste Diodoro Siculo *lib.2. cap.2.* linguam abscindi juberent illi, qui secreta revelasset; Romani autem hujusmodi hominem aut vivum comburendum, aut furca suspendendum existimarent. Ita Paulus *L. Si quis aliquid ex metallo, ff. de pœnis*. Quamobrem & honestas, & conscientia, & pœnæ formido ministerium Principis obtinentem commonefaciunt, ut secretum custodiat, & a revelando quod celandum est, omnino, & cum omnibus caveat.

CA-

CAPUT V.

De abstinendo a munerum susceptione.

62. HOc postremum spondent in suo jurejurando Prælati per hæc verba: *A donis, muneribusque, & xeniis abstinebo, & meos familiares abstinere omni diligentia qua potero procurabo [exculentis, & poculentis non fraudulenter dumtaxat exceptis]; ita quod per me, vel alium in quocumque casu nihil recipiam, nec a meis familiaribus recipi permittam, sine Domini Papæ, vel ejus Camerarii licentia speciali.*

63. Quousque se extendat hæc jurata promissio, ex recepta ac præscripta consuetudine metiri oportet: nam juramentum promissorium eamdem habet conditionem, eodemque modo explicandum est, quo promissio, cui est annexum; siquidem accessorium sequitur principale: ideoque, quando & quatenus non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum, ex Bonacina, Lessio, aliisque. Cum autem hæc promissio abstinendi ab accipiendis muneribus non extendatur ultra limites, quos hic & nunc dederit recepta & præscripta consuetudo, siquidem promittens non intendit ad id se obligare, nisi quatenus id sit in usu, & observetur a majori parte suæ communitatis; sequitur &c.

64. Excipe, nisi jurans intendat eos fines transilire, & ultra præscriptam consuetudinem obligationem extendere; nam obligatio juramenti cum ex intentione jurantis maxime pendeat, manifestum est, quod si jurans voluerit jurare strictam ac severam abstinentiam ab omni munerum susceptione, ad eam tenebitur.

65. Porro, qualis sit hujusscemodi consuetudo, & qualem ipsa susceptionem munerum permittat, non ausim definire. Est enim aleæ plenum opus. Unusquisque consulat timoratorum ac proborum praxim, & meminerit, *non putandum, peccatum esse, quod boni facere solent*, ex Sa *v. Peccatum*. Meminerit etiam, nihil ita animum seducere ac pervertere, ut munera: quod ostendit Scriptura tum sæpe alibi, tum exemplo filiorum Samuelis, de quibus *1. Reg.*8. ita scriptum est: *Declinarunt post avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium*. Videantur etiam late hac re differentes Constantinus *ad Statutum Urbis adnot.*5. *num.*228. Eminentissimus Petra *ad Constitut. III. Pauli II.* & Castropalaus *de just. disp.*2. *p.*2. §.3. aliique quamplures apud ipsos, & SS. Patres.

66. Duo tamen observare non prætermittam. Alterum est, quod, spectato præcise jure naturali, receptio munerum non est judicibus illicita, nisi eo in eventu, quo fuerit periculum justitiam indebite ministrandi, prout tradit Vasquez *Opusc. de restitut. cap.*7. *dub.*7. atque idcirco contingere cum possit, etsi raro, nullum adesse periculum, sed liberum aliquem & expeditum esse ad ferendum judicium, æque ac si munera non accepisset, nequaquam is eo in eventu, si spectetur præcise jus naturale, recipiendo munera peccabit. Dixi, si spectetur præcise jus naturale; nam aliter dicendum est attento jure positivo tum

tum Civili, tum Canonico, ac præsertim attenta Pauli II. Constitutione, quæ incipit *Munera &c.* & Innocentii XII. quæ incipit *Sacerdotalem &c.* contra dantes, promittentes, acceptantes munera pro gratia, vel justitia obtinenda apud Sedem Apostolicam.

67. Alterum est, peccari, per se loquendo, graviter, & crimen admitti, quod dicitur concussionis, quando quis in officio, vel ministerio constitutus, non vult facere id ad quod tenetur, nisi data pecunia, aut oblatis muneribus, ex Sylvestro *v. Concussio*, & colligitur *ex L. Jubemus*, *Cod. ad L. Jul.* imo accipiens restituere tenetur, ex Armilla *v. Concussio &c.*

68. Cæterum abstinere ab omni munere recipiendo, res est commendatione dignissima, præsertim in viro Ecclesiastico, in quo veritas esse debet, atque odium avaritiæ, *Exod.* 18. & cujus manus ex Hugone Card. *in Psalm.* 25. *non decet tinctas esse pice cupiditatis ad retinendum, & attrahendum, sed inunctas unctione charitatis ad largiendum*. Hinc S. Abbas Claravallensis *lib.* 4. *ad Eug.* summopere laudat Martinum Presbyterum Cardinalem, qui vere post aurum non abiit, nec quidquam ad se unquam de aliorum redditibus passus est pervenire. En ejus verba: *Is Cardinalis Presbyter functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit, ut pene expensis, & equis deficientibus vix perveniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus, tunc pervectus est. Postridie vero sequutus Episcopus* [*erat enim illi causa cum adversario, & agendi aderat dies*] *capit requirere suffragia amicorum: cumque per singulos solicitaretur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus: Decepisti me, inquit: nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum: ecce in stabulo est: & hora eadem resignavit illi. Quid dicis mi Eugeni? Nonne alterius sæculi res est rediisse Legatum de terra auri sine auro? transisse per terram argenti, & nescisse argentum? donum insuper, quod poterat esse susceptum, illico rejecisse?*

69. Alia ibidem habet S. Abbas rei hujusce præclarissima exempla, & ex quibus tandem conficit, nullum fore eo sæculo felicius, quo talium virorum numerus bene magnus in Ecclesia Dei conspiceretur.

CAPUT VI.

De obligationibus particularibus Protonotariorum, quatenus tales Prælati sunt.

70. HActenus enumeratæ obligationes Prælatos Romanæ Curiæ quoscumque afficiunt. Reliquum jam est, ut proprias & peculiares quasdam Protonotariorum, quatenus tales Prælati sunt, obligationes ex ipso eorum officio, ac juramento erutas, breviter strictimque exponam. Ac primo quidem, cum Protonotariorum officium sit de actibus a Summo Pontifice in Consistorio publico ad perpetuam rei memoriam Instrumenta conficere, manumque & sigillum suum apponere, adeo ut sine testibus ea in judicio, & extra, ubique lo-

corum

corum plene probent, prout constat ex Sixti Constitutione §. 16. cum, inquam, hoc sit eorum officium, nemini dubium est, ipsis specialiter incumbere, illud docte, fideliter, justeque exercere: docte quidem, ne quid videlicet ex inscitia, vel negligentia in Instrumento omittant, unde privata, vel publica res detrimentum patiatur: fideliter, ne a veritate aberrent, nec verbis minus sinceris, aut minus puris utantur: juste, ne contra libertatem Ecclesiæ, aut contra Pontificis voluntatem quidquam conscribant: imo, quandoquidem in Sacra Rituum Congregatione Protonotario subordinatur Notarius, teste Eminentissimo Card. Lambertino, justitia exigit, ut ipse Protonotarius invigilet, ne ab illo aut accipiatur pretium rei, pro qua nullum est pretium exhibendum; aut pro qua potest accipi, non excedatur pretium a lege taxatum aut præscriptum; etenim ad Superiorem pertinet cura, ut subordinatus & inferior ab omni injustitia se contineat, & , quæ sui sunt muneris, rite exequatur.

71. Deinde cum unus e Protonotariis interesse debeat Congregationibus tum de Propaganda Fide, tum Sacrorum Rituum, & in ea, quæ est Rituum, sit ipse Consultor, tenetur in hujus Congregationis negotiis veritatem sincere aperire; ideoque ad illam indagandam, diligentiam studiumque adhibere. Gravitas autem hujus obligationis regulari debet non solum per rationem communem officii, sed etiam per gravitatem materiæ; ita ut quo gravioris ponderis est materia consilii, eo gravius obligetur Consultor non solum ad aperiendam veritatem, sed etiam ad illam exactius diligentiusque investigandam ac perscrutandam. Quare, cum valde grave sit, quod in Congregatione Sacrorum Rituum tractatur, & in deliberationem adducitur, siquidem vel de sacris cæremoniis, vel de cultu erga res sacras qua retinendo, qua amplificando, vel de referendis in Beatorum, ac Sanctorum album Dei Servis, ardua profecto & operosa res examinetur, sequitur, quod valde gravis diligentia, ac studium valde grave adhibendum sit, ut veritas ad liquidum constet, & pro veritate consilium detur, aut suffragium feratur. Hinc non solum peccaret Consultor, si aliter, ac ipse sentiat, sententiam diceret, sed etiam veritatem si aut impense assequi negligeret, aut quam assequutus fuerit, pudens prave occultaret.

72. Sciscitabitur hic fortasse nonnemo, an liceat Consultori, quando aliter ipse sentiat, in suffragio ferendo aliorum omnium, vel fere omnium sententiæ se accommodare? ℟. procedendum esse cum distinctione; nam vel certe ipse scit, sententiam suam veram esse, ac præ cæteris expedire; vel dumtaxat probabiliter id existimat? Si primum, neutiquam ipse potest se aliis conformare; non enim est unquam veritas derelinquenda, & consiliarius cum interrogetur, ut, quod sentit, fideliter explicet, non potest ille, salva fide, officioque suo, diversum aliquid, atque ipse sentiat, pronunciare. Si secundum, poterit suam opinionem deponere, atque aliorum plurium oppositam, ob eorum auctoritatem, veram, aut probabiliorem judicare, ac sub tali judicio, seu existimatione, ad proferendam sententiam juxta talem opinionem devenire. Non enim in hoc casu loqueretur secus ac sentiat, sed ex aliorum auctoritate sibi conscientiam efformaret, & eorum sententiæ se adjungeret;
quod

quod facile erit intelligenti reflexe suum judicium esse mere probabile, adeoque falli posse, nec esse normam, aut regulam veritatis, quare non necessario illi standum.

73. Ad extremum considerare debet Consultor, nihil sibi esse committendum, quamobrem negotium, de quo agitur, paribus hinc inde ponderibus non examinet, & in ipsius merita sedulo non inquirat: unde Cardinalis Dossat *ep.* 110. gravis homo, & certus, ajebat, ejusmodi officia non tam esse gradus honoris, & dignitatis, quam curæ, assiduitatis, diligentiæ, ac laboris. Meminisse hæc olim juvabit.

74. Tertio tandem, Collegium cum constituant Protonotarii, atque ejusdem Collegii leges ac statuta ipsi jurent, ea præstare debent, ad quæ tali se nexu devinxerunt; ita tamen, ut adjectum juramentum intelligatur secundum differentiam statutorum, intentionem Collegii, communemque collegarum interpretationem: si enim, ut docet Layman, gravis momenti statutum fuerit, & ita accipiatur quasi sub mortali obliget, tunc juramentum novam mortalem sacrilegii malitiam adjiciet; si vero levioris momenti statutum fuerit, vel si ita accipi solitum sit, ut sub veniali tantum culpa obliget, vel solum ad pœnam subeundam, tunc juramenti obligatio similiter intelligenda erit.

75. Statutorum materies potissima est circa redditus obvenientes Collegio, qui sunt in triplici differentia: alii enim percipiuntur ex fructibus Dohanæ, & Thesaurariæ Patrimonii ob assignationem factam a Sixto V. alii ex emolumentis Cancellariæ Apostolicæ derivatis e causis Consistorialibus: alii demum ex minutis servitiis, quibus quædam pecuniaria præstatio correspondet. Circa hoc triplex reddit.uum genus universalis quædam lex ac regula prodiit *die* 21. *Septembris anno* 1661. eaque hactenus est in viridi observantia. Quare huic debent Protonotarii, eorumque Collegii Secretarius obtemperare, præsertim jussum illud ratum atque firmum habendo, ut siquis a die possessionis Protonotariatus sextum elabi mensem permiserit, quin habitum Protonotarii induerit, vel si quis per ejusmodi temporis spatium a Curia ob aliam quam reipublicæ causam abfuerit, quintam sibi obvenientium redditis partem amittat, eaque aliis accrescat. Huc enim apposite referri potest, quod dicitur extra *de Const. Cap. Cum omnes: Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet*. Quod nempe universi statuerunt, singuli observare non graventur.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

PARS TERTIA

DE PRIVILEGIIS PROTONOTARIORUM IN COMMUNI, ET IN PARTICULARI.

76. Lura, & amplissima Protonotariis Participantibus Romani Pontifices concessere privilegia, præsertim vero Sixtus V. in sua Constitutione *Laudabilis*, sub datum *nonis Februarii anno Domini* 1586. Quinimo nonnullæ cum ortæ fuerint controversiæ circa ejusmodi privilegiorum vel usum, vel intelligentiam, plerumque in Protonotariorum favorem decreverunt sacræ Cardinalium Congregationes; ut videre est apud Barbosam *de jure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 23. Conspirarunt videlicet tum Romani Pontifices, tum sacræ Cardinalium Congregationes, ut Illustrissimi hujus Collegii ornamento & amplitudini plurimum studerent. Id ipsum equidem pro mea tenuitate intendens, primo universa quæ Sixtus impertivit privilegia acervatim enumerabo; quod a pluribus, scilicet Barbosa, Cohellio, aliisque factum reperio. Deinde eorum aliqua singulatim explicare instituam; quod neminem hactenus suscepisse cognovi. Methodus hæc erit, ut primo textum ipsum Constitutionis Pontificiæ, quo privilegium confertur, ad litteram proferam; deinde notas quasdam eidem annectam; postremo quæstionibus, quæ super eo privilegio fieri possint, pro viribus satisfaciam.

CAPUT I.

Referuntur privilegia a Sixto V. concessa.

77. HÆC ex citata Constitutione *Laudabilis* desumpta sic recenset Cohellius, cujus ipse verba exscribam. Sixtus V. antiqua hujus Illustrissimi Collegii nedum confirmavit privilegia, sed alia nova addidit, & omnia insimul oculis legenda obtulit; statim enim a dictæ Constitutionis initio quæcumque privilegia, exemptiones, & immunitates antiquitus huic Collegio impertitas, quatenus sunt in usu, & Concilii Tridentini decretis minime contraria, nec sub ullis revocationibus comprehensa, jura quoque, emolumenta quæcumque percipi solita, confirmavit, ac denuo concessit. Præterea facultatem fecit I. creandi Doctores, Notarios, ac Tabelliones.

II. Cum spuriis, bastardis, manseribus, incestuosis, & aliis ex quovis illicito & damnato coitu procreatis, ut ad quæcumque bona etiam Ecclesiastica succedant, dispensandi, cum derogatione etiam Constitutionis S. Pii V. in illegitimos emanatæ.

III. Statuta ad prosperum statum ipsius Collegii condendi, cum applicatione pœnarum ad commodum ejusdem Collegii.

IV. Sum-

IV. Summi Pontificis familiares & domestici Prælati ad instar, & æque principaliter ut illi, qui actu personæ ipsius Pontificis continue assistunt, ab eodem Sixto declarantur.

V. Panem honoris (partem vocant) ut intimi familiares, & Cameræ Apostolicæ Clerici, vestes lugubres in obitu, violaceas vero in Coronatione Pontificum habent: si Pontifex solemni pompa equitet, ipsis paludatis (cum Mantellonis dicunt) immediate post Episcopos Assistentes equitare permissum est.

VI. Litterarum Apostolicarum expeditiones cujusvis generis Beneficiorum, gratis habent.

VII. Emolumenta, quæ pro expeditionibus Ecclesiarum in Consistoriis fieri solitis recipiunt, & quarum ratione taxa huic Collegio solvi solet, nullo unquam tempore diminuantur, sed integra semper accipiant.

VIII. Consanguinei, affines, familiares antiquorum septem Protonotariorum arma, non tamen brevioris mensuræ, per Urbem, totamque Ecclesiasticam ditionem deferre valeant.

IX. Pro summa duorum millium ducatorum auri de Camera (etiam dimisso Protonotariatus officio) de bonis quoque Ecclesiasticis tam inter vivos, quam in mortis articulo disponere permittitur.

X. Ab Ordinariorum jurisdictione (prout etiam a Leone X. sancitum fuerat) exempti, Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ dumtaxat dominium ac potestatem agnoscunt.

XI. Collegialiter congregati Protonotarium unum extraordinarium, absque tamen emolumentorum perceptione, quolibet anno creare possunt.

XII. Qui ex septem Protonotariis J. U. Doctores fuerint, utriusque Signaturæ etiam Referendariorum numero adscribuntur, & ex ipsis unus antiquior in Signatura Gratiæ semper locum habet.

XIII. In quibuscumque actibus in Consistorio publico pro tempore faciendis unus ex ipsis vocetur, qui ad perpetuam rei memoriam, aliis etiam cum Protonotariis intervenientibus, si publica conficiant instrumenta, manum & sigillum suum apponant, absque testibus in judicio, & extra, ubique locorum plene probent.

XIV. In memoriam antiqui instituti a Clemente I. ad Sanctorum gesta conscribenda ordinati, unus ex ipsis Protonotariis, & unus Sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, in Canonizatione Sanctorum, & desuper Processu fabricando conjunctim intersunt.

XV. Consistoria, & Cappellæ a S. D. N. Papæ Cursoribus (ut Cardinalibus) illis insinuandæ sunt. Candelas, Palmas, Agnus Dei ejusdem qualitatis, prout Episcopi Assistentes, aureas argenteasque monetas in Coronatione Pontificis, ut Cameræ Apostolicæ Clerici, recipiunt.

XVI. Si Principes, vel eorum Oratores, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi Assistentes non adsint, postpositis Baronibus, aliisque Prælatis, unus ex Protonotariis caudam Pontificis sustinet. Præsente vero ex prædictis aliquo, duo ex ipsis Protonotariis antiquioribus fimbrias ipsius Pontificis in publicis actibus incedentis deferunt ex antiquo Romanæ Ecclesiæ ritu.

XVII. In sacro Presbyteratus Ordine constituti, Mitra, & quibuscumque aliis Pontificalibus ornamentis etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illorum tamen Præsulum, si præsentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, ac illis irrequisitis, in Missis solemnibus extra Curiam uti possunt.

XVIII. Altare portatile in locis non sacris ex quavis causa interdictis, etiam tempore cessationis a Divinis, dummodo ipsi causam interdicti hujusmodi non dederint, erigere possunt, ibique ante diluculum, & circa meridiem, in ipsorum, ac familiarium domesticorumque præsentia celebrari facere, ac celebrare valent.

XIX. Si per decennium septem prædicti officium Protonotariatus obtinuerint, etiam illo postea resignato, iisdem gaudent privilegiis: Rochetum tamen in Urbe non deferunt, locum in Cappella non habent, post Auditores Sacri Palatii, & Cameræ Apostolicæ Clericos incedunt.

XX. Ut privilegia prædicta inviolabili lege serventur, Vicecancellarius, Camerarius, Summator, aliique Sedis Apostolicæ ministri de mandato Pontificis invigilare debent.

XXI. A solutione vectigalis, seu gabellæ pro doliis sex vini, septem Protonotarios idem Sixtus exemit, & speciali Diplomate liberavit, Laertio Cherubino teste, asserente, se consulto prætermisisse inter alias Constitutiones illud inserere.

78. Acervatim, ut dixi, omnia hæc recensui, & ferme exscripsi ex Cohellio *in Notit. Card. cap.* 18. Singulatim nunc eorum aliqua considerabo, & ad rectam juris normam perpendam, non quod (absit) ea privilegia in dubium revocare velim, ut nonnemo arbitratus est, qui censorias parum amice sibi sumpsit atque arrogavit partes, sed quod eadem doctrinaliter interpretari, stabilire, &, si quæ sint obscura, apertius explanare instituam: sicque opus intactum hactenus, & a nemine, quod sciam, vel inceptum, vel absolutum, primus omnium ad Illustrissimi Collegii commodum & obsequium aggrediar, ac Deo adjuvante perficiam.

79. Quod vero statum quæstionis proponam per verbum Dubitabis, id non significat, absolute dubitationi locum esse, aut verum in re dubium supponi, sed illud fingi, ut eo tandem rejecto veritas magis eluceat. Ita passim fieri videmus a Canonistis, passim a Theologis, quibus nemo sanus judicaverit in dubium venire existentiam Dei, propterea quod ponant quæstionem, utrum Deus sit? & illi respondeant: videtur, quod non &c. deinde contrarium stabiliunt.

80. Quare vehementer miratus sum, quod reus nupera quodam viro fierem apud Illustrissimos Protonotarios, quasi male de eorum privilegiis mererer, eo quod inter eadem enarranda & explicanda sæpius hoc verbo uterer, Dubitabis. Ego ut rem ingenue fatear, cum sapientibus, & insipientibus debitores simus, jam mecum statueram eo verbo abstinere, illique substituere verbum Quæres. Verum, re melius considerata, non putavi, injustæ huic accusationi adeo deferendum, ut illius intuitu ab usitatissimo Canonistarum, ac Theologorum loquendi modo recederem. Male enimvero sentirem de sapientum judicio, si accusatores ejusmodi formidarem. Propterea censurarum harum securus, viæ quam tenebam insistam. CA-

CAPUT II.

De privilegio in particulari creandi Doctores.

TEXTUS.

81. Textus Sixtinæ Constitutionis quo ad hoc privilegium sic habet: *Ac nunc, & pro tempore existentibus Notariis de dicto numero, & eorum cuilibet, quoscumque, qui in Jure Canonico, & Civili, seu altero eorum per diligentem examinationem per se adhibitam, & assumptis secum duobus, aut tribus illius scientiæ & facultatis Doctoribus, scientia, & moribus idonei, & sufficientes fuerint, in utroque, seu altero Jurium hujusmodi, quos vero in Theologia [non tamen alicujus Ordinis Regulares], seu artibus, vel Medicina, aut alia licita facultate studuisse, & similem examinationem duorum, aut trium, & per eos eligendorum Doctorum, seu Magistrorum facultatis, in qua studuerunt, coram eis, aut aliquo eorum habendam, ad Magistrorum &c.*

NOTÆ.

82. Facultatum, ac bonarum artium studiosis certi sunt honorum gradus constituti, qui antonomastice idcirco gradus vocantur, quod gradatim, & cum progressione doctrinæ conferendi sint. Triplex horum est differentia. Primus dicitur Baccalaureatus, alter Licentiatus, tertius Doctoratus, seu Magisterium. Quando vero hi gradus, certusque promotionum ordo, & nomina, atque leges introductæ fuerint, non satis inter Auctores convenit, teste Middendorpio *de Academ.* ac Mendo *de Jure Acad.* Sunt enim qui putent, tempore Lotharii Imperatoris, Bononiæ; sunt qui, Parisiis initium habuisse, velint: quidquid autem id fuerit, illud satis liquet, ejusmodi gradus Pontifices, & Imperatores non solum probasse, sed pluribus etiam exornasse prærogativis: quinimo sacrosancta Tridentina Synodus tanti eos fecit, ut Doctoratus gradum ad plures ex Ecclesiasticis Dignitates, ac præsertim ad Vicariatum Capitularem, & ad Episcopatum, præmittendum sanciverit.

83. Auctoritas conferendi hos gradus residet penes supremum Principem, ac præsertim Romanum Pontificem, ex Mendo *in Epitom. v. Gradus*. A Principe derivatur hæc potestas in publicas Academias, Gymnasia, & Collegia, ubi, præmisso examine, & servatis aliis ex lege servandis, idoneæ doctæque personæ graduum horum insignibus exornantur. Factum etiam est decursu temporis, ut eadem potestas a Principe fieret quibusdam nobilioribus Familiis, ac sæcularibus Collegiis, quæ per diploma, vel rescriptum Doctores declarant, atque hi propterea Doctores Codicillares, Bullati, seu Honorarii nuncupantur, ex Mendo.

84. Jam vero Sixtus V. in sua Constitutione *Laudabilis, de anno 1585.* eamdem auctoritatem conferendi ejusmodi gradus Illustrissimo Protonotario-

rum

rum Participantium Collegio impertivit, & quidem non ita, ut id fieret per merum Diploma, sed *per diligentem examinationem per se adhibitam, & assumptis secum duobus, aut tribus illius scientiæ, & facultatis Doctoribus*, cum expressa declaratione, ut taliter promoti, omnibus plane prærogativis potirentur, ac si hujusmodi gradus *in aliqua etiam famosa Universitate suscepissent.*

85. Hac porro auctoritate usi sunt Illustrissimi Protonotarii ab eo tempore usque ad præsentem diem non solum in Italia, sed in Germania etiam, Polonia, Hispania, aliisque regionibus, per commissiones personis in Ecclesiastica dignitate constitutis directas. Et quamvis in Urbe, & ejus districtu, ex Motu proprio Clementis VIII. ab ejusdem auctoritatis usu ad tempus destiterint, ut infra dicam, tamen deinde, ex Urbani VIII. Indulto, etiam in Urbe, limitatam tamen, prout infra, doctorandi auctoritatem resumpserunt.

86. Et sane, quod plurimi faciendum est, magno semper in pretio Doctores ab hoc Collegio creati ubique gentium habiti sunt, nec quisquam repertus est, qui datis ab hoc Collegio doctorandi commissionibus obstiterit, aut eas, ne executioni darentur, impedire attentaverit: quod certe & privilegii firmitatem, & rectum ejusdem usum confirmat.

87. Ut vero privilegii hujusce vis & intelligentia magis appareat, quæstiones aliquas instituam: quibus dum satisfecero, ejusmodi cognitionem ac potestatem, ut spero, magis aperiam.

88. Dubitabis igitur 1. an facultas doctorandi sit penes Collegium Protonotariorum, vel apud singulos? ℟. distinguendum esse; nam, attenta Constitutione Sixti, atque extra Curiam, & Urbem, est tum apud Collegium, tum apud singulos: attenta vero Constitutione Urbani VIII. & in Curia, vel Urbe, est penes Collegium. Patet id omne ex verbis utriusque Constitutionis: Sixtus enim sic habet: *Nunc, & pro tempore existentibus Notariis de dicto numero, & eorum cuilibet*. Urbanus vero VIII. sic loquitur: *Ac insuper Collegio Notariorum de numero hujusmodi &c.* Unde liquido constat, Sixtum privilegiare tum Collegium, tum singulos: Urbanum vero privilegiare Collegium. Notandum tamen est, quod, licet singuli habeant facultatem doctorandi extra Curiam, & Urbem; nihilominus commissiones, quæ ad eum effectum mittuntur, solent mitti nomine totius Collegii.

89. Dubitabis 2. an, & quæ forma servanda sit ab ipsis in promotione ad Doctoratum? ℟. Extra Urbem, & Curiam, servandam esse formam, quam Sixtus præscribit: in Urbe, & Curia servandam esse quam præscribit Urbanus. Forma autem, quam Sixtus præscribit, hæc est: I. ut promovendus constituatur vel coram Collegio Protonotariorum, vel coram aliquo ex Protonotariis: II. ut examinetur idem ibidem a duobus, vel tribus Doctoribus, qui scientia, ac moribus idonei & sufficientes sint, ac per eosdem Protonotarios, vel eorum aliquem electi: III. ut examinatio hæc diligens sit, & de materia, in qua quis est doctorandus: IV. ut attendatur horum Doctorum attestatio de peritia, scientia, & moribus promovendi, & ad horum attestationem fiat promotio; quæ tamen nequit cadere in personas Regularium. Ita *ex Con-*

Constitut. cit. Sixti V. Forma, quam præscribit Urbanus, habet præterea, ut id fiat *prævio rigoroso examine*, *collegialiter &c.*

90. Dubitabis 3. an validus sit Doctoratus collatus a Protonotariis, non observata hac forma a Sixto præscripta? ℞. Negative. Ratio est; quia, quando lex alicui, qui prius non habuit potestatem agendi, eam confert sub certa ratione, conditione, ac modo, iste modus spectat ad substantiam actus: prout firmat Pikler *in Jus Canonicum tit. de const. num.*61. & constat exemplo *in Cap.*22. *de rescript.* ubi irritus pronunciatur actus delegati, nisi observet formam in delegatione potestatis præscriptam: cum autem Protonotarii non habeant antecedenter potestatem doctorandi, & eam ipsis conferat lex sub hac determinata ratione, hæc ratio pertinet ad substantiam actus; atque idcirco, ea deficiente, actus invalidus est, quamvis de invaliditate ipsius nihil expresse lex dicat. Accedit, quod id satis confirmetur a Constitutione Urbani habente expressas clausulas irritantes: *Quidquid secus, contra, aut præter formam fuerit attentatum &c.*

91. Dubitabis 4. an peccarent doctorantes imperitos, & inidoneos? ℞. affirmative. Ita Cajetanus *v. Doctorare*, Reginaldus *in Praxi lib.*25. *num.*668. S. Antoninus *in Summa p.*2. *tit.*3. *cap.*5. §. 6. Clericatus *in Miscellan. decis.*156. *num.*13. & Glossa *in Clement.* 2. *v. Honorem*. Ratio est; quia sicuti peccaret, & quidem graviter, qui diceret mendacium perniciosum populo, testificando, hunc esse sufficientem ad medendum, ad lites defendendas &c. quando is non est; ita hunc doctorando: siquidem per talem actum ferret mendax testimonium de idoneitate subjecti, quæ ipsi non inest. Quamquam a gravi peccato fortasse excusarentur ex eo, quia ex tali mendacio raro videtur oriri periculum proximum damni gravis in rempublicam; siquidem regulariter homines non fidunt Doctoratus attestationi; &, nisi aliunde sciant, aliquem esse doctum, non solent Doctori vel suas causas, vel suam sanitatem committere. Quare mentirentur quidem per talem attestationem doctorantes imperitum, & idcirco peccarent; at non semper, & raro mentirentur perniciose, quia non semper, sed raro daretur ex Doctoratu damnum, vel periculum proximum damni gravis in rempublicam: unde non peccarent graviter. Quamquam non inficiar, rem esse scrupulis obnoxiam, præter alia quæ inde oriri possunt inconvenientia.

92. Dubitabis 5. an doctorantes imperitum, & perspicientes, exinde damnnm proventurum esse alicui propter ejusdem simplicitatem, qui utetur opera talis imperiti ad lites forenses, medicinam &c. peccent contra justitiam, & ad compensationem obligentur ante Judicis condemnationem? ℞. distinguendum esse: vel enim, spectatis omnibus circumstantiis, Doctoratus in ea regione vere est res ambigua, vel est determinata ad denotandum virum doctum ac peritum. Si primum, non peccarent contra justitiam, nec tenerentur ad restitutionem doctorantes imperitum; quia tunc deceptio ac damnum non ipsis doctorantibus, tanquam propriæ causæ, sed potius utentis ejus Doctoris opera simplicitati adscriberetur. Si secundum, committerent mendacium perniciosum, ex quo oriretur obligatio damni compensandi. Vid. Laym. *de Juram. cap.*13.

93. Du-

93. Dubitabis 6. an Doctoratus collatus a Protonotariis suffragetur pro illis officiis, vel dignitatibus, pro quibus requisitus est Doctoratus? R. pro Episcopatu non suffragari. Ratio est; quia Sixtus V. conferens tale privilegium, expresse excepit Ecclesias Cathedrales: sic enim habet, postquam dixerat §.3. *suæ Constitutionis* ejusmodi Doctores censendos esse, ac si gradum in aliqua etiam famosa Universitate suscepissent, *præterquam quo ad habilitatem ad Cathedrales Ecclesias*. Pro aliis vero muneribus, ac dignitatibus, ajo, de jure suffragari. Ratio est; quia Sixtus Pontifex habilitat ejusmodi Doctores *cit.* §.3. ac si gradum suscepissent in aliqua etiam famosa Universitate. Quare sic discurro. Omnis & quævis auctoritas doctorandi residet penes supremum Principem, ex Mendo *de Jure Academ. disp.*1. *qu.*15. Ergo sicuti hæc derivata in Academias constituit verum Doctorem habilem ad ejusmodi munera; ita eadem derivata in Protonotarios constituet verum Doctorem habilem ad eadem munera: ubi enim est eadem forma, ibi idem est effectus formalis.

94. Neque obstat, quod S. Pius V. *de anno* 1566. 1. *Junii* per suam Constitutionem 60. privilegia doctorandi quibusvis Officialibus, & Collegiis Curiæ Romanæ cassaverit, ac declaraverit, a præfatis promotos nulla gradus prærogativa frui ad Dignitates, ac Beneficia Ecclesiastica; nam ea Constitutio videtur loqui de Doctoribus bullatis, seu codicillaribus: deinde Constitutio Sixtina est posterior, & hæc confert talem prærogativam Protonotariorum Doctoribus: quare, quidquid sit de promotis ab aliis, non videtur ambigendum de promotis a Protonotariis; siquidem privilegium posterius concessum in perpetuum, tacite derogat legi antecedenti in contrarium; cum enim ex matura consideratione concedatur, præsumi debet consideratum etiam jus, cui opponitur, illique derogatum: Castrop. *de Trivil. p.*21. §.3. Salas *disp.*17. *sect.*14. aliique. Hinc *de anno* 1737. 23. *Novembris* cum emanasset a Sacra Congregatione Concilii decretum in una *Matheranen. Participationis*, quo statuebatur, ut quidam Canonicus promotus ad lauream doctoralem a delegato Protonotariorum Urbis, *reportaret iterum lauream doctoralem juxta consuetudinem &c.* ad effectum participandi, & computandi quinquennium, quo operam dederat studiis &c. deinde eadem Sacra Congregatio *die* 14. *Decembris*, re iterum proposita, ac discussa, censuit, standum esse in decisis, *dempta conditione reportandi novam lauream doctoralem*. Unde videntur Eminentissimi Patres in nova causæ propositione firmasse, Doctoratum a Protonotariis collatum valere ad effectus, ad quos sacri Canones lauream doctoralem requirunt, excepto ad Cathedrales.

95. Multo minus obstat, quod videantur contrarium sentire Lotter. *lib.*3. *q.*7. *n.*123. Leuren. *in for. Benef. q.*253. Mendo *de Jure Acad.* & *in Epitome v. Gradus*; nam illi Auctores vel non loquuntur de promotis a Protonotariis, sed de bullatis; vel nituntur in falsa præsumptione, quod apud Protonotarios non satis exploretur scientia promovendi ad Doctoratum, quod omnino falsum est; vel tandem loquuntur de facto, non de jure. Etenim de facto; ut docet Card. de Luca *in Relat. Cur. disc.*44. nonnulli de rerum statu non satis edocti, & nodum, ut ajunt, in scirpo quærentes, sine ullo jure, ac mere de

de facto, exploratam in rem suspicionem commovent. En citati Doctoris verba: *Quamvis agatur de Collegio, ideoque sit gradus magis qualificatus, quam ille, qui confertur per singulos, qui eamdem ex Papali, vel Imperiali concessione habeant facultatem; attamen, cum non agatur de publica Universitate, vel Academia studiorum, idcirco (apud nonnullos) aliqua dubitandi ratio subesse videtur.* Notes ly *apud nonnullos*, scilicet non informatos.

96. Dubitabis 7. an Protonotarii possint Doctoratum conferre indefinite quibuslibet personis idoneis, servatis servandis? ℞. Vel sermo est extra Curiam, Urbem, & districtum; vel in Curia, Urbe, & districtu. Si primum, Protonotarii possunt sive collegialiter, sive particulariter promovere ad Doctoratum quascumque personas habiles & idoneas, exceptis Regularibus, servatis servandis. Patet hoc ex citata Constitutione Sixti V. *Laudabilis*. Si vero sermo sit in Curia, Urbe, & ejus districtu, Clemens VIII. in Constitutione relata per extensum a Chartario *in Syllabo Advocatorum Consistorialium* ejusmodi Protonotariis privilegium restrinxit, statuitque, ut illud privative penes Advocatorum Consistorialium Collegium ibidem resideret. En ejus verba: *Necnon quibusvis aliis personis, & Collegiis etiam Notariorum de numero Participantium hujusmodi, ne de cætero personas quascumque, etiam quomodolibet optime qualificatas, in eisdem Curia, Urbe, & districtu ad Doctoratus, seu Licentiaturæ gradus assumere audeant, vel præsumant, districtius inhibemus.*

97. Nihilominus consequentibus temporibus Urbanus VIII. iisdem Protonotariis indulsit, ut in Curia, Urbe, ac districtu possint singulis annis quatuor personas habiles Doctoratu insignire, dummodo sint personæ pauperes, nec quidquam ab iis pro ejusmodi promotione recipiatur. Ita apud Hieron. Fabri *de Protonot.* Quare privilegium doctorandi respectu Protonotariorum extra Curiam, Urbem, & districtum, est illimitatum. In Curia vero, Urbe, & districtu limitatur ad quatuor personas pauperes. Post primam hujus Tractatus editionem Romanam SSmus Dominus Benedictus XIV. decretum edidit, quo statuit, ne Protonotarii Participantes ad Doctoratum promoveant absentes, præsentes vero in Urbe nonnisi sex singulis annis, servatis servandis, & cum conditionibus, quas vide *in ipsius Bullarii tom.* 1. *Const.* 106. En nonnulla verba Pontificis:

Eisdem vero Notariis de numero prædicto nullatenus licuisse, aut licere statuimus, & declaramus, obtentu, & vigore litterarum fel. rec. Sixti PP. V. ... examinationem cujusquam Doctoratus gradum in altero, vel utroque Jure suscipere cupientis, ad partes, & extra Urbem committere, nec sub aliena fide, & relationibus examinationis hujusmodi absentem quemquam cum clausula, ac si esset præsens, prout sæpius hactenus factum fuisse intelligimus, ad hujusmodi Doctoratus gradum in Urbe promovere; sed tantummodo Notarios nostros prædictos, eorumque Collegium, quatuor personas singulis annis, easque in Urbe prædicta vere & realiter præsentes, prævio rigoroso examine, personaliter, & collegialiter per ipsosmet Notarios faciendo, & non aliter, nec alio modo, ad normam Indulti Apostolici a recolendæ memo-

riæ Urbano PP. VIII. etiam Prædecessore nostro, eidem Collegio concessi . . . ad Doctoratus gradum hujusmodi promovere libere & licite posse, præsenti nostræ declarationis oraculo definimus &c.

Quia vero illustre, & perantiquum eorumdem Notariorum Collegium hujusmodi ob grata devotionis & familiaritatis obsequia, quæ Nobis & Apostolicæ Sedi incessanter impendit, aliaque illius, & Notariorum prædictorum merita, speciali benevolentia prosequimur, volentes aliquam propensæ nostræ erga illud voluntatis significationem exhibere, ejusdem Notariis, eorumque Collegio plenam liberamque licentiam, facultatem, & potestatem per easdem præsentes tribuimus, & impertimus, ut ipsi de cætero in perpetuum singulis annis, non quatuor dumtaxat personas, easque familiares & pauperes, prout in dictis Urbani Prædecessoris litteris præscriptum reperitur, sed, vigore præsentium, sex quidem personas, etiamsi non familiares, nec pauperes (dummodo tamen in Urbe præsentes existant, aliaque necessaria requisita illis suffragentur) ad prædictum gradum Doctoratus . . . . promovere possint & valeant &c.

CAPUT III.

De altero privilegio creandi Notarios.

TEXTUS.

98. Sixtina Constitutio hæc habet: *Notariosque, & Tabelliones publicos creandi, ac creatos de Tabellionatus, & Notariatus officiis hujusmodi per pennam & calamare, ut moris est, recepto prius ab eis solito juramento, investiendi.*

NOTÆ.

99. Non solum Doctoratus lauream possunt impertire Protonotarii, sed etiam possunt creare Notarios, idest publicos scriniarios, & publicorum instrumentorum exceptores, de quibus eleganter pronunciavit Cassiodorus *lib.* 12. *ep.* 21. *Scribarum officium securitas solet esse cunctorum; quoniam jus omnium ejus solicitudine custoditur.* Hinc

100. Dubitabis 1. quinam sint proprie Notarii, de quibus agitur in hoc privilegio Sixtinæ Constitutionis? ℞. Sunt ii, qui dicuntur Tabelliones, idest, ut dixi, personæ publicæ habentes publicum officium scribendi instrumenta ad faciendam fidem. Usus talis officii, teste Gonzalez *de fide instrumentorum*, cœpit sub Imperatoribus Christianis in utroque Imperio, illudque exercentes dicebantur etiam publici negotiorum, ac testamentorum scriptores, *ex L. Contractus Cod. de fide instrument.* Puccinellus edidit Opusculum inscriptum *de fide, & nobilitate Notarii*. Late etiam de iis Tiraquel. *de Nob. cap.* 27.

101. Dubitabis 2. quæ, & qualis persona debeat creari Notarius? ℞. Persona deputanda in Notarium debet I. esse de legitimo matrimonio: II. de-

II. debet esse libera: III. debet esse perita, ac scire summam eorum, quæ pertinent ad artem Notarii: ex communi apud Sylvest. *v. Tabellio*. Hinc Tridentinum *sess. 22. de ref. cap. 10. Cum ex Notariorum*, inquit, *imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscumque Notarios, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari &c.*

102. Dubitabis 3. an Protonotarii vi hujus privilegii possint in Notarium deputare Religiosum, vel Clericum? ℞. non posse deputare, seu promovere Religiosum ad Notariatum; quia tale officium est omnibus Religiosis expresse prohibitum ita, ut ii non possint illud suscipere, neque ex Superioris sui licentia, *ex Cap. Sicut &c. ne Clerici, vel Monachi*, apud Castrop. item non posse promovere Clericum in Sacris constitutum, *ex eod. Cap. Sicut*, apud Sylvest. *in Summa v. Tabellio*, ubi ait: *Nullo casu Clericus potest licite post Sacros Ordines susceptos effici Tabellio*: intelligas, nisi Pontifex tacite, aut expresse dispenset. Cum itaque vi hujus privilegii concedatur quidem Protonotariis facultas creandi Notarios, non autem facultas dispensandi cum inhabilibus ad Notariatum; hinc est, quod ipsi vi hujus privilegii nequeunt creare Notarium personam Religiosam, vel constitutam in Sacris. Dixi, vi hujus privilegii; nam, supposito hoc privilegio, fortasse alicubi id poterunt cum Clericis in Sacris, & cum Religiosis, sive ex vi consuetudinis, sive ex vi causæ, aut loci, nempe in causa Fidei, aut in Curia Romana, prout observat Fagnan. *in cit. Cap. Sicut*: videtur enim in Romana Curia Pontifex tacite dispensare, ut Clerici in Sacris tale officium exerceant, teste eodem Fagnano *ibid.*

103. Dubitabis 4. quam formam servare debeant Protonotarii in promovendo ad Notariatum? ℞. Attenta Sixti Constitutione, debent auctoritate sibi a Summo Pontifice impertita (solius enim Papæ, vel Imperatoris, aut alterius Principis superiorem non recognoscentis, aut alicujus Magistratus jurisdictionem habentis, respectu suæ jurisdictionis, est creare Notarios, ex Augustino de Ancona, & Sylvestro *l. c. q. 2.*) debent, inquam, auctoritate sibi a Summo Pontifice impertita Notarios creare, deinde creatos per pennam & calamare, ut moris est, recepto ab eis solito juramento, investire. Observat autem Eminentissimus Petra *ad Const. Benedicti XII.* Notarios in Urbe ex decreto Innoc. XI. creari non posse, nisi prævio examine, & approbatione, cum interventu duorum de Collegio Procuratorum. An sit in usu, haud scio.

104. Dubitabis 5. quodnam juramentum præstare debeat investiendus de Notariatu? ℞. Jurare is debet I. de his, quæ videbit, & audiet, & rogatus fuerit, sine diminutione veritatis, & commixtione falsitatis confecturum instrumentum: II. celaturum quæ injuncta sibi fuerint secreta: III. super contractu usurario, vel in fraudem usurarum inito, non confecturum instrumentum scienter: IV. de omnibus instrumentis, quæ reddet, se retenturum protocolla: V. fidelem se futurum Principi, a quo constituitur,

&, si sciverit damnum ejus tractari, per se, vel per nuntium revelaturum: VI. injunctum sibi officium, remotis cupiditate, odio, timore, & amore, rite secundum bonam conscientiam executurum.

105. Dubitabis 7. an creatus Notarius a Protonotariis possit statim suum officium exercere? ℞. Videtur fortasse, non posse, saltem in Urbe Roma, nisi prius fuerit in Archivo Romano descriptus, juxta formam Bullæ Julii II. ut constat ex Rota *decis.* 408. *part.* 4. *Recent. tom.* 2. apud Hieronymum Fabri. Nihilominus dicendum, quod sic: quia ita per specialia Collegii privilegia, & praxim præscriptam, constitutum esse, viri fide digni, & rerum ejusmodi valde periti mihi pro certo affirmarunt.

106. Dubitabis 7. qua, & quali scientia pollere debeat promovendus ad Notariatum? ℞. Pollere debet scientia saltem mediocri eorum, quæ ad ipsius officium pertinent, ut sunt clausulæ, quæ in contractibus apponi consueverunt, aliæque solemnitates, quæ servari & adhiberi solent. Ratio est; quia quilibet ea scire tenetur, quæ ad proprium officium pertinent, ut rite suo munere fungi possit, ex Bonac. *disp.* 10. *q.* 3. *p. ult.* cum communi: ex quo fit, ut, si ob Notarii negligentiam, vel ignorantiam prætermissa sit aliqua solemnitas, cujus omissione alter damnum patiatur, Notarius teneatur ad restitutionem, ex eodem *ibidem*.

107. Dubitabis 8. an creantes, seu promoventes Notarium imperitum, teneantur resarcire damna, quæ ab ipso in alterum proveniunt? ℞. Si adverterint ad damnum, quod ex ea promotione poterat provenire, prout de facto provenit, debuissent illud præcavere vel non promovendo, vel prohibendo exercitium Notariatus, vel alio modo; ex qua omissione possunt incurrere obligationem restituendi. Si vero non adverterint, quia putarunt illum, ante exercitium, daturum operam studio &c. non tenentur ad restitutionem; quia damnum præter, aut contra eorum intentionem secutum est.

CAPUT IV.

De tertio privilegio legitimandi.

TEXTUS.

108. *CUM spuriis, bastardis, manseribus, incestuosis, & aliis ex quovis illicito, & damnato coitu procreatis, ut in parentum, & aliorum bonis tam ex testamento, quam ab intestato, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, aut ex fideicommisso, vel alia de jure valida dispositione, & citra bona emphyteutica, & feudalia Ecclesiastica, aut ex fructibus, aliisque rebus Ecclesiasticis confecta, vel per Ecclesiam acquisita, necnon derogationem Constitutionis fel. record. Pii Papæ V. similiter Prædecessoris nostri in illegitimos emanatæ succedere, & quoscumque actus legitimos exercere, & ad quosvis honores, dignitates, & officia publica, vel privata assumi, illaque gerere & exercere* in

in omnibus, ac si de legitimo matrimonio procreati essent, libere & licite valeant, dispensandi.

NOTÆ.

109. Ut privilegii hujusce vis percipiatur, illud meminisse oportet, filios illegitimos, idest procreatos, non ex matrimonio vere, vel putative valido, privari jure positivo tum Civili, tum Canonico, variis favoribus, ut status paterni, officiorum, dignitatum, successionis in bona parentum, ascensionis ad sacros Ordines, ad Ecclesiastica Beneficia &c. hanc porro talium filiorum ad ejusmodi favores inhabilitatem dupliciter tolli, per legitimationem nempe, & per juris relaxationem, seu dispensationem. Conceditur autem in hoc privilegio, ut Protonotarii possint per juris relaxationem, seu dispensationem, habilitare illegitimos ad varios effectus. Hinc

110. Dubitabis 1. in quo differat legitimatio a dispensatione? ℞. cum Azorio *p.2. lib.2. cap.*14. & Covarruvia apud eumdem, differre in hoc, quod per legitimationem quis omnia legitimorum jura adipiscitur; unde non fit ex parte tantum legitimus, sed ex toto, ut ait Glossa *in Cap. ult. de clandest. desponsat.* per dispensationem vero non fit quis habilis ad omnia jura, quæ legitimis conveniunt, sed solum ad certa quædam jura. Castropalaus autem *tract.*13. *de Benef. disp.*4. *p.*1. §.4. aliter assignat legitimationem inter, ac dispensationem discrimen; nam docet, dispensationem esse concessionem alicujus effectus illegitimis denegati; legitimationem autem esse sublationem incapacitatis, quam habet ex jure illegitimus ad tales effectus. Uterque ex his Auctoribus in eo conveniunt, quod legitimatus per omnia legitimis adæquetur, nisi ei expresse interdicatur; dispensatus vero eam dumtaxat habilitatem habeat, quæ ex verbis dispensationis stricte intellectis colligitur: siquidem dispensatio stricti juris est, nec ad plura trahi potest, quam verba significent.

111. Dubitabis 2. an privilegium hoc Protonotariorum sit legitimandi, vel dispensandi? ℞. proprie & in rigore esse dispensandi; tum quia Pontifex Sixtus expresse utitur hoc verbo *dispensandi*; tum quia facultas, quæ illis conceditur in ordine ad illegitimos, est dumtaxat ad concedendos iisdem aliquos effectus, a quibus jure positivo arcentur. Hinc habilitatus per ejusmodi privilegium ad effectus, qui conceduntur, non est absolute ac simpliciter legitimatus, sed dispensatus, & secundum quid legitimatus, ac multum differt ab eo, qui fuerit legitimatus cum aliqua restrictione; nam legitimatus cum restrictione, habet capacitatem ad omnia jura legitimorum, & solum impeditur, ne hic & nunc in tali, vel tali casu ea capacitate utatur; at dispensatus non habet capacitatem ad omnia jura legitimorum, sed solum habet concessionem aliquorum effectuum, qui illegitimis denegantur.

112. Dubitabis 3. cum quibus illegitimis possint dispensare Protonotarii? ℞. supposito, quod illegitimi, attento jure Canonico, sint in duplici differentia: alii, qui dicuntur naturales, idest qui ortum habent ex parentibus solutis, inter quos tamen vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel inter-

intermedio potuit validum consistere matrimonium propter absentiam impedimenti dirimentis: alii, qui dicuntur spurii, idest qui ortum habent ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec intermedio validum poterat matrimonium consistere propter impedimentum dirimens. Hoc, inquam, supposito, ajo, posse eos dispensare cum illegitimis tum primæ, tum secundæ speciei. Patet hoc ex verbis expressis privilegii; nam ibi conceditur facultas dispensandi *cum spuriis, bastardis, manseribus, incestuosis, & aliis ex quovis illicito, & damnato coitu procreatis*. Ubi quamvis mentio non fiat de filiis naturalibus, includuntur tamen ipsi a privilegio; siquidem trita est ea regula, in privilegio concedente quod est plus, concedi etiam quod est minus, si istud sub re concessa ut pars, vel ut particulare sub genere universali concesso comprehendi possit, ex communi apud Poncium *lib.8. de matr. tit.21.* Sanchez *de matr. lib.8. disp.1. num.31.* Cardinalem de Lugo *Resp. moral. lib.1. dub.39.* Perspicuum autem est, filios naturales comprehendi sub illo genere universali concesso, nempe ex quocumque illicito coitu procreatos. Animadvertendum etiam hic est, Pontificem in concessione talis privilegii inhæsisse juri Civili dividenti illegitimos, non in naturales dumtaxat, & spurios, prout dividuntur a jure Canonico, sed in varias alias species; atque idcirco exprimuntur spurii, bastardi, manseres &c. idest proprie de scorto nati, secundum Hostiensem. Unde extant apud Abbatem versus illi variam inter illegitimos diversitatem explicantes:

Manseribus scortum, sed mœcha nothis dedit ortum.
Ut seges a spica, sic spurius est ab amica.
Dant naturales, quæ nobis sunt speciales.

113. Dubitabis 4. an iidem possint dispensare cum illegitimis, qui non solum fuerint ex coitu incestuoso, sed ex incestuoso simul, & adulterino? ℞. affirmative; tum quia etiam isti comprehenduntur sub genere universali concesso, videlicet ex quocumque illicito, & damnato coitu; tum quia in materia favorabili veniunt mixta sub simplici, ex Sa *v. Dispensatio*, Sylvest. *v. Dispensatio*, aliisque.

114. Dubitabis 5. relate ad quos effectus possunt Protonotarii dispensare cum illegitimis? ℞. posse cum iis dispensare relate ad hæc tria: I. ad successionem in bona parentum, & aliorum, tam ex testamento, quam ab intestato, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, aut ex fideicommisso, aut alia de jure valida dispositione, & citra bona emphyteutica, & feudalia Ecclesiastica, aut ex fructibus, aliisque rebus Ecclesiasticis confecta, vel per Ecclesiam acquisita: II. ad exercitium quorumcumque actuum legitimorum: III. ad obtentionem quorumcumque honorum, dignitatum, & officiorum tum publicorum, tum privatorum, ex Constitutione *Laudabilis*.

115. Dubitabis 6. quis sit sensus illius limitationis, *sine præjudicio venientium ab intestato?* ℞. duplicem hac in re esse Doctorum sententiam. Alii enim putant, dispensatum ad successionem, non posse succedere, si extent filii legitimi, & naturales, vel collaterales, vel alii conjuncti usque ad quartum gradum, vel

vel alii usque in infinitum. Ita Fachineus *lib.3. cap.62.* Covarr. *de sponsal. 2.p. cap.8.* §.10. aliique apud ipsos. Ratio est; quia vis talis limitationis est, ut nullum prorsus præjudicium venientibus ab intestato inferatur: ab intestato autem veniunt non solum filii, sed etiam fratres, & alii cognati, ut patet *ex tot. tit. de hæred. ab intestat.* Alii vero existimant, sensum esse, ut filiis dumtaxat non præjudicetur, cæterisque habentibus jus necessarium ad succedendum. Ita Sarmient. *l.1. select. Interpret. cap.8.num.7.* Molina *tract.2. de just. disp.174. concl.2. & 3.* Castropal. *de Benef. disp.4. p.1.* §.7. Ratio est; quia ea limitatio solum vult, non fieri præjudicium venientibus ab intestato: atqui hæredibus non necessariis proprie non fit præjudicium per successionem dispensati; siquidem ipsi non habent jus succedendi tale, ut a possessore frustrari non possit: ergo &c. Placet hæc sententia; tum quia non solum Juristis, sed etiam Theologis eam placere video; tum quia aliter dispensatio plerumque esset frustranea; raro enim, aut vix unquam continget, ut nulli prorsus dentur conjuncti in aliquo gradu.

116. Dubitabis 7. quis sit sensus alterius limitationis citra bona emphyteutica, Ecclesiastica, aut confecta ex rebus Ecclesiasticis &c.? ℞. sensum esse, ut sic dispensatus non possit succedere in bona parentum, quæ fuerint olim data in emphyteusim, vel in feudum ab Ecclesia, vel fuerint Ecclesiæ acquisita, vel fuerint ex rebus Ecclesiæ confecta: quare omnia ea bona, quæ juxta Apostolicas sanctiones subjacent spolio R. C. A. crediderim esse excepta in hoc privilegio, adeo ut illegitimus dispensatus ad successionem non possit in ea succedere; possit tamen succedere in ea bona confecta ex fructibus Ecclesiasticis destinatis victui, ac stipendio Beneficiarii, quia ejusmodi fructus non subjacent spolio, sunt enim propria, & quasi patrimonialia Beneficiatorum, ex Filliuc. *de spol. cap.4.* nec in rigore possunt ii fructus pertinentes ad congruam sustentationem, dici fructus Ecclesiastici; nam quo ad eam partem jam fuerunt expensi ab Ecclesia, quæ illam partem applicavit Beneficiario ad ejus sustentationem, quasi stipendium dignum laboris, & officii, ex de Lugo *de just. disp.4. sect.3.* Ex quibus omnibus constat, dispensationem hanc ad successionem non procedere quo ad ea bona, quæ proprie dicuntur, ac sunt Ecclesiastica: quare miror, Barbosam, virum cæteroquin doctissimum, *lib.1. Juris Ecclesiast. cap.23.* dixisse, hanc ad successionem dispensationem extendi *etiam ad bona Ecclesiastica*.

117. Dubitabis 8. an tale privilegium extendatur ad dispensandum cum illegitimis quo ad Ordines, & Beneficia? ℞. negative. Ratio est; quia verba talis privilegii non comprehendunt Ordines, vel Beneficia, neque tanquam quid æquiparatum in jure cum honoribus, & officiis, neque tanquam quid connexum, neque tanquam partem in toto contentam: constans autem est Canonistarum sententia, ad intelligentiam privilegii attendendam esse verborum proprietatem explicantem mentem concedentis: quare cum in casu verba in sua proprietate non importent Ordines, & Beneficia, sequitur &c. Accedit, quod ea, quæ speciali nota digna sunt, specialiter exprimenda sunt, &, si non exprimantur specialiter, censentur non esse comprehen-

prehensa, *ex Cap. Quamvis, de prabend. in 6.* Dispensatio autem cum illegitimis ad Ordines, & Beneficia, indiget speciali nota; tum quia illegitimos ad sacros Ordines ascendere a pluribus Conciliis vetitum est; tum quia hæc dispensatio cum exorbitet a jure, *ex Cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.* non censenda est data ad eam facultas, nisi exprimatur. Attendendus tamen est usus.

CAPUT V.

De privilegio, quo familiares Papæ, & ejus Prælati domestici declarantur.

TEXTUS.

118. *Eosdemque Notarios de numero hujusmodi, veros & indubitatos familiares, continuos commensales, ac Prælatos domesticos nostros, & pro tempore existentis Romani Pontificis existere, eisdemque privilegiis, & gratiis, quibus veri, & intimi familiares utuntur, potiuntur, & gaudent, non ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter sine ulla differentia uti, potiri, & gaudere posse.*

NOTÆ.

119. Post redditam Ecclesiæ a Constantino pacem, Romani Pontifices, qui antea in cryptis delituerant, suam honorifico comitatu, ac nobili stipatam famulatu dignitatem, majestatemque protulere. Res accurate tractatur a Philippo Bonanni in suo Opere *de Hierarchia Ecclesiastica*, ubi domesticorum & familiarium Pontificis originem videtur ipse referre ad tempora S. Melchiadis Papæ, imperante Constantino Magno; nam tunc temporis pius ille Imperator volens Pontificiam dignitatem ea qua par est majestate insigniri, suum Lateranense Palatium Melchiadi habitandum dedit, ibique familiares, & quamplures Clericos probatis moribus, genere, ac doctrina commendatos, honoris causa constituit, qui Summo Pontifici præsto adessent, ac nobili famulatu ejusdem apud cæteros venerationi servirent.

120. Progressu temporis, uti cum Cardinali Bona observat eruditissimus Josephus Catalanus in suo præclaro nuper edito super Pontificale Romanum Opere, factum est, ut ex Schola Cantorum satis conspicua, & antiquitus instituta, nobiles pueri seligerentur, qui Pontificii Cubicularii essent, & inter Summi Pontificis familiares Clericos numerarentur.

121. Sub Pontificatu autem S. Gregorii Magni accepimus ex Joanne Diacono severiorem aulæ Pontificiæ datam esse formam; nam, ut ipse inquit *l. 2. Vit. S. Greg. prudentissimus rector Gregorius, remotis a suo cubiculo sæcularibus, Clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit, inter quos Petrum Diaconum... Æmilianum quoque Notarium, qui quadraginta homilias Evangelii cum sociis suis excepit; Paterium æque Notarium, qui ab eo secun-*

Secundicerius factus, ex libris ipsius aliqua utilissima desloravit &c. Quamobrem constat, jam inde a tempore S. Gregorii inter familiares ac domesticos Pontificios fuisse Notarios adnumeratos. Hanc porro prærogativam, ut ipsi sint, & actu censeantur familiares Papæ, omnibus Protonotariis Participantibus in textu citato Sixtus V. impertit, & cumulum privilegiorum unico hoc privilegio ipsis elargitur. Addit idem Pontifex, tales eos censeri, non ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter. Hinc

122. Dubitabis 1. quid importent hæc verba: non ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter? ℞. importare hoc, quod qualitas familiaritatis, & participatio privilegiorum familiarium Papæ deriventur in Protonotarios per quamdam quasi extensionem ejusdem qualitatis, & eorumdem privilegiorum; ita ut eadem qualitas, & eadem privilegia, quæ aliquibus personis erant concessa, ad Protonotarios æque extendantur, non per novam concessionem, sed per aggregationem plurium subjectorum; ita ut concessio potius tendat ad applicationem ejusdem qualitatis, & eorumdem privilegiorum ad plura subjecta, quam ad novi privilegii concessionem, ex Castropal. *de privil. p.2. §.9.* Quare, cum eadem sit in Protonotariis qualitas, & eadem insint privilegia, sequitur, ut ipsi, non secundario, & accessorie, sicuti servus habet privilegia concessa suo domino, sed primario, æque, & principaliter habeant tum qualitatem familiarium Papæ, tum eorumdem privilegia.

123. Dubitabis 2. quænam sint privilegia concessa familiaribus & domesticis Papæ? ℞. Magna ac plura sunt, partim contenta in corpore juris, partim in specialibus Constitutionibus solitis a novo Pontifice fieri sub initium sui Pontificatus in favorem suorum familiarium. Primi generis sunt privilegium percipiendi fructus suæ Præbendæ in absentia, *ex Cap. Cum dilectus, de Cleric. non resident.* item privilegium reservationis Beneficiorum, ita ut ea in reverentiam nequeant ab inferiori collatore, & nonnisi a Papa conferri, *ex Extravag. Ad regimen, inter commun.* & *ex reg.3. Cancell.* Secundi generis sunt varia; idest suscipiendi Ordines sacros extra tempora, & sine Ordinarii licentia; eligendi Confessarium, qui semel in anno a casibus, & censuris reservatis eos absolvat, dispenset in votis &c. cum aliquibus tamen restrictionibus, audiendi Jus Civile, illudque docendi, retinendi duo Beneficia sub eodem tecto in tribus Ecclesiis; præterea exemptionem habendi a decimis, taxis, aliisque tributis, a spolio, cum aliquibus limitationibus &c. de quibus omnibus vide in Bullario Constitutiones Pontificias emanari solitas, ut dixi, sub initium cujusque Pontificatus.

124. Dubitabis 3. an Protonotarii possint omnibus his familiarium gratiis atque indultis potiri & gaudere? ℞. Quo ad gratias, & indulta primi generis, seu clausa in corpore juris, videtur sine hæsitatione affirmandum; siquidem Pontifex Sixtus expresse vult, eos frui & gaudere iisdem privilegiis & gratiis, quibus veri & intimi familiares utuntur. Quo ad gratias vero, & indulta concessa in specialibus Constitutionibus, attendendæ sunt eædem Constitutiones, & perpendendæ clausulæ, quas habeant: nam tritum est, privilegia tantum valere, quantum sonant; & quidem perpenden-

do Constitutiones emanatas in Pontificatu Innocentii XII. Clementis XI. & Innocentii XIII. videtur subesse ratio dubitandi, an privilegia ibi familiaribus concessa, participentur a Protonotariis; etenim non conceduntur omnibus familiaribus, sed nonnullis ex familiaribus, qui nominatim exprimuntur: unde apparet, ea esse privilegia personalia, non autem realia, & consequenter non extendenda ad alias personas, praeter expressas, seu ad alia membra ejusdem communitatis. Nihilominus posset quis contendere, privilegia ibidem concessa extendi ad Protonotarios, quia conceduntur talibus familiaribus immediate, ac directe ratione talis familiaritatis, nempe intimae ac magis honorificae: unde sequitur, esse privilegia realia extendenda ad alia membra ejusdem communitatis, qualia sunt certe Protonotarii. Neque obstat, quod concessio determinate sit facta illis, qui nominantur; nam illis determinate est facta sub expresso nomine, Protonotariis vero sub nomine implicito, & virtuali. Item non obstat, quod ea concessio sit restricta ad nonnullos ex familiaribus; nam haec restrictio videtur facta ad denotandum, eam non extendi ad familiares inferioris notae, qui neque ex vi vocis, aut actionis, seu materiae, neque ex aliqua juris dispositione in ea concessione comprehenduntur, secus vero respectu illorum, qui ex juris dispositione censentur familiares superioris notae, ac Praelati domestici Pontificis, & necessariam quamdam connexionem habent cum personis in concessione expressis.

125. Equidem huic posteriori sententiae adhaereo, nisi praxis, aut stylus Curiae, de quo mihi non constat, contrarium velit. Idque mihi confirmatur ex eo, quia, ut recte notat Abbas *in Cap. Quoniam, de transl. Episc.* in discernendo, utrum privilegium personae, aut officio, seu dignitati datum sit, potius natura, & conditio rei datae, quam verborum expressio attendenda est: quare concessum sub nomine proprio in materia, quae talis naturae est, ut vel possit, vel debeat transire, seu extendi ad habentes simile officium, vel dignitatem, censetur esse reale privilegium, & non personale; & consequenter cum natura, & conditio eorum quae conceduntur in casu nostro nominatis familiaribus Papae, talis sit, ut possit, ac debeat extendi ad habentes idem, vel simile officium, prout constat in casu mortis, & substitutionis alterius in locum defuncti, sequitur, quod sit privilegium reale, & extendatur ad Protonotarios, qui sunt veri & indubitati familiares, & Praelati domestici &c.

126. Dubitabis 4. an Protonotarii tanquam familiares Papae non solum gaudeant privilegio percipiendi fructus sui Beneficii in absentia, sed etiam distributiones? R. gaudere quidem privilegio percipiendi fructus in absentia, *ex Cap. Cum dilectus, de Cleric. non resident.* at non gaudere privilegio percipiendi distributiones; quia speciale hoc indultum respectu illorum non reperio. Limites, nisi fructus Beneficii omnes consisterent in distributionibus; tunc enim, ne privilegium sit frustraneum, comprehendet distributiones, quae in tali casu sunt ac dicuntur fructus Beneficii, exceptis tamen iis, quae vere interessentibus acquiruntur: uti colligitur ex Ricc. *in Prax. resol.* 390. & Barbosa *de off. Episcopi p.* 3. *alleg.* 53. *n.* 124.

127. Du-

127. Dubitabis 5. an familiares Papæ, qui sunt Protonotarii, supra tamen numerum Participantium, sedentes in Cappella Pontificia in scamno Protonotariorum Participantium, debeant omnibus præcedere, etiam in functione accedendi ad Solium Pontificium? ℞. Dubium hoc, teste Eminentissimo Card. Petra, motum est in Pontificatu fel. rec. Clementis XI. respectu Præfecti Palatii Pontificii. Videbatur enim ex una parte, quod ille non posset habere talem præcedentiam; tum quia erat Protonotarius mere supranumerarius, & Protonotarii supranumerarii debent sedere in ultimo loco post omnes numerarios; tum quia, cum non esset de Collegio, non poterat explere munera competentia Collegio: ex altera vero parte videbatur, quod sic; tum quia afferebatur quoddam exemplum; tum quia in Præfecto Palatii Apostolici consideranda est qualitas capitis omnium familiarium Papæ, inter quos sunt Protonotarii Participantes, & sic capitis omnium Protonotariorum Participantium. Resolvit tandem hoc dubium Clementis XI. oraculum, quo statuit, ut Præfectus Palatii supra omnes Protonotarios in scamno sederet; ita tamen, ut munia prædicta accedendi ad Solium, & quæcumque alia non exerceret, sed reservata sint Protonotariis Collegii. Ex qua resolutione etiam habes, vere Protonotarios familiaribus honoratioribus Domini Papæ adnumerari.

CAPUT VI.

De privilegio exemptionis a jurisdictione Ordinarii.

TEXTUS.

128. *Eosdemque Notarios a quorumcumque Ordinariorum locorum, & illorum omnium Judicum jurisdictione, potestate, superioritate, & dominio, ita ut Ordinarii, & alii prædicti, eorumque Officiales, & Vicarii, ac quicumque alii Judices nullam in eos, etiam ratione delicti contracti, aut rei, de qua agi contigerit, superioritatem, potestatem, jurisdictionem, vel dominium valeant exercere, aut excommunicationes, vel alias sententias, censuras, & pœnas proferre, nisi de nostro, seu pro tempore Rom. Pontificis mandato, ipsique in aliquo flagranti delicto comprehendantur, penitus eximimus, & totaliter liberamus, ac nostræ, & Sedis Apostolicæ jurisdictioni & potestati duntaxat immediate subjicimus.*

NOTÆ.

129. Quamvis omne privilegium, quod est contra jus, inferat exemptionem, nihilominus antonomastice per ly privilegium exemptionis, intelligitur liberatio a jurisdictione Ordinarii, quando nempe vel persona, vel locus, vel tam persona, quam locus certus subtrahuntur a jurisdictione Episcopi, vel alterius Superioris ordinariam potestatem habentis, & subjiciuntur immediate Summo Pontifici: ex Chokier *de jurisdictione Ordinarii in exempt. p.* 1. *q.* 1.

130. Hanc porro liberationem a jurisdictione Episcopi Pontifex Romanus,

 non

non autem alius per se, potest concedere, ac de facto a primis Ecclesiæ sæculis Pontifex Romanus concessit respectu plurium personarum, ac locorum. Et quidem, quod Romanus Pontifex possit illam concedere, liquido constat ex eo quia, ut fuse probat Cardinalis Bellarminus *lib.4. de Rom.Pont. cap.24.* jurisdictio Episcopalis considerata in particulari quo ad has, vel illas personas, quibus confertur, & in ordine ad certas personas, & loca, respectu quorum confertur, a Papa immediate descendit; nam regimen Ecclesiasticum, a Christo Domino institutum, cum sit monarchicum, omnis auctoritas est in uno, & ab illo in alios derivatur. Hinc optime scriptum reliquit S. Bernardus *in ep.131. ad Mediolanenses: Potest Romana Ecclesia novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt; potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopo Archiepiscopum creare liceat, & e converso, si necesse visum fuerit.*

131. Quod autem nullus alius per se possit talem liberationem concedere, plane infertur ex præcedenti; nam jurisdictio Episcopalis in has, vel illas personas, cum sit immediate a Papa, nullus Papa inferior potest eam tollere, vel imminuere. Hinc Glossa unica *in Cap. Quod translationem, de off. legat.* pluribus confirmat, & ostendit, quod solus Papa diœceses erigit, dividit, ampliat, vel minuit. Dixi, per se, & auctoritate propria; nam per accidens, & auctoritate accepta a Romano Pontifice possunt etiam alii, ut in Oriente Patriarchæ Antiochenus, Alexandrinus &c. Vid. Bellarm. *loc. cit. c.25. in fin.*

132. Addidi, de facto Romanos Pontifices primis Ecclesiæ sæculis nonnullis locis, ac personis eam exemptionem concessisse; nam, teste Cardinali Baronio *ad annum Christi 676.* Adeodatus Pontifex monasterium S. Martini Turonense, rogante etiam Episcopo, ab ejus jurisdictione exemit, ut hoc solus Pontifex nomine S. Martini regeret. Item monasterium Cassinense & Abbatia, omnium Episcoporum jurisdictioni subducta fuit per privilegium Sedis Apostolicæ ei indultum a Zacharia Papa, qui floruit *anno Christi* 741. Præterea extat Decretalis Innocentii III. *in tit. de privileg.* qua supponitur, Canonicos Cappellæ Principis jam ab antiquo esse exemptos a jurisdictione Episcopali quo ad aliquos saltem effectus: ut omittam plura ex epistolis S. Gregorii Magni testimonia, quibus manifeste ostenditur, partialem aliquam exemptionem tam locis, quam personis jam tunc fuisse a Romanis Pontificibus concessam. Cæterum notat Chokier *qu.1.* praxim exemptionis ab Ordinario originem traxisse ex jure emancipationis, manumissionis servorum &c. Caute nihilominus in hac concedenda procedunt Romani Pontifices, præsertim respectu Clericorum sæcularium; nam, ut optime ajebat S. Gregorius, *si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servetur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debet ordo, confundatur?*

133. His prænotatis, privilegium conceditur Protonotariis, quo I. eximuntur totaliter, ac penitus liberantur a jurisdictione cujuscumque Ordinarii, ac Judicis omnis ipsius Ordinarii: II. decernitur, non posse Ordinarios in eos sententiam ferre, vel exequi, vel processus instituere &c. neque ratione de-

licti,

licti, neque ratione rei sitæ: III. limitatur, ut hæc exemptio non procedat, quando intercedit mandatum Papæ, aut quando ipsi deprehenduntur in fragranti: IV. subjiciuntur immediate potestati ac jurisdictioni Pontificis dumtaxat, ac Sedis Apostolicæ. Quod vero huic privilegio non obstent decretá Tridentini *sess.24. cap.11. de ref.* & alibi, late ostendit ac firmat Fagnanus *p.2. lib.5. decr. in Cap. Ex parte, de privil.* Circa hæc autem

134. Dubitabis 1. quis veniat nomine Ordinarii, a quo eximuntur Protonotarii? ℞. venire omnes illos, qui habent in loco ordinariam jurisdictionem, hoc est qui alicubi habent jurisdictionem suo jure, non alieno beneficio, ex Glossa *in Cap. Ordinarii, de off. Ord. in 6.* & communi. Quare venit non solum Episcopus, qui proprie appellatur Diœcesanus, sed etiam quicumque alius, seu superior, seu inferior, qui ordinariam jurisdictionem habet canone, præscriptione, vel privilegio, ex Navarr. *conf.9. de privil.* Chokier *qu.1.* aliisque.

135. Dubitabis 2. quinam veniant nomine aliorum Judicum, & an veniant Inquisitores, & Legati a latere? ℞. In primis veniunt Judices deputati ab Episcopo, sive ordinariam, sive delegatam habeant jurisdictionem, ut ejus Vicarius Generalis, Vicarius Foraneus &c. deinde veniunt alii Judices non deputati ab Episcopo, sed a jure, vel præscriptione, vel privilegio, ut Abbates, eorumque Commissarii &c. Specialis tamen difficultas est de Inquisitoribus, an isti etiam veniant intelligendi per ly Judices, a quibus Protonotarii eximuntur; ac dicendum videtur affirmative, tum ex verbis Bullæ Sixtinæ, tum *ex Extrav.* Joannis XXII. *Cum Matthæus, de Hæreticis*. Quare isti non possunt contra Protonotarios procedere, nisi de licentia expressa Sedis Apostolicæ; possent tamen adversus eos inquirere, & se informare, ut informationem ad Pontificem transmittant, ex Castrop. *tract.4. de Fide disp.8. p.12. §.2. num. 7.* Quo ad Legatos a latere, ipsi non eximuntur; nam jurisdictio Legati a latere extenditur etiam ad personas, & loca exempta; ut patet *ex Cap. Veniens, de verb. signif.* & *Cap. Si Abbatem, de elect. in 6.* Non ita tamen sentiendum de Legatis natis, aut Nuntiis Apostolicis; nam isti nequeunt se intromittere in causis Protonotariorum, nisi forte Nuntii, cum potestate Legati a latere missi, muniti sint speciali ad hoc mandato, seu commissione: Glossa *in cit. Cap. Abbatem, v. Commissum.*

136. Dubitabis 3. an Episcopus, vel alius Ordinarius possit non quidem declarare, sed denunciare excommunicatum vitandum Protonotarium, alias excommunicatum vitandum? ℞. distinguendum esse inter hoc quod est denunciare, & inter hoc quod est declarare excommunicatum. Denunciare, non importat exercitium jurisdictionis, & ordinem judicialem, sed dumtaxat monitionem erga subditos, qua commonefiunt de obligatione evitandi excommunicatum. Declarare, importat exercitium jurisdictionis, & Judicem pro tribunali sedentem, ex Mattheuccio *v. Exempti*. Hoc posito, Ordinarius non posset declarare Protonotarium excommunicatum, nisi de mandato Papæ, vel in fragranti deprehensum, ut patet ex Bulla Sixti; quia est exemptus ab ejus jurisdictione: at posset eumdem denunciare excommunicatum, si aliunde talis esset,

esset, puta, quia esset notorius Clerici percussor; nam per talem denunciationem, nullam in ipsum exerceret jurisdictionem. Hinc Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum *in Cap. Grave num.75. de off. Ordin.* cum ab ipsa quæreretur, an Episcopus possit excommunicatos denunciare Regulares, qui ob delictum notorium in excommunicationem inciderunt? censuit, posse ab Episcopo publice denunciari excommunicatos, ut ab aliis evitentur.

137. Dubitabis 4. an sint aliqui casus, in quibus Protonotarii subjiciantur judicio Ordinarii, saltem tanquam delegato Apostolico? ℞. ex Concilio Tridentino *sess.* 7. *cap.* 14. *de ref.* hæc deduci; nempe quod Protonotarii in partibus existentes vel habent Judicem proprium deputatum, vel non habent? si habeant, & agatur causa civiliter, tunc ipsi in causa mercedum, & miserabilium personarum, possunt conveniri coram locorum Ordinariis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis: si vero non habeant, tunc possunt coram iisdem Ordinariis conveniri etiam in aliis causis civilibus non pertinentibus ad mercedes, & personas miserabiles. Quænam vero personæ sint, ac dicantur miserabiles, recenset Chokier *lib.*4. *qu.* 108. easque ex Antonio de Amatis docet esse *Infirmos*, *Infantes*, *Expositos*, *Languidos*, *Viduas*, *Pupillos*, *Prodigos*, *Senes*, *Mercatores cum sint in mercimoniis*, *Peregrinos*, *Furiosos*, *Personas quaslibet Ecclesiasticas &c.*

138. Dubitabis 5. an Protonotarii ita sint exempti a jurisdictione Ordinarii, ut eidem non subjiciantur neque quo ad jurisdictionem contentiosam, neque quo ad voluntariam, & consequenter non possint ab eo absolvi, dispensari &c.? ℞. privilegium ita interpretandum esse, ut non sit onerosum privilegiato, sive ut potius illi aliquid tribuat, quam ut auferat: juxta *reg.jur.*61. *in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*. Hoc posito, Protonotarii non subjacent Ordinario, ne quo ad jurisdictionem quidem voluntariam, & consequenter non tenentur ipsi confiteri Ordinario, aut ab ipso petere dispensationem &c. sed possunt sibi eligere Confessarium idoneum, a quo absolvantur, non potestate ordinaria, sed auctoritate Apostolica, ex Chokier *lib.*4. *q.*35. imo nec tenentur Communionem Paschalem recipere in Parochia, quia Parochus non est proprius eorum Sacerdos, & ipsi, ex Chokier *loc. cit.* æquiparantur forensibus, qui cum proprium Sacerdotem, qualis est respectu Protonotariorum ipse Pontifex, commode adire non possint, ex tacita ejusdem licentia, juxta declarationem Eugenii IV. possunt a Religiosis, aliisque Sacerdotibus facultatem ministrandi Eucharistiam habentibus, Communionem Paschalem suscipere, & præcepto satisfacere. Nihilominus ex præsumpta Pontificis licentia, & ne privilegium sit ipsis onerosum, possunt se subjicere Ordinario, ut ab eo absolvantur a peccatis, & censuris, vel dispensentur ab eo in voto, juramento, irregularitate &c. nam alias essent deterioris conditionis, quam non privilegiati, cum non possent ab Ordinario absolutionem, vel dispensationem impetrare, sed tenerentur Pontificem adire. Imo notat Chokier, eos a suo loci Ordinario posse sacros Ordines recipere, quidquid olim in contrarium existimaverit Perusius; præsertim cum sit Glossa notabilis dicens, quod exempti debeant primo Episcopalia petere ab Episco-

po,

pro, qui, inquit, si deneget, tunc possunt ab alio petere: Gloss. *Can. Abbatibus* 17. *q*.2.

139. Dubitabis 6. an Protonotarii exempti sint a jure reverentiali erga Ordinarios? R. jus reverentiale stare in hoc, quod Ordinario debeantur quædam signa demonstrativa superioritatis quam ipse habet. Jam vero Doctores non conveniunt, an hæc præstanda sint ab exemptis erga Ordinarium. Negat ea esse exhibenda Parisius Flaminius, ac ante illum Jacobus Puteus *dec*. 114. *lib*. 3. Affirmat Castrens. *l. Sed si hac §. Patronum ff. de in jus voc.* Felin. *in Cap. Conquerente, de offic. Ord.* Barth. *Tract. de Ep. l*. 4. *p*. 2. *q*. 35. aliique. Utramque sententiam conciliare nititur Puteus *ibid.* docens, exemptos exemptione data ab Episcopo teneri ad jus reverentiale, exemptos autem auctoritate Pontificia non teneri ad jus reverentiale. Equidem cum Card. de Luca *disc*. 64. *de Regul.* existimarim, exemptos teneri ad jus reverentiale, sive exemptionem obtinuerint ab Episcopo, sive ab auctoritate Apostolica; nam omnes etiam exempti, attenta origine, seu a suis primordiis sunt subditi Ordinario, & consequenter per exemptionem exuunt quidem subordinationem quo ad jurisdictionalia, non vero quo ad reverentialia; siquidem adhuc eam debent Ordinario tum ratione pristinæ superioritatis, tum quia eadem adhuc habitualiter inest Ordinario, & est in multis casibus ad actum deducibilis, prout decrevit Tridentinum.

CAPUT VII.

De privilegio creandi unum Notarium.

TEXTUS.

140. *Quodque dicti septem Notarii collegialiter congregati unum Notarium quolibet anno sine Notariorum prædictorum Participantium præjudicio, & absque exemptionibus, & privilegiis ipsis septem Notariis concessis, ita quod illis non gaudeant, creare.*

NOTÆ.

141. Sciendum est, ut a principio innuimus *n*. 4. esse quosdam Protonotarios honorarios, seu titulares, non participantes, qui extra Urbem utuntur habitu Prælatitio, & apponere possunt pileum super insigniis, & habere anulum, sed sine gemma, dum celebrant &c. cum nonnullis aliis prærogativis, ut expendit in suo erudito Tractatu Hieronymus Fabri, & late Barbosa *de jur. Eccles. tom*. 1. *cap*. 23.

142. Porro talium Notariorum, seu Protonotariorum usum non immerito emanasse crediderim ex usu, qui olim erat etiam extra Urbem, constituendi certos ac diligentes scriptores, qui acta Martyrum exciperent, ac notarent, prout factum olim fuisse testatur Baronius *cap*. 1. *Martyrol.* in Ecclesia Smyrnensi, Lugdunensi, Viennensi, & Carthaginensi. Certe, quamvis non facile sit talium Protonotariorum exordium assignare, antiquissimum tamen

men esse prorsus ostenditur tum ex decreto Leonis V. qui floruit *circa annum Christi* 904. ac sancivit, ut Scriptores Apostolici essent sui & Sedis Apostolicæ Notarii, apud Hieronymum Fabri; tum quia istorum meminit Sixtus IV. qui floruit 1471. *in sua Extravag. Ad universalis*; tum quia Polidorus Virgilius *de anno* 1499. testatur, suo tempore horum numerum adeo excrevisse, ut multitudo vilitatem pareret, & contemptui eos exponeret. Horum Protonotariorum duplex est differentia, teste Lotter. *l.* 2. *q.* 28. alii enim sunt Protonotarii ratione alicujus officii, cui Protonotariatus est annexus, ut sunt Scriptores Apostolici, Dignitates aliquæ, imo & Canonici quarumdam Cathedralium &c. alii vero sunt virtute privilegii, & concessionis Apostolicæ sive immediate a Papa factæ, sive mediate per Legatos a latere, vel Episcopos Assistentes, aliosve ejusmodi facultatem a Papa habentes. Quare duplex est causa efficiens talium Protonotariorum: alia immediata, scilicet ipse Papa per Datariam, vel Secretariam Brevium, vel collationem officiorum habentium annexum Protonotariatum; alia mediata, nempe Legatus a latere, Episcopus Assistens &c. Illud vero discrimen intercedit inter Protonotarios creatos immediate a Papa, & inter creatos ab aliis, quod illi ex Constitutione Pauli III. censeantur & reputentur familiares & continui commensales Papæ; non ita censeantur ac reputentur creati ab aliis inferioribus Papa. Cæterum, sive a Papa, sive ab aliis ab eo facultatem habentibus creentur, regulariter creari non solent, nisi persona sit nobilis, vel graduata, nec ante vigesimum annum, nisi nepos, aut filius Principis sit, qui ex privilegio post 17. annum creari possunt: ex Corrad. *in prax. dispens. Apost. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 52.

143. Quamvis autem nonnulli etiam recentiores scripserint, ejusmodi Protonotarios non habere dignitatem, neque officium, sed solum jus ad quasdam honorificentias, ut etiam nos supra diximus ex Pikler; nihilominus intelligendum id est de dignitate in sua acceptione propria & rigorosa, id est tali, quæ sit præeminentia cum jurisdictione, prout dignitatem definit Rebuffus; non autem in sua lata acceptione, id est tali, quæ sit quædam cultu & honore digna auctoritas, prout dignitatem definit Cicero. Similiter, quando ejusmodi Protonotarii dicuntur non habere officium, intelligendum est cum relatione ad actum & exercitium, non vero ad habitudinem, ut expendit Lotter. *loc. cit.* Hinc merito Barbosa docet, hos Protonotarios habere dignitatem cum officio; nam vere habent in Ecclesia Romana auctoritatem quamdam cultu & honore dignam, & sunt destinati, seu deputati ad officium scribendi acta Sanctorum, ac res Ecclesiasticas; atque idcirco deputari possunt in Conservatores, ut docet Barbosa ex Congregatione Concilii *de anno* 1630.

144. Præterea iidem Protonotarii gaudent privilegio fori, & Clericali, etiamsi Ecclesiæ non inserviant, dummodo incedant in habitu, & Tonsura; idque procedit, etiamsi nullum habeant Beneficium, ex Pignatello *tom.* 1. *consult.* 171. Imo olim exempti erant a jurisdictione Ordinariorum per Leonem X. in Concilio Lateranensi *sess.* 10. sed hanc exemptionem illis ademit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 11. *de ref.* in causis criminalibus, non autem civilibus excedentibus summam 25. ducatorum: ex Sacra Congregatione Concilii

cilii 14. *Decembr.* 1630. An vero eorum Beneficia sint reservata, & comprehensa *in Extravag. Ad regimen*, juxta regulam primam Cancellariæ vid. Barbos. *de Jure Ecclesiastico tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 37. & an comprehendantur quo ad hunc effectum reservationis in Concordatis Germaniæ, vid. Eminentiss. Card. Petra *in Const.* 1. *Nicolai V.* ubi docte, ac solide rem hanc pertractat.

145. Vestis talium Protonotariorum est Prælatitia cum Rocheto, & Mantelletto coloris violacei. Hanc tamen deferre nequeunt in Urbe, seu in Curia, nisi ex speciali Indulto: sicuti olim id concessit Clemens IX. Oratori Lucensi Fabio Guinigi, qui suæ Reipublicæ nomine cum aliis ad præstandam Pontifici obedientiam Romam advenerat. Cæterum extra Urbem, & Curiam, non possunt prohiberi, ne illam deferant, & in Ecclesiis, ac functionibus cum eadem incedant, & sedeant juxta dispositionem Cæremonialis: si vero ipsi fuerint Canonici, non lucrabuntur distributiones, nisi proprio habitu Canonicali intersint Choro, Processionibus &c. Limites, nisi habeant primam Dignitatem; nam tunc possunt in Choro deferre Rochetum cum Mantelletto, ex Sacra Rituum Congregatione *ann.* 1601. 21. *Augusti*. Plura ad hæc pertinentia vide apud Barbosam *in Collect. Bullar. v. Protonotarius*.

146. Quo ad præcedentiam talium Ptotonotariorum titularium, ipsi præcedunt Canonicos Cathedralis singulos, non autem collegialiter comparentes: cedunt tamen locum Vicario Episcopi. Ubi vero non est Canonicorum collegium, possunt sedere in Presbyterio cum habitu Prælatitio, & in Processione incedere post Sacramentum, vel post Celebrantem, ex eadem Congregatione apud Barbosam *p.* 1. *cap.* 23. *Juris Eccl.* An vero, & quatenus præcedant Referendariis, vid. apud Hieronymum Fabri.

147. His prænotatis, privilegium, de quo agimus, concedit Protonotariis Participantibus facultatem, ut ipsi quolibet anno collegialiter uniti possint creare unum ex his Protonotariis titularibus, sine tamen præjudicio ipsorum Protonotariorum Participantium; ita ut de eorum ille emolumentis non participet, & absque exemptionibus, & privilegiis, ipsis Protonotariis Participantibus competentibus. Circa hæc autem

148. Dubitabis 1. quid importet clausula illa collegialiter, sub qua conceditur privilegium? ℞. importare hoc, quod non possint singuli Protonotarii divisim, ac in suis domibus existentes, dare suum assensum, & devenire ad creationem talis Protonotarii, sed debeant esse in certo ac statuto loco congregati, eo ferme pacto, quo fit in electionibus ad alias Dignitates Ecclesiasticas.

149. Dubitabis 2. quid juris sit, si aliqui ex Protonotariis Participantibus vocati, seu admoniti, nolint interesse? ℞. Præscindendo a statutis particularibus, vel consuetudine Collegii Protonotariorum, de jure communi est, quod si congruo tempore & loco designatæ promotioni ad talem honorarium Protonotariatum aliqui ex Participantibus nolint adesse, censentur quasi non essent de Collegio; & tota promovendi, seu creandi potestas residet in aliis. Ita colligitur *ex Cap. Cum nobis, de elect.* ubi capitulares vocati,

cati, & electioni interesse nolentes, vel a loco ipsius recedentes, alienos se feciſſe, dicuntur.

150. Dubitabis 3. an aſſenſus Protonotarii Participantis, qui forte in Urbe, ubi Collegium habetur ad talem promotionem, ſit infirmus, exquirendus ſit? ℞. affirmative; quia videtur aſſenſus omnium, qui præſentes ſunt, exquirendus. Infirmi autem in Urbe cenſentur Collegio præſentes: nam *l. 5. & 6. ff. de Procurat.* dicitur: *Præſens habetur, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in Urbe, & qui in continentibus ædificiis.* In praxi tamen obſervandæ erunt ſpeciales hujus Collegii conſuetudines.

151. Dubitabis 4. an, ſi Protonotariatus titularis, alicui a Collegio conceſſus, non ſortitus fuerit effectum, quia v.g. is, qui fuerat promotus a Collegio, vel renunciavit talem honorificentiam, vel antequam ipſam acceptaret, mortuus ſit, poſſit eo anno Collegium devenire ad aliam promotionem? ℞. affirmative. Ratio eſt; quia, quando actus non habet effectum, ſecundum intentionem diſponentis, non intelligitur reſtricta conceſſio ad unum actum; ſed de ulteriori actu ſemper intelligi debet, donec ſortiatur effectum: ut docet Baldus *in l. Invitus, de Procurat.* Neque obſtat, quod omnis diſpoſitio de prima vice intelligi debeat, argum. *l. Boves, de verb. ſignif.* nam iteratio iſta in tali caſu, non tam eſt iteratio, quam continuatio & complementum promotionis jam cœptæ, & conſequenter non verificaretur, quod Participantes crearent plures eodem anno Protonotarios honorarios, ſed quod unum crearent.

152. Dubitabis 5. an, ſi Participantes uno anno non creaverint Protonotarium honorarium, poſſint alio anno duos creare? ℞. negative. Ratio eſt; quia, quando privilegium affixum eſt tempori, finitur omnino ac ceſſat tranſacto eo tempore: nam cum tota vis & efficacia privilegii pendeat ex voluntate concedentis, & hæc non extendatur ultra tale tempus in privilegio ſignatum, efficitur ſane, neque privilegium extendi poſſe: *ex l. 2. & 4. C. de precibus Imperat. offerend.* & *Cap. De cauſis, de off. delegat.* Cum autem privilegium hoc affixum ſit ſingulis annis, dicit enim Pontifex, *unum Notarium quolibet anno &c.* ſequitur, quod tranſacto anno cum neglectu, ſeu non uſu talis privilegii, illud omnino ceſſet: eo ferme pacto, quo habens privilegium recitandi Officium de uno Sancto quolibet menſe, ſi in uno menſe tali privilegio non utatur, non poteſt bis in alio menſe eo uti. Neque obſtat doctrina allata a Sanchez *lib. 8. diſp. 15. de matr.* ubi habet, quod, tranſacto tempore Jubilæi, poſſit Confeſſarius adhuc commutare vota pœnitentis, qui opera injuncta perfecit, & ſive ex ignorantia, ſive ex neglectu vota commutanda durante Jubilæo non propoſuit: nam id procedit, quia licet opera in Jubilæo præſcripta ad ejus aſſecutionem alligentur tempori deſignato in eo, ita ut, tali tempore tranſacto, fieri nequeant; at iis factis in eo tempore, conſequens Jubilæum comparat privilegium, ut ei commutentur vota uſque ad Jubilæi tempus emiſſa, quod privilegium non eſt ulli tempori certo aſtrictum; ut colligitur ex tenore Bullæ Jubilæi: ſecus autem contingit in caſu noſtro.

153. Dubitabis 6. an Protonotarii titulares debeant carere omnibus prorſus exemptionibus, & privilegiis, quibus utuntur Participantes? ℞. Privile-

vilegia Participantium sunt in duplici differentia. Alia sunt propria & peculiaria Participantium, qualia sunt concessa a Sixto V. Urbano VIII. &c. Alia sunt communia cum aliis diversis privilegiatis, qualia sunt privilegium fori, exemptio aliqua in civilibus &c. Jam vero Protonotarii titulares creati a Participantibus nequeunt uti privilegiis propriis Participantium, uti constat ex Constitutione Sixti; at possunt uti variis aliis privilegiis communibus a jure etiam illis concessis, ut privilegio induendi vestes Prælatitias, exemptionis in civilibus &c.

CAPUT VIII.

De privilegio utendi Pontificalibus.

TEXTUS.

154. ET *qui ex eis in Presbyteratus Ordine constituti fuerint, in Missis solemnibus Mitra, & quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus Ecclesiis, de illarum tamen Præsulum, si præsentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra dictam Curiam uti.*

NOTÆ.

155. Insignia Pontificalia, de quibus hic est sermo, plura ac diversa sunt; nempe Mitra, Baculus Pastoralis, Anulus, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, & Crux pectoralis: de quibus olim fuse tractavit Tamburin. *de Jure Abb. disp.*20. *q.*1. nuper vero erudite admodum clarissimus Auctor Josephus Catalanus *in suis Commentariis ad Pontificale Romanum.*

156. Hæc porro insignia de jure communi spectant ad Episcopos, aliosque Prælatos superiores; at ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ etiam ad Abbates quosdam, & ad Prælatos nonnullos inferiores, ut constat *ex Cap. Ut Apostolicæ, de privil. in* 6. quinimo memoriæ proditum est, laicos etiam ipsos a Romano Pontifice ejusmodi insignibus nonnunquam decoratos fuisse; nam, teste ipso S. Gregorio VII. in epistola ad Uladislaum Ducem Bohemiæ, Alexander Papa II. *anno* 1168. eidem Duci ab eo expetitam Mitram misit, adhibendamque concessit, hactenus & inusitatam laicis, & inconcessam: *Ad signum* (inquit *lib.*1. *ep.*38.) *intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consuevit, Mitram, quam postulasti, direxi.* Præterea ex quadam epistola nomine Senatus Populi Romani data ad Conradum Romanorum Regem, accepimus, *de anno* 1144. pacem, seu concordiam initam fuisse Papam inter, ac Siculum Regem, concessis a Papa Regi Siculo Virga, & Anulo, & Dalmatica, & Mitra, atque Sandalibus, ex Josepho Catalano *in Prologomenis ad Pontificale.*

157. Notandum vero est ex Card. de Luca *in Annot. ad Concil. disc.*6. usum talium Pontificalium posse esse mere cæremonialem & honorificum, absque jurisdictionis activo exercitio, puta solemniter celebrandi cum Baculo, &

T 2 Mitra

Mitra &c. & posse esse cum activo exercitio jurisdictionis, puta conferendi Ordines, Tonsuram &c. consecrandi Altaria &c. Unde perpendendus est tenor privilegii, ut intelligatur, ad quem usum se extendat.

158. His praenotatis, facultas in hoc privilegio conceditur Protonotariis Participantibus, qui fuerint Presbyteri, ut possint uti Mitra, aliisque quibuscumque Pontificalibus insigniis in Missis solemnibus, quando eas celebraverint extra Curiam Pontificiam, idque possint etiam in Ecclesiis Cathedralibus, cum hac tamen modificatione, ut, si Episcopus praesens fuerit, habeatur ejus consensus, si vero absfuerit, non sit necessarius ejus consensus, imo nec sit necessarium eumdem requirere?

159. Hinc inferes 1. Protonotarios non Presbyteros non habere facultatem utendi insignibus Pontificalibus; siquidem privilegium hoc dirigitur ad Presbyteros, quo nomine nec formaliter, nec virtualiter alii Protonotarii comprehenduntur, sed potius excluduntur: certum autem est, privilegium non extendi ad personas, quae in illo nec formaliter, nec virtualiter exprimuntur, ut fuse Castrop. *de privil. p.*12. cum enim tota efficacia privilegii pendeat ex intentione concedentis, ea satis apparet ex ejus verbis, quae non extenduntur, nisi ad personas formaliter, vel virtualiter expressas.

160. Inferes 2. si spectetur verborum rigor, non posse ex hoc privilegio Protonotarios uti insignibus Pontificalibus in alia functione Ecclesiastica, quam in Missa solemni; de hac enim dumtaxat meminit privilegium Sixtinum, & privilegium non potest extendi ad casus alios praeter expressos, etiamsi similis, vel major detur ratio, ut firmant Salas *de leg. disp.*10. *sect.*2. Suarez *lib.*8. *cap.*28. Bonacin. *de leg. disp.*1. *qu.*3. *p.*7. aliique: unde illud tritum apud Juristas: *Privilegium tantum valet, quantum sonat.*

161. Nihilominus, si attendatur vis correlativorum, & vis praescriptae, & immemorialis consuetudinis, legem, seu privilegium interpretantis, dicendum est primo, posse eos uti Pontificalibus etiam in Vesperis solemnibus, aliisque functionibus Missae solemni, aut Vesperis solemnibus sive per se, sive per accidens ratione solemnitatis annexis, puta in Processione, vel simili functione, quae a celebrante Missam solemnem, vel Vesperas, alicubi contingeret fieri. Ratio est; quia in correlativis idem est judicium, & eadem disciplina; ita ut, quod statuitur in uno, id intelligatur statutum & in altero, *l. Veteres, ff. de action. empti*; & regula correlativorum est regula parium, Baldus *in L. Cum te in Gallia, Cod. Si cert. petat.* Cum autem Vesperae solemnes correlativae sint ad Missam solemnem, ut constat *ex Cap.*2. *de feriis*, & functiones de jure, vel de consuetudine Missae solemni, aut Vesperis annexae, sint iisdem correlativae, sequitur, quod statutum de Missa solemni intelligatur statutum de Vesperis solemnibus, ac functionibus iisdem respective annexis. Certe inconveniens esset, ut qui mane celebravit solemniter in Pontificalibus, idem deberet sine illis Vesperas celebrare. Hinc accepi ab Illustrissimo & Reverendissimo Promotore Fidei D. D. Ludovico Valenti rerum Ecclesiasticarum peritissimo, nuperis temporibus factum esse tum Assisii, tum in Oppido Lionissae, ut Protonotarius e Participantibus Missas & Vesperas solemniter in Pontificalibus celebra-

lebraverit, nemine contradicente, imo omnibus, & ipso Episcopo rite compositeque factum probantibus.

162. Dicendum secundo, posse eos uti aliquibus insignibus, & cæremoniis Pontificalibus etiam in Missis privatis, unde posse eos uti Anulo, Vestes sacras ad Altare induere &c. etiam quando privatim celebrant. Ratio est; quia a longo jam tempore passim & publice tum Romæ, tum alibi Protonotarii Participantes ita celebrare consuevere: unde orta est legitima præscripta consuetudo, quæ sane rationabilis est, cum multi his Prælatis inferiores, habentes usum Pontificalium, similiter factitent, & deceat ex majoritate ac decore majori ornatuum, majoritatem hujus Prælaturæ apparere, *ex Cap. Ut Apostolica, de privil. in 6.* Scio, Meratum *tom. 2. decret. 154.* decretum quoddam generale Sac. Rit. Cong. afferre, quod huic assertioni obesse videatur: at scio etiam, Sac. Rit. Congregationem suas prohibitiones v. g. de delatione Anuli in Missis privatis, & similes, semper restrinxisse ad Protonotarios non Participantes, ac tacite excepisse Participantes. Exceptio autem firmat regulam in contrarium, *l. Quæsitum, ff. de fundo*. Addas, id antiquitus ante Pium II. fuisse concessum Protonotariis, & deinde confirmatum a Sixto V. per Bullam, cui expresse non derogat citata declaratio.

163. Inferes 3. non posse eos uti Pontificalibus in Curia Romani Pontificis. Ista autem Curia est, ubi Papa residet cum suis Officialibus, non autem ibi, quo ille eat, & non cum sua audientia, cito rediturus, ex Ancharan. *in Clement. Ne Romani §. Sane, de elect.* Felin. *in Cap. Ego, de jurejur.* aliisque; & sic Curia Romana est aliquando, ubi non est Papa. Quod si contigerit, ut Sedes Apostolica vacet, tunc Curia erit, ubi erunt Cardinales, & Officiales, apud quos causæ tractantur, ex Ugolin. *de cens. Eccl. p. 2. cap. 8. Bullæ Cœnæ*.

164. Notes, id ita intelligendum, ut non possint ii quidem in Curia uti Pontificalibus celebrando solemniter, possint tamen privatim celebrantes, seu in Missis privatis uti aliquibus insignibus, & cæremoniis Pontificalibus; puta, possint deferre Anulum cum gemma, adhibere instrumentum argenteum cum candela accensa, vulgo *Bugia* &c. Sic etiam Episcopi quamvis nequeant in aliena diœcesi Pontificalia exercere, ex Trid. *sess. 6. cap. 5. de ref.* tamen ejusmodi ornamenta iis competunt, ac debentur etiam in aliena diœcesi, & in Curia, ex Card. de Luca *disc. 98. de jurisdict.* Ratio autem esse potest; quia congruum est, ut hæc Prælatura Pontificalium usu a Pontifice extra Curiam insignita, hujus prærogativæ etiam in Curia effectum aliquem experiatur, argum. *ex Cap. Statuimus, de major. & obed.* præsertim cum, teste Barbosa *de Jure Eccles. tom. 1. cap. 23.* in Romana Curia primum & antiquissimum sit hujusmodi Protonotariorum Collegium, & ante tria circiter sæcula Protonotarii Episcopis etiam in Curia præferrentur; ac propterea æquum sit, ut aliquid pristinæ honorificentiæ ac prærogativæ supra cæteros Prælatos etiam nunc in Curia retineant. Demum Sixtus V. innovavit omnia hujus Collegii privilegia antiquitus concessa, quatenus erant in usu, nec Tridentino contraria. Erat autem in usu jam a tempore Pii II. ut Pontificalibus hisce ornamentis Protonotarii uterentur in Curia, quando ipsi præcedebant Episcopis, ut constat ex recepta tradi-

traditione, & immemoriali praxi: nec talis usus expresse adversatur decretis Tridentini, prout opus esset, ex Anacleto *de privil. num.* 116. ut Tridentino dicerentur contraria ejusmodi privilegia. Accedit praxis legitime præscripta, sciente, & non contradicente Romano Pontifice. Quare etiam in Curia possunt Protonotarii in Missis privatis uti aliquibus cæremoniis & insignibus Pontificalibus &c. & solum non possunt solemniter in Pontificalibus celebrare apud eamdem Curiam.

165. Hinc, siquando ipsi rem Divinam privatim facere velint, Sacerdotalia indumenta super Altare collocantur, iisdemque se se ipsi in medio stantes vestiunt, atque ibidem post Sacrum absolutum ea deponunt. Liber pariter, qui Canon appellatur, ut Episcopis mos est, Protonotariis ad Aras operantibus præponitur &c.

166. Dubitabis 1. an Protonotarii possint solemniter celebrare in Pontificalibus, quando Episcopus præsens, ac requisitus, nolit dare licentiam? ℟. non posse; quia in casu præsentiæ Episcopi privilegium requirit consensum Episcopi: quando autem requiritur consensus, tunc non sufficit licentiam petiisse, & non obtinuisse, sed necesse est, ut Episcopus plane assentiatur, & licentiam det; nam consensus idem est, ac duorum, vel plurium in idem sensus, juxta textum *in Causa* 29. *qu.* 1. §. 2. apud Reiffenstuel *lib.* 3. *decretal. tit.* 10.

167. Dubitabis 2. an debeant requirere consensum Episcopi, si velint in ejus diœcesi Pontificaliter celebrare, quando ille abest? ℟. Quamvis privilegium in tali casu det facultatem utendi Pontificalibus etiam irrequisito Episcopo, non est intelligendum, quasi talis omissio sit de necessitate, ac veluti de forma, sed præcise quod petitio consensus non sit necessaria: cæterum lex urbanitatis etiam in casu absentiæ exposceret, ut vel Episcopi absentis, vel ejusdem Vicarii consensus requireretur; nam multa licent quidem, non tamen decent, ac proinde S. Bernardus *lib.* 3. *de consid. ad Eugen.* monet, ut homo omne opus suum trina consideratione præveniat: primo, an liceat; deinde, an deceat; postremo, an expediat?

168. Dubitabis 3. an in casu, quo Pontificaliter celebrent, debeant uti Mitra pretiosa, vel alterius speciei? ℟. Mitræ triplex est species: una quæ dicitur pretiosa, quia gemmis, vel lapidibus pretiosis, aut laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet: altera, quæ dicitur auriphrygiata, quia sine gemmis, & sine laminis aureis, vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo auro intermixto, vel ex tela aurea simplici: tertia, quæ dicitur simplex, quia sine auro ex simplici serico Damasceno, aut linea ex tela &c. Jam vero, cum Protonotariis Participantibus concedatur in Missis solemnibus usus Pontificalium indistincte, non excludendo usum Mitræ pretiosæ, videtur ejusdem usus ipsis concessus, sicuti & auriphrygiatæ; nam eo ipso, quod Princeps concedit beneficium, & suam mentem non satis explicat, præsumitur concedere ample, quia sic decet ejus liberalitatem, ex Castrop. *de privil. p.* 10. & favet regula juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari*. Nihilominus putarem, in hac re attendendam consuetu-

suetudinem, quæ vigeat respective ad alios similiter privilegiatos; quales sunt quidam Abbates, nec facile ab ea recedendum.

169. Dubitabis 4. an Protonotarii Pontificaliter celebrantes debeant uti Pontificali Romano, & Episcoporum? ℞. affirmative, ex Tamburin. *de jure Abb. disp.21. quæst.11. num.1.* nam Clemens VIII. novum Pontificale restituit, atque edidit pro omnibus & singulis usum Pontificalium habentibus, ut constat ex Bulla: & idem in alia Bulla præcipit, cæremonias, ac ritus a se determinatos, non solum ab Episcopis, sed etiam ab aliis Prælatis inferioribus observari debere. Hactenus de Pontificalibus, quorum exacta explicatio videri potest apud Josephum Vicecomitem *lib.3. de Missæ apparatu*, Dominicum Georgium *tom.1. de Liturg. Rom.Pont. lib.2. cap.13.* Card. Bona *lib.1. rerum Liturgic. cap.23. a num.9.* aliosque.

CAPUT IX.

De privilegio utendi Altari portatili.

TEXTUS.

170. N*Ecnon quilibet eorum septem Notariorum, nunc & pro tempore existentium, ut sibi habere liceat Altare portatile cum debita reverentia, & honore, super quo in locis ad hoc convenientibus, & honestis, etiam non sacris, ac etiam Ordinaria, vel Apostolica, seu utraque auctoritate interdictis, seu etiam tempore cessationis a Divinis, dummodo causam interdicti hujusmodi non dederit, etiam ante diluculum, & etiam circa meridiem, in illius, & domesticorum, & familiarium suorum præsentia Missam per se, vel quemcumque sæcularem, vel cujusvis Ordinis Regularem Sacerdotem idoneum ab Ordinario approbandum celebrari facere, illique interesse, & eam audire libere ac licite valeat.*

NOTÆ.

171. Distinguere oportet inter facultatem habendi Cappellam, seu Oratorium privatum in propria domo ad celebranda Divina mysteria, ac facultatem utendi Altari portatili; hæc enim facultas amplior est, & primam includens ad ulteriora se extendit: siquidem facultas habendi Oratorium privatum, est facultas habendi in propria domo locum permanentem, ad tempus saltem deputatum, ut ibidem super Altari consecrato Missa per modum habitus celebretur, ex de Lugo *Resp. mor. lib.1. dub.13.* & ex la Croix &c. facultas vero Altaris portatilis est facultas celebrandi Missam per modum actus extra Cappellam, vel Oratorium ad id stabiliter deputatum, super Altari consecrato, & in loco decenti collocato: quare hæc facultas ita supra aliam extenditur, ut qui hanc habeat, non solum possit in Oratorio permanente Missam celebrare, sed etiam in quovis alio loco conveniente & honesto, hic & nunc electo, atque Altari, seu lapide consecrato rite instructo.

172. Por-

172. Porro utriusque facultatis a legitimo Superiore concessæ extant exempla ex antiquis monumentis petita. Nam quo ad Oratorium, seu Cappellam in domo privata, S.Gregorius *lib.5. ep.43.* scribens ad Joannem Syracusanum Episcopum jubet, ut ipse permittat Venantio Patritio Oratorium in suo palatio habere, ubi Missæ celebrentur, & subdit rationem: ***Oportet namque filiis Sacerdotalem vos amorem impendere.*** Siquidem aliquando expedit, ut per hanc Superioris Ecclesiastici indulgentiam nobilium animi rebus sacris, & Ecclesiæ concilientur. Quo ad usum etiam Altaris portatilis locuples illud est testimonium, quod Sanctus Ambrosius in domo cujusdam clarissimæ fœminæ, ab ea rogatus, ex data occasione, uti refert Paulinus ***in ejus Vita***, Sacrificium obtulit; ut cætera omittant exempla, quæ duo Eminentissimi Cardinales Bellarminus, & Bona, ille ***in lib.2. de Miss. cap.9.*** hic ***in lib.1. de sac. Liturg. cap.14.*** erudite proferunt. Quamquam, ut fatear quod sentio, temperate admodum ac parce suis hisce privilegiis nobiles viri uti debent, tum ut suam erga tremendum Sacrificium reverentiam ostendant, tum ut bonorum operum exemplum, qui cæteris præstant, in Ecclesiis exhibeant. Certe, quemadmodum ex historiis sacris accepimus, viri sancti, ut populo ad pietatem incitamento essent, ab ejusmodi privilegii usu aliquando abstinebant, & in Templo Divinis Mysteriis vacabant. S.Joannes Eleemosynarius, ut ***in ejus Vita*** scribit Leontius, cum populum de Ecclesia egredi videret, quo tempore Sacra celebrabat, ad illos conversus ait: ***Ego, filii, propter vos ad Ecclesiam descendo; nam mihi ipse in Episcopio Missas facere poteram.*** Accedit, nobilibus viris curæ esse oportere, ne per hujus privilegii usum famuli ac domestici a Sacramentorum perceptione, verbi Dei auditione, aliisque pietatis operibus in Ecclesia exercendis impediantur; nam privilegium degenerat ab æquitate, si in aliorum notabile detrimentum vergere incipiat: ***ex Cap. Suggestum, de decim.*** & ***Cap. Cum ad hoc, de Cleric. non resident.***

173. Jam vero ex textu citato Protonotarii Participantes habent privilegium Altaris portatilis concessum a Pontifice Sixto V. post Concilium Tridentinum: quare ex vi talis privilegii possunt ipsi jam in uno, jam in alio loco decenti & honesto, prout libuerit, Missam celebrare, vel celebrari facere per quemcumque Sacerdotem idoneum & approbatum, etiam ante diluculum, & circa meridiem, etiam tempore interdicti, & cessationis a Divinis; dummodo causam hujusmodi interdicto & cessationi ipsi non dederint, & dummodo Missæ celebrationi vel ipsi, vel aliqui ex domesticis ac familiaribus intersint: circa quæ omnia nonnullæ se se offerunt dubitationes enodandæ.

174. Dubitabis 1. an tale privilegium respectu Protonotariorum adhuc vigeat, nec sit revocatum? ℞. videri, quod sit revocatum ex Motu proprio Clementis XI. *die* 15. *Novembris* 1703. ibi enim prædictus Pontifex expresse declarat, non licere Episcopis, & his majoribus Prælatis erigere Altare ad Missam celebrandam extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis &c. Accedit decretum Concilii Romani *tit.15. cap.2. & 3.* confirmans eumdem Motum proprium, & declarans, ejusdem Motus proprii prohibitionem non intelligendam esse de illis domibus laicis, in quibus Episcopi ex occasio-

casione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, aut in quibus ex aliis justis causis moram fecerint: ex quibus ita efformatur argumentum. Non licet Episcopis, & his majoribus Prælatis, absolute & illimitate uti privilegio Altaris portatilis, adeo ut possint ipsi Missam celebrare, vel celebrari facere in quocumque loco honesto ac decenti sive in, sive extra propriam habitationem: ergo similiter dicendum est respectu Protonotariorum Participantium: nam ob identitatem rationis adæquatæ lex, seu prohibitio extendenda est etiam ad personas non expressas: cum autem ratio talis prohibitionis in Motu proprio Clementis XI. sit *ad instaurandam venerationem tremendo Mysterio debitam*, & hæc ratio militet etiam respectu Protonotariorum; sequitur, quod ipsos etiam afficiat.

175. Præterea videtur incongruum, quod Episcopi, & his majores Prælati habeant limitatum privilegium Altaris portatilis, Protonotarii autem habeant illimitatum; nam sic videtur imprudenter, ac sine debito modo lex statuta.

176. Nihilominus, salvo omni meliori judicio, censeo, privilegium hoc Protonotariorum non esse revocatum a tali Motu proprio, & adhuc vigere. Ratio est 1. quia Pontifex in eo Motu proprio exprimit Episcopos, & his majores Prælatos, non autem Protonotarios, qui, ut tales, neque sunt Episcopi, neque his majores Prælati. Certum autem est, legem non esse extendendam ad personas non expressas, neque ob parem, neque ob majorem rationem; nisi adsit præsumptio, legislatorem eas quoque voluisse comprehendere: quæ sane præsumptio non est in casu nostro; siquidem Protonotarii habent hoc privilegium ex titulo oneroso, ac remunerativo, atque ejusmodi privilegia non præsumuntur revocari personis, quæ ea ex titulo oneroso obtinent, per generales quasdam revocationes: ut patet in privilegiis Bullæ Cruciatæ, quæ non intelliguntur revocata iis, qui acceperunt Bullam, per generalem revocationem Jubilæi Anni Sancti factam omnibus personis quacumque dignitate fulgentibus, etiam Regibus, prout expendit Castropalaus *disp.4. de privil. p.21.* §.2. Unde accommodari in casu nostro id potest, quod dixit Innocentius III. *in Cap. 2. de translat. Episcop. Si [Pontifex] idem fieri voluisset, poterat expressisse*.

177. Ratio est 2. quia hoc privilegium Protonotariorum ita concessum est a Sixto V. ut illud non sit merus prætextus, seu color quæsitus ex dubiis argumentis ad corroborandum abusum, sed clare, expresse, ac rotunde sit certum, formale, ac Bullatum beneficium Principis concedentis usum Altaris portatilis. Cum igitur Clemens vetuerit ejusmodi Altare erigere, quando id fiat *sub prætextu privilegii*, vel *alio quocumque titulo* utique non subsistente (prout hic terminus intelligendus, & restringendus probatur ex enunciativa ejusdem Clementis XI. improbantis dumtaxat privilegiorum dilatationem, seu potius excessum, & abusum), sequitur, quod a tali declaratione non comprehendatur usus Altaris portatilis factus a Protonotariis, qui id sibi licitum putant ex clara, expressa, formali, & indubitata concessione Pontificis.

178. Ratio est 3. praxis Illustrissimorum Protonotariorum, qui palam ac publice in Urbe Roma illimitate, juxta concessionem Sixtinam, eo privilegio

utuntur, ſciente, nec contradicente Pontifice, prout mihi viri fide digni teſtati ſunt.

179. Neque obſtant rationes in contrarium adductæ. Nam eſto talis uſus Altaris vetitus, ſeu limitatus ſit Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, non proinde ſtatim ſequitur, quod idem vetitus, aut limitatus ſit Protonotariis; nam reſpectu iſtorum non militat eadem ratio adæquata limitationis Pontificiæ: ſiquidem hi obtinent privilegium certum & expreſſum, conceſſum a Pontifice poſt Tridentinum, ac præterea obtinent ex titulo oneroſo, ac remunerativo; quæ omnia non concurrunt in Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, qui vel dubium obtendunt privilegium, vel certe non conceſſum ex titulo oneroſo. Quamobrem ex prohibitione, ſeu limitatione facta Epiſcopis, non bene deducitur prohibitio, ſeu limitatio facta Protonotariis: etenim, ut cum communi Doctorum docet Layman *de legib.cap.* 18. ad extendendam legem ad perſonas non expreſſas, neceſſe eſt, ut ratio quæ legiſlatorem movit ad id quod in lege ſua expreſſit ſtatuendum, adæquate, ſive per omnia, etiam locum habeat in aliis perſonis per verba non expreſſis.

180. Item non obſtat, quod Prælati majores habeant tale privilegium valde limitatum: nam inferiores obtinentes privilegium ex titulo oneroſo, illud non amittunt, quando illud amittunt majores idem obtinentes ex titulo mere gratuito. Sic Reges per Bullam Anni Sancti amittunt multa privilegia, quæ non amittunt ſubditi, qui Bullam Cruciatæ acceperint. Accedit, quod ſicut privilegium conceſſum inferiori, non intelligitur conceſſum ſuperiori ob ſimilem, vel efficaciorem rationem; ita limitatum ſuperiori, non intelligitur exinde limitatum inferiori: nec lex idcirco habenda eſt imprudenter ſtatuta, quod a majoribus privilegium auferat, & inferioribus relinquat; prudenter enim in hoc ipſo poteſt agere Princeps: ſiquidem poteſt eſſe ratio, quæ ſæpe nos latet, cur Princeps inferiori privilegium conferre velit, nolit autem ſuperiori; ſicuti expendit Suarez apud Layman *loc. cit.* idque indicat Julianus *l.*20. *ff. de leg.* *Non omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.*

181. Dubitabis 2. an vi talis privilegii poſſint Protonotarii celebrari facere plures Miſſas in Altari portatili? ℟. poſſe. Ratio eſt; quia quando privilegium conceditur pro unica tantum Miſſa, clare ſignificatur & exprimitur, prout ſolet fieri in Brevi de Oratorio privato, ubi legitur: *Unam Miſſam pro unoquoque die*: quæ verba clare denotant reſtrictionem: ergo, quando hæc expreſſio non habetur, ſed abſolute & illimitate conceditur privilegium, non debet ad unicam Miſſam limitari. Accedit, quod tale privilegium tendit ad reddendas perſonas habiles ad audiendam, vel celebrandam Miſſam in locis non conſecratis, prout de facto habilitat: hac autem habilitate ſuppoſita, poterit privilegiarius non ſolum unam, ſed aliam, & aliam Miſſam audire, niſi conſtet de voluntate in contrarium legiſlatoris. Neque obſtat, quod privilegium utatur numero ſingulari *Miſſam*; nam etiam diſpenſatio, ſeu privilegium conceſſum illegitimo de recipiendo ac retinendo Beneficium, utitur numero ſingulari, & tamen illegitimus diſpenſatus ad Beneficium, poteſt illo dimiſſo aliud accipere, ex Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.*31. *num.*8. aliiſque.

182. Du-

182. Dubitabis 3. an vi talis privilegii possint Protonotarii celebrare, vel celebrari facere in Altari portatili quolibet anni die etiam solemniori? ℞. Privilegium Protonotariorum a Sixto concessum cum nullam adhibeat restrictionem, aut exceptionem, & alias beneficium Principis late debeat interpretari, *l. Beneficium ff. de const. Princip.* & gratia ac favor semper ampliari debeat, *l. Hoc modo ff. de condit. & demonstrat.* plane consequitur, ut ii possint ac valeant ex vi sui privilegii celebrare, vel celebrari facere in Altari portatili, seu in suo Oratorio, etiam diebus solemnioribus. De facto memini me legisse apud Illustrissimum Ciampini *cap.* 18. §. *Si quando*, Abbreviatores de Parco majori posse in suo Oratorio celebrare, vel celebrari facere etiam in festis solemnioribus, ob similem rationem; quia nempe habent privilegium illimitatum, & sine ulla exceptione, aut restrictiva, ab Urbano VIII. Nec dubitationem cuiquam faciat decretum quoddam S. Rit. Congregationis, relatum a Merato *tom.* 2. *decr. n.* 74. quo sic edicitur: *In privatis Oratoriis, & privilegiatis, non potest celebrari Missa in festis solemnioribus*. Nam, eo decreto non obstante, pergunt Episcopi in suo Oratorio celebrare & celebrari facere etiam in festis solemnioribus: unde deducitur, citatum decretum non afficere quæcumque Oratoria privilegiata, sed Oratoria privilegiata privata, qualia certe non sunt Oratoria Episcoporum, Protonotariorum Participantium, & similium, aut majorum Prælatorum: ex Gavant. Pace Jordan. Tamburino, aliisque apud Gobat *de Missa n.* 140. Præterea privilegium illimitate concessum ex titulo oneroso, & in remunerationem nobilissimo Collegio per Constitutionem Pontificiam *ex motu proprio, & ex certa scientia*, non revocatur, nec limitatur per legem quamdam generalem, aut generalem declarationem Sac. Congregationis, nisi saltem addatur hæc clausula: *etiamsi fuerit concessum titulo oneroso*. Ita ex Donato *tom.* 1. *p.* 1. *tract.* 13. *q.* 9. Anacleto *de privil. n.* 126. aliisque communiter. Et ratio est; quia talis revocatio, aut limitatio cederet in præjudicium tertii, auferendo ei jus quæsitum; & consequenter non præsumitur voluntas revocandi, aut limitandi, nisi exprimatur. Vid. Ciampin. *loc. cit.*

183. Dubitabis 4. an possint ceebrare ante solis ortum, & post meridiem? ℞. vetitum esse ex jure communi, & recepta consuetudine, celebrare ante auroram, & post meridiem. Pontifex vero dat facultatem Protonotariis, ut celebrare possint *ante diluculum, & circa meridiem*; idest, ut non teneantur ea lege communi, & consequenter quod id possint tum ante auroram, tum post meridiem. Notetur vero, quod hæc dictio *ante*, ex Lexico Juridico, sua natura non importat quidquid præcedit quamvis longo intervallo, sed quod proxime præcedit. Hinc Protonotarii, qui possunt celebrare ante auroram, id poterunt tempore proxime præcedente auroram. Similiter hæc dictio *circa*, ex Barbosa *in Collectaneis*, denotat modicum ante, vel modicum post: unde habentes facultatem celebrandi circa meridiem, id poterunt paulo post meridiem. Quod si quæratur, quantum temporis in subjecta materia designet ly proxime præcedente auroram, & ly paulo post meridiem? crediderim, designare horam ante auroram, & horam post meridiem. Ratio est quo ad

primam partem; quia per mediam horam ante auroram possunt Missam incipere etiam non privilegiati, ex de Lugo *disp.*20. *de Euch. sect.*1. aliisque: ergo, ne privilegium apud privilegiatos sit otiosum, & aliquid respectu illorum operetur, dicendum est, quod ipsi id possint per horam ante auroram: Ratio vero quo ad secundam partem, est ferme eadem; cum enim non privilegiati possint ex causa Missam incipere post non integram horam a meridie, ex Bonacina *de Euch. disp.*4. *q.ult. punct.*9. id poterunt privilegiati post integram horam: siquidem pro his privilegium debet esse utile.

184. Dubitabis 5. quomodo intelligenda sit facultas de celebrando, tempore interdicti, aut cessationis a Divinis? ℞. In primis, ut hac facultate uti possint Protonotarii, debent ipsi non dedisse causam interdicto, aut cessationi &c. neque debet per ipsos stare, quin tollatur; quia non esset rationi consentaneum, ut interdicti prohibitio tolleretur ei, qui causa est interdicti, vel occasio ne interdictum cesset. Deinde advertendum est, quod *in Cap. Alma mater, de sent. excomm. in 6.* temperatus est rigor juris antiqui, & permissum est, ut tempore interdicti possint Sacerdotes Missam celebrare, submissa tamen voce, januis clausis, & campanis non pulsatis: imo permissum est, ut Clerici omnes etiam primæ Tonsuræ, modo excommunicati, vel interdicti non sint, neque interdicto causam dederint, Missam audiant &c. ut affirmant Angel. Sylvest. Navarrus, Henriquez, quos refert, & sequitur Avila apud Castrop. *de Bulla Cruc. p.6.* Quibus positis, manifeste infertur, privilegium ejusmodi respicere Protonotarios illos, qui forte non fuerint Clerici, & Protonotarios etiam Clericos, non quidem ad effectum, ut ipsi possint audire Missam, vel celebrari coram se facere (quod possunt ex jure communi, & independenter a privilegio Sixtino), sed ad effectum, ut laici ex domesticis ac familiaribus ipsorum possint eidem Missæ interesse, quando ea vel a Protonotario, vel a Sacerdote idoneo deputato a Protonotario, celebratur in loco non specialiter interdicto. Quare ex vi talis privilegii vel Protonotarius est laicus, & iste poterit audire Sacrum tempore interdicti, ac secum audientes habere domesticos & familiares suos; vel Protonotarius est Sacerdos, aut Clericus, & iste poterit domesticos ac familiares suos laicos suæ Missæ, vel alienæ, cui ipse intersit, interessentes habere &c. Vid. Castrop. *de Bull. Cruc. disp. un. p.6.*

185. Dubitabis 6. an interessentes huic Missæ celebratæ in Oratorio, seu Altari Protonotarii, satisfaciant præcepto de audiendo Missam in die festo, si non fuerint ex ejus domesticis ac familiaribus? ℞. Videtur fortasse, quod non satisfaciant; tum quia in citato Decreto Clementis XI. expresse declaratur, personas audientes Missam in Oratorio privato sive iis diebus solemnioribus excipi solitis, sive quando ibidem fuerit alia Missa celebrata, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere; tum quia, cum privilegium Sixtinum faciat potestatem extra Ecclesiam Missam libere ac licite audiendi Protonotariis, & ipsorum familiaribus ac domesticis, videtur, quod alii eam Missam audientes, illicite audiant, non quidem si audiant ex supererogatione, siquidem non est ratio id asserendi, sed si audiant urgente obligatione audiendi Missam, quatenus

tenus ad eos non extenditur favor satisfaciendi præcepto per talis Missæ auditionem.

186. Nihilominus crediderim, etiam alios non domesticos, nec familiares Protonotarii, interessentes ei Missæ, satisfacere Ecclesiasticæ obligationi. Ratio mihi est; quia ex una parte per consuetudinem rationabilem, & receptissimam, imo & immemorialem, inductum est jus commune satisfaciendi præcepto per quamcumque Missam, ubilibet auditam. Ita communiter DD. Fagundez, Azor. Castrop. Bonacin. Suarez, ac fere omnes. Hinc, sive quis audiat Missam de Sancto, sive de tempore, sive ritu Romano, sive Ambrosiano, sive Græco, sive in Parochia, sive extra Parochiam, sive in mari, sive in terra, quantum hodie est ex jure communi, satisfacit præcepto audiendi Missam; non enim si quod fuit olim jus in contrarium, hodie amplius viget, ut docte notat Card. de Lugo *disp.22. sect.1.* Ex alia vero parte, nulla est in nostro privilegio clausula, quæ deroget tali juri communi, illudque restringat ad solos familiares, & domesticos Protonotariorum, prout est in Brevibus concedi solitis viris nobilibus pro Oratorio privato: ergo dicendum est, omnes posse uti jure communi, quando agitur de Missis celebratis quidem extra locum sacrum, vel ab Episcopo benedictum, sed per privilegium Protonotariorum. Vid. Ciampin. *cap. 18. de Abbreviatorum Cappella.*

187. Neque obstant adducta in contrarium: nam Motus proprius Clementis XI. loquitur de eo Oratorio, quod est privatum, in quo habetur ex Indulto restrictio ad unicam Missam, & ad certos dies, non autem de Oratorio Episcoporum, Protonotariorum, & Regularium, quod non est Oratorium privatum, & consequenter non est illud, de quo disponit Motus proprius Clementis XI. qui propterea loquitur de Oratoriis concedi solitis in forma communi viris nobilibus. Quare dispositio, quam Pontifex facit circa illa, non videtur extendenda ad Oratoria, Altaria, & Missas in iis celebratas per privilegium Protonotariorum: nam argumentum non valet de similibus ad similia, nisi fuerit utrobique omnimoda similitudo; ut notat Abb. *in Cap. Inter corporalia, de transl. Prælat. num. 18.* Quod vero Sixtus V. in suo privilegio dicat, licere Protonotariis, eorumque domesticis ac familiaribus extra locum sacrum audire Missam, & taceat de aliis, non denotat, Pontificem limitare simpliciter suum favorem ad tales personas, aut derogare aliorum juri communi; sed denotat, Pontificem, quantum est ex vi privilegii a se concessi, extendere suum favorem ad tales personas: cæterum alias personas relinquere in suo Jure, si quod forte habeant; siquidem nulla lex privata, non expressim, & ex diametro, & per se opposita consuetudini receptæ, ac rationabili, constituenti jus commune, derogat per se tali consuetudini, aut juri, ex adductis a Manfred. *in suis decisionibus.* Cum itaque personæ distinctæ a domesticis Protonotariorum satisfaciant, sicuti cæteri Fideles, auditioni Missæ, ubilibet eam audiendo, quantum est ex jure communi, nec prohibeantur jure aliquo particulari eam audire apud Protonotarios sub pœna non satisfaciendi præcepto, uti constat ex illimitato privilegio; sequitur &c.

188. Dubitabis 7. an in Oratorio, seu Altari portatili ad usum Protonotarii,

rii, juxta hoc privilegium, liceat ministrare Eucharistiam, seu Communionem extra tempus Paschale? ℟. rem hanc in simili tractari a Clericato *de Euch. dec.*8. ex quo, præscindendo a particulari aliqua ac municipali prohibitione, respondeo affirmative; quia cum Papa concesserit Protonotariis, ut extra locum sacrum possint Sacrificium Missæ celebrare, vel celebrari facere, per consequens concessisse videtur, ut ibidem possit Eucharistia ministrari: siquidem ex instituto Ecclesiæ, & ex præscripto Ritualis Romani *de Communione*, ea est præbenda in Missa post Communionem, atque idcirco recitantur in Missa preces spectantes tum ad Sacerdotem, tum ad alios Fideles, qui sacram Eucharistiam ibi sumpserunt. Quare hic recte procedit illud proloquium: *Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*: nam illud minus ex decentia, & ex instituto Ecclesiæ includitur in illo majori; & is, cui licet illud majus, non prohibetur, ut suppono, per aliquam legem municipalem ab hoc minori. Accedit, quod Clericatus citatus putet, hoc comprobari a decreto Sac. Congreg. Concilii *die* 11. *Febr.* 1679. de quotidiana Communione; nam ibi S. Congregatio jubet, doceri, sanctissimam Eucharistiam esse sumendam vel in Ecclesiis, vel in Oratoriis privatis concessis ex Pontificia dispensatione, non autem esse deferendam secreto ad cubantes in lecto &c.

189. Dixi, extra tempus Paschale: nam, ad satisfaciendum præcepto de communicando in Paschate, Communio sumenda est de manu proprii Parochi, vel ipsius delegati, *ex Cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* unde, nisi Parochus, vel ejus delegatus eam ministret in privato Oratorio, sumenda erit in Parochia, ubi ea administratur. Dixi etiam, præscindendo ab aliqua municipali lege; nam, si alicubi Ordinarius nollet Communionem fieri extra Ecclesiam, Protonotarii, quamvis exempti, non recte eam ministrarent subditis Ordinarii. Hinc notes, Romanam praxim esse, ut requiratur licentia Summi Pontificis ad suscipiendam Eucharistiam in privatis laicorum Oratoriis; imo Innocentius XIII. teste Cardinali Lambertino Bononiensi Archiepiscopo *Institut.* 34. §. 3. *num.* 12. noluit nobilissimæ fœminæ concedere licentiam suscipiendi Eucharistiam in suo privato Oratorio, nisi limitatam ad tempus infirmitatis, visis prius, & ponderatis juratis Medicorum contestationibus de ejusdem physica impotentia eundi mane ad Ecclesiam. Quare citatus Card. Lambertinus, deinde Benedictus XIV. in quadam sua Epistola existente *in tom.* 3. *sui Bullarii*, præcipit, ne ministretur, & suscipiatur in Oratoriis privatis laicorum sacra Eucharistia, sine licentia Ordinarii illius loci; atque idcirco, abstrahendo ab Oratoriis Episcoporum, Cardinalium, & Prælatorum privilegiatorum, necessaria est licentia Episcopi Ordinarii ad talem administrationem & susceptionem in Oratoriis privatis laicorum.

CA-

CAPUT X.

De privilegio condendi statuta pro Collegio.

TEXTUS.

190. *Necnon statuta, & ordinationes, Collegii prosperum statum concernentia, condendi, & pro tempore condita restringendi, ampliandi &, quoties expedire videbitur, in totum, vel partem delendi, & alia de novo ordinandi, eaque sub pecuniariis eidem Collegio applicandis, & aliis etiam suspensionis a perceptione emolumentorum distribuendorum arbitrio dicti Collegii pœnis, per deputandos per ipsum Collegium exigendis, observari faciendi, auctoritate, & tenore præsentis, tribuimus facultatem & potestatem.*

NOTÆ.

191. Sciendum est, leges ac statuta proprie talia, seu in stricta acceptione, esse actus jurisdictionis, & sine illa ferri non posse, ex communi Canonistarum, & Theologorum: quocirca communitates Ecclesiasticæ inferiores Concilio Provinciali, Synodo Diœcesana, Capitulo Cathedralis, præsertim Sede vacante &c. non possunt leges & statuta proprie talia ordinarie ac regulariter ferre, nisi constiterit, eas habere jurisdictionem sive ex privilegio, sive ex legitima consuetudine &c. Propterea huic nobilissimæ communitati Ecclesiasticæ, quæ resultat ex cœtu Protonotariorum Participantium, Pontifex jurisdictionem impertit, & facultatem concedit, ut leges & statuta possit condere, quæ sint vere & proprie leges, nec dumtaxat regulæ operandi positæ ex conventione illorum, qui sunt de communitate, per modum facti. Hæ vero leges & statuta, quæ vi talis privilegii ab hoc nobilissimo cœtu emanant, proportionata esse debent jurisdictioni concessæ; quia unaquæque potestas operari potest juxta modum suæ virtutis, & non amplius. Hinc

192. Dubitabis 1. in quo sit hæc potestas ferendi leges & statuta, an in Decano Collegii, vel in Collegio ipso, vel in utroque simul? ℞. potestatem esse in Collegio ipso; huic namque dirigitur privilegium, ut constat ex ipsius relatis verbis: atque idcirco ad has leges ferendas, eas conditiones requisitas crediderim, quas Barbosa, & Fermosinus notant requiri ad leges ferendas a Capitulo: scilicet I. ut collegæ consentiant in tale statutum per modum communitatis & Collegii certo in loco astantes: II. quod duæ saltem partes collegarum adsint, ut *l. 3. & 4. ff. Quod cujusque universit. nom.* III. ut omnes fuerint vocati, alioquin unus contemptus, seu non vocatus, cum vocari debuisset, posset reclamare, actumque irritare, nisi ob bonum pacis, postea consentire voluerit, arg. *Cap. Bonæ memoriæ 36. de elect.* IV. ut major & sanior pars illorum, qui adsunt, statuto consentiant. Vid. Barbos. *cap. 38. de Canon.* post Rotam coram Coccino *in Hispaniar. Mandat. 15. Decembris 1625.*

193. Dubitabis 2. quænam sit materia, circa quam ferri possunt a Collegio ejusmodi leges? ℞. Materia est, quidquid concernit prosperum statum Col-

Collegii, ex Bulla Sixti. Unde multa possunt sanciri, quæ pertineant ad distributiones redditunm, ad usum privilegiorum, ad conservationem præeminentiarum &c. Semper tamen cavendum, ne per talia statuta cuiquam jus suum auferatur; nam alterum non lædere, est de jure naturali, nec Pontifex videtur ita absolutam elargitus potestatem, ut, ad tuendam Collegii prosperitatem, velit jure suo alios privari.

194. Dubitabis 3. quos afficiant & obligent leges latæ a Collegio? ℟. Tales leges afficiunt & obligant singulos de Collegio, argum. *Cap. Cum omnes, de Constit.* Possunt etiam, indirecte saltem, afficere personas deservientes ipsi Collegio; tum quia in istas, circa spectantia ad suum prosperum statum, videtur Collegium habere quamdam jurisdictionem; tum quia leges concernentes bonum publicum Collegii videntur ex quadam consecutione constringere etiam illos ministros, sine quibus bonum Collegii stare non posset, argum. ex Layman *de leg. cap.* 11. *n.*4. *§.Certum est*.

195. Dubitabis 4. an tales leges obligent in conscientia, & sub peccato, quando imponunt pœnam pecuniariam, suspensionem a perceptione emolumentorum &c.? ℟. cum distinctione: vel tales leges feruntur verbis præceptivis; vel feruntur verbis indifferentibus non expresse indicantibus præceptum? Si primo modo ferantur, probabilius censeo, eas obligare in conscientia. Ita cum Bonacina, Covarr. Vasquez, Sanchez, aliisque, Castropalaus *disp.* 1. *de leg. p.*15. Ratio est; quia lex utens verbis præceptivis indicat, voluntatem legislatoris esse, ponere præceptum: posito autem præcepto, necessario resultat obligatio obediendi in conscientia pro materiæ gravitate. Si autem secundo modo ferantur, nullam inde puto oriri obligationem in conscientia, nisi aliter declaraverit usus & consuetudo. Sic Sanchez, Bonacin. Azor. Suarez, aliique apud Castropalaum. Ratio est; quia, cum legislator potuerit mentem suam obligandi per præceptum declarare, & non declaraverit, præsumitur, eum obligare in conscientia noluisse, sed solam pœnam imponere.

CAPUT XI.

De privilegio prorogationis Notariatus ad quinquennium, dimissio officio.

TEXTUS.

196. *Quodque iidem nunc & pro tempore existentes septem Notarii, & eorum singuli, qui jam per decennium officium Notariatus hujusmodi obtinuerunt, quique in futurum saltem per prædictum tempus a die, quo in Collegium eorumdem Notariorum admissi fuerint, computandum, illud obtinuerint, si forte illud resignaverint, nihilominus Notarii sint, & vocentur, iisdemque honoribus, præeminentiis, antelationibus, privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus, aliisque omnibus præmissis ad quinquennium tantum utantur, perinde ac si in dicto Collegio adhuc essent: qui tamen Rochetum præterquam extra Urbem non*

non deferant, nec locum in Cappella habeant, alios tamen Prælatos immediate post Notarios incedendo, præterquam causarum dicti Palatii Auditores, & Cameræ Apostolicæ Clericos, præcedant, auctoritate, & tenore præmissis, concedimus pariter & indulgemus.

NOTÆ.

197. Mirabile primo intuitu videtur hoc privilegium; siquidem concedit, ut Protonotarii perseverent esse, & vocari tales, quando per resignationem factam tales amplius non sunt. Resignans enim, quo ad Beneficium, vel officium resignatum, habetur pro mortuo, ut scribit Glossa communiter recepta ***in Cap.*1. *Susceptum*, *verb. non mort. de rescript. in* 6.** Verumtamen omnis admiratio cessat, attendendo verba, quæ deinde Pontifex subjungit, dicens: ***perinde ac si in dicto Collegio adhuc essent*:** quibus significatur, post resignationem Protonotarios non esse amplius tales, nec censeri de Collegio, æquiparari tamen illis, qui sunt de Collegio, quo ad enumerata in privilegio; nam hæc dictio ***perinde***, sicuti denotat improprietatem, & fictionem, ut ***in l. Sed etsi lex*, §. *perinde*, *ff. de petit. hæred.*** ita æquiparat rem unam alteri, ut ***in l. Filio*, §. *penult. ff. de aliment. & cibar. &c.*** Totum propterea, quod Pontifex in hoc privilegio concedit, est, Protonotarios post resignationem Protonotariatus perseverare in possessione titulorum, & gratiarum hujus officii usque ad certum tempus.

198. Dubitabis 1. quibus conditionibus concedatur, & quousque extendatur tale privilegium? ℟. Conditio indispensabiliter requisita ad obtentionem hujus privilegii est, quod Protonotarius per decennium perstiterit in tali officio; decennium vero computetur a die, quo ipse in Collegium Notariorum admissus fuerit. Extensio porro privilegii, si spectetur tempus, est ad quinquennium; si spectentur effectus, est ad usum omnium exemptionum, honores, titulos, præeminentias &c. quibus uti possunt ac valent Protonotarii, cum hac dumtaxat limitatione, ut non comprehendatur usus Rocheti intra Urbem, nec concedatur locus in Cappella Pontificia: ex Bulla.

199. Dubitabis 2. an tale privilegium habeat locum, si intra quinquennium superveniat qualitas omnino contraria qualitati Protonotariatus, v. g. si qui fuerat Protonotarius, nubat? ℟. negative: nam licet nemo id dixerit in specie de Protonotariis, colligitur tamen ex iis quæ dicuntur expresse de delegatis Apostolicis ***in Cap. Statutum*, *de rescript. in* 6.** apud Monetam ***de conservat. cap.*10. *num.*172.** Et ratio esse potest; quia Protonotariatus, & ejus privilegia sunt quid Ecclesiasticum, & per personam Ecclesiasticam obiri, & obtineri respective solent: ut constat ex ipsorum institutione, & ex Lotter. ***lib.*2. *qu.*28. *num.*40. & 41.** Ea autem, quæ in sui administratione & usu postulant personam Ecclesiasticam, cessant per assumptionem status conjugalis, ***ex Cap.*2. *de Cleric. conjug.*** Hinc Clericus conjugatus non posset esse Vicarius Generalis Episcopi in spiritualibus, ex Abb. ***in cit. Cap. num.*3.** Quare, exceptis privilegiis fori, & canonis, quæ perseverant etiam in Clerico conjugato, serva-

servatis servandis, crediderim, omnia privilegia Protonotariorum cessare in conjugatis his Clericis.

200. Neque obstat, quod concessio talium privilegiorum sit remuneratoria ob servitium præstitum Sedi Apostolicæ per decennium; nam assumens statum incompatibilem cum talibus privilegiis, censetur illis tacite renunciare: argum. *Cap. De multa 28. de præb. & Extravag. Execrabilis, eod. tit. inter communes.*

201. Advertas, me dixisse, ea privilegia cessare in casu conjugii, non autem in casu sponsalium de futuro: nam sponsalia de futuro multis modis dissolvi possunt, sicque statum plane incompatibilem cum persona Ecclesiastica (qualis utique est Protonotarius etiam non Clericus, sive non Tonsuratus; nam hoc operatur susceptio habitus Prælatitii, & obligatio penes Romanam Ecclesiam, ex allegatis per Ricciullum *luc. lib. 3. c. 3.*) non inducunt; prout in simili argumentatur Abbas *cons. 62. n. 18. p. 2.* & Sanchez *de Matr. disp. 42. l. 7. num. 13.*

202. Advertas etiam, quod sicuti dignitas Cardinalatus, quia est Clericatui annexa, statim per contractum matrimonii per verba de præsenti, expirat, ex Ricciull. *de jur. person. lib. 7. cap. 1. n. 16.* ita etiam dignitas Protonotarii propter eamdem rationem desineret in eo, qui, Protonotariatu non adhuc dimisso, matrimonium contraheret.

203. Hæc disserebam de nobilissimo Romanæ Curiæ Protonotariorum cœtu, qui majus in dies ex spectatissimorum virorum splendore, per hanc viam ad rempublicam accedentium, honoris existimationisque capit incrementum, ut constat ex elencho, quem infra subjiciam, præsentium Protonotariorum.

ELENCHUS EORUM,

Qui Sanctitatis fama insignes inter Protonotarios adnumerati sunt.

NEmini est dubium, Ecclesiasticum quemlibet cœtum a sanctis viris, qui ex illo prodiere, maximopere commendari. Quamobrem officio deessem, si hanc etiam Illustrissimo huic Prælatorum Collegio prærogativam inesse tacitus prætermitterem. Ajo igitur, plures ex eo extitisse tum priscis, tum recentioribus temporibus, qui vel in Sanctorum album sint relati, vel de iisdem referendis apud Sacram Rituum Congregationem quæstio instituitur.

I.

Et priscis quidem temporibus constat, post injustissima illa atque sævissima Diocletiani Imperatoris edicta, quibus Acta Martyrum, aliique Christianæ religionis codices incendio damnabantur, quamplures fuisse fortes viros, qui ex occasione eos occultandi, injustæque eosdem sententiæ subtrahendi, Martyrium subierint. Quorum aliquos Notarios Rom. Ecclesiæ fuisse, haud immerito conjectare possumus; siquidem ad illos præcipue scriniorum, in quibus ii codices deponebantur, cura pertinebat.

Præterea S. Anterus Papa, & Martyr, qui floruit *anno Christi* 238. ac men-

mensem circiter unum sedit, jure Protonotariorum Collegio vel tanquam olim pars, vel tanquam Patronus ascribitur. Hujus enim Martyrii causam Liber de Rom. Pontificibus hanc assignat, quod *gesta Martyrum diligenter a Notariis exquisiisset, & in Ecclesia recondidisset*; videlicet quod a publicis, & Proconsularibus exceptoribus, actorum exempla vel redemerit, vel exscripserit, eaque scriniis Ecclesiasticis deposuerit. Quod sane munus ad Protonotarios pertinebat, quique illud obiisset, Protonotarius dicebatur. Accedit, quod, cum hæc ante suum brevem Pontificatum S. Anterus fortasse præstiterit, inferre possumus, quod ante Pontificatum fuerit e numero Protonotariorum.

Item SS. Martyres Marcianus, & Martyrius, Notarii dicuntur in Menæo Græco *die 25. Octobris*; eosque vere Notariorum Ecclesiæ officium exercuisse, nonnulli existimant. At vir clarissimus Dominicus Magri *in suo Vocabulario* hos putat fuisse Lectores, idest constitutos in Lectoratus Ordine, eo quod Lector, ac Notarius synonime aliquando ac promiscue accipiantur. Utrum recte, ipse viderit.

Extat etiam in Martyrologio Romano *die 6. Aprilis* memoria S. Marcellini Martyris, qui, ut ibidem notat Baronius, erat *Tribunus Notariorum*: & idcirco non defuere, qui illum Primicerium, vel Decanum Protonotariorum voluerint. Cæterum verius existimo cum eodem Baronio, quod Tribunatus Notariorum aliud valde diversum munus denotet. Etenim Tribuni Notariorum, teste Spondano *ad annum Christi* 411. dicebantur ii, qui erant a secretis Imperatoris. Unde qui tali munere fungebantur, sæculari potius, quam Ecclesiastica dignitate pollebant.

Certè inter Notarios Sedis Apostolicæ numeratur S. Anastasius Abbas ex Monachis Suppentoniæ, quæ urbs fuit inter Soractem montem, & Nepetem; de hoc enim S. Abbate sic loquitur S. Gregorius *lib.* 1. *Dialog. cap.*8. *Eodem quoque tempore venerandus vir Anastasius, cujus superius memoriam feci, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, Notarius fuit, qui soli Deo vacare desiderans, scrinium deseruit, monasterium elegit, atque in eo loco, quem præfatus sum Suppentoniam vocari, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit, eique monasterio solerti custodia præfuit &c.* Festum hujus Sancti Viri apud Bollandum recensetur *die undecima Januarii*. Floruit sæculo Ecclesiæ sexto:

II.

Recentioribus vero temporibus, idest *anno* 1505. circiter sub Julio II. inter Protonotarios floruit S. Cajetanus Thienæus, nobilis Vicentinus, atque idcirco singulis annis, recurrente ejus die festo 7. *Augusti*, Illustrissimum Protonotariorum Collegium convenit in Ecclesia S. Andreæ de Valle Clericorum Regularium ad solemne Missæ Sacrificium, seu ad habendam, ut vocant, Cappellam.

S. Carolus Borromæus a Pio IV. Summo Pontifice, avunculo suo, Protonotariorum Participantium Collegio adscriptus fuit *anno* 1559. eoque in munere primum veluti tyrocinium posuit illius, quam deinde ad miraculum exercuit, Ecclesiasticæ virtutis, atque heroicæ sanctitatis.

 Vene-

Venerabilis Dei Servus Cæsar Cardinalis Baronius, quem dumtaxat memorasse, laudasse est, ex Clementis VIII. præcepto Protonotarii Participantis dignitatem suscepit, ut ea scilicet ad Cardinalatum, ad quem postea evectus est, proluderet. Vir sine & litteris, & sanctitate, & maximis in Ecclesiam Dei meritis spectatissimus.

Venerabilis Dei Servus Innocentius XI. Pont. Max. ex Odescalchorum Novocomensi familia inter Protonotarios Prælaturam gessit, ut videlicet nobilissimo huic Collegio Pontificem deberemus omni virtutum genere, & sanctitate conspicuum, qui difficillimis temporibus Ecclesiæ Dei opportunus prospiceret, & nostræ ætati uberrima priscæ virtutis exempla restitueret. Hujus tanti Pontificis pietatem Illustrissimus ex sorore pronepos Antonius Maria Erba Protonotarius, & Sacræ Indulgentiarum Congregationis a Secretis, imitari contendit; cui propterea litterarius hic labor impenditur, & in debiti obsequii observantiæque significationem Opus hoc qualecumque nuncupatur.

ELENCHUS

Illustrissimorum ac Reverendissimorum

PROTONOTARIORUM PARTICIPANTIUM

De anno 1742.

Illmus ac Rmus Marius Bolognetti Romanus, Collegii Decanus.
Illmus ac Rmus Franciscus Maria Riccardi Florentinus.
Illmus ac Rmus Prosper Columna de Sciarra Romanus.
Illmus ac Rmus Alexander Mariscotti Romanus.
Illmus ac Rmus Hieronymus Columna Romanus.
Illmus ac Rmus Xaverius Canale Interamnensis.
Illmus ac Rmus Flavius Chisius Romanus.
Illmus ac Rmus Antonius Maria Erba Mediolanensis.
Illmus ac Rmus Antonius Biglia Mediolanensis.
Illmus ac Rmus Paschalis Aquaviva de Aragonia Neapolitanus.
Illmus ac Rmus Joannes Carolus Molinari Mediolanensis.
Illmus ac Rmus Conradinus Caurianj Mantuanus.

Sunt præterea alii quamplures supra numerum Protonotarii, qui privilegiis & prærogativis Participantium fruuntur.

FINIS.

DE EPISCOPIS CARDINALIBUS SUBURBICARIIS.

AD LECTOREM.



UM sæpe numero occasio se mihi obtulerit moralibus iis quæstionibus respondendi, quæ ad Episcopos Cardinales Suburbicarios pertinent, ac re ipsa intellexerim, plurimum operæ laborisque id habere, cum scilicet Auctores plerumque desint qui eas tractent, aut ad summum longissime illas inter se disjunctas proponant; publicæ utilitati a me prospectum iri existimavi, si quæ olim dederam responsa, quasque ipse quæstiones enodaveram, in unum colligerem, easque ex ordine dispositas typis consignarem. Ut id consilii exequerer, vehementer me impulit majorum exemplum: ii quippe cum dies noctesque litterario in opere fuerint, non sibi dumtaxat laborarunt, sed susceptos a se atque exantlatos labores in commune commodum contulere. Id sane incitamento fuit, ut eorum vestigiis insisterem; nam, ut optime olim ajebat Seneca ep.39. Si videris quam multi tibi laboraverint, concupisces & ipse ex illis unus esse. *Præterea animum ad id non parum sollicitavit cupido quædam, ut cœptum a me, nec absolutum, aut certe non perpolitum Opus, alii sive addentes, sive emendantes ad culmen perducerent. Est enim illud studiorum fructus non exiguus, id efficere, ut inde alter possit iter arripere, ubi ipse constiteris. Habes proinde, Lector, cur morales hasce quæstiones publici juris fecerim. Superest, ut, quidquid id est, æqui bonique ipse facias: cæteris vero ut perinde gratum acceptumque sit, idem ipse præstabis, si alios docueris, austerum quidem hoc esse Opus & pressum, sed tanto majorem apud sapientes habere gratiam debere, quanto minorem, minusque effusam habet eruditionem, qua cæteroquin ætas nostra mire capitur; plura tamen utilia, & ad usum studiosorum necessaria complectitur. Rem paucis Capitibus expediam. Primo agam de ortu & initio talium Episcoporum; deinde de electione, & optione ad tales Episcopatus; tertio de officio, & potestate talium Episcoporum; quarto de obligationibus talium Episcoporum; postremo de præeminentia eorumdem Episcoporum. Quibus annectam brevem de Suburbicariis Diœcesibus notitiam. Opus, ut spero, si minus omni ex parte absolutum [quod mihi non ausim tribuere], certe nec ipsis Episcopis Cardinalibus, nec Romanæ Curiæ omnino inutile continget. Agesis porro.*

DE

DE EPISCOPIS CARDINALIBUS SUBURBICARIIS.

CAPUT I.

De ortu, & initio Episcoporum Cardinalium Suburbicariorum.

1. Quæres 1. quinam sint, & quot Episcopi Cardinales ? ℞. Episcopi Cardinales sunt Episcopi aliquot Urbi finitimi, qui ex officio assident Pontifici, & simul cum Diaconis, ac Presbyteris constituunt sacrum Collegium S.R.E. Cardinalium: iique de præsenti sunt numero sex, nempe Ostiensis Veliterno unitus, Portuensis, Tusculanus, Prænestinus, Sabinensis, & Albanensis. Olim fuerunt septem, accedente Episcopo Sylvæ candidæ, seu S. Ruffinæ, qui per se stetit usque ad Calixtum II. *circiter annum* 1120. quo tempore, inquit Platus, cum illa civitas crebris barbarorum incursibus disjecta, & incolis exhausta esset, adjuncta est ea Ecclesia Portuensi.

2. Quæres 2. an aliquando ex peculiaribus causis alii ex aliis Episcopatibus Episcopi Cardinalis nomen, & munus obtinuerint? ℞. affirmative; iique fuerunt Episcopus Reatinus, Tiburtinus, Nepesinus, & Veliternus nunc unitus Ostiensi, aliique prope Urbem. Non desunt qui doceant, inter Episcopos Cardinales adscitos etiam olim fuisse Archiepiscopum Pisanum, Episcopum Papiensem, Mutinensem, Parmensem &c. Verum, ut optime notat Card. Brancacci in suo erudito Opusculo *de Optione &c.* adsciti quidem ii fuerunt ad ministerium Pontificis, ut hodie adsciscuntur Episcopi, qui Assistentes nuncupantur, nunquam tamen ut S. R. E. Cardinales Episcopi; siquidem ii, teste Panvinio apud eumdem Brancacci, semper fuere ex iis, qui proximioribus Urbi Episcopatibus præerant. Cæterum, etsi peculiaribus causis ita exigentibus alii olim Episcopi, præter septem illos quos meminimus, inter Episcopos Cardinales fuerint cooptati, cessantibus tamen iisdem causis ad pristinum Cardinalium Episcoporum numerum & qualitatem reditum est: unde post Leonem X. qui ut Bernardinum Carvajalem, & Guilelmum Brisonettam Episcopos Cardinales a Julio II. depositos in pristinum restitueret, duas Episcopales Ecclesias adjunxit, Reatinam videlicet, & Tiburtinam, perduravit usque ad nostra tempora, septem, vel sex tantum Episcoporum, quos supra retulimus, numerus, ac dignitas Cardinalitia.

3. Quæres 3. undenam factum fuerit, ut enumerati Episcopi Romæ finitimi, sint, & appellentur S. R. E. Cardinales ? ℞. supponendum esse ex Bellarmino *de Clericis lib.* 1. *cap.* 16. nomen hoc Cardinalis, primo impositum fuis-

fuisse loco, & a loco derivatum ad personas. Dicebantur enim Tituli Cardinales quædam in Urbe Ecclesiæ principales, ubi Baptisma conferebatur: inde autem Presbyter qui eam Ecclesiam regebat, dicebatur Presbyter Cardinalis. Pari ratione Diaconiæ Cardinales, erant loca quædam principalia in Urbe, distincta juxta numerum regionum; & qui in ea residebant Diaconi, dicebantur Cardinales Diaconi, ab Ecclesia videlicet Cardinali, quam tenebant. Sic etiam postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales, & inde Episcopi Cardinales sex, vel septem illi, qui ad eligendum Pontificem una cum Clero Romano conveniebant, & eidem Pontifici a consiliis erant, præter cæteros Orbis Christiani Episcopos. Hactenus ferme Bellarminus. Ex quo pronum est colligere, eam ob causam, & hac data occasione præfatos sex, vel septem Episcopos cœpisse appellari & esse S.R.E. Cardinales; quia Episcopatus illi, quibus ipsi præerant, dicti sunt Episcopatus Cardinales: nimirum quia ex illis Episcopatibus frequentius ac præcipue Romanus Pontifex adscisceret sibi Episcopos ad consilia, atque ad ministerium sacrarum functionum, & ex illis præcipue Episcopatibus accurrerent Episcopi ad electionem Romani Pontificis.

4. Quæres 4. quandonam, seu a quo tempore Episcopi sex, vel septem Romæ finitimi cœperint vocari Cardinales? ℞. certum esse, multo postquam Diaconis & Presbyteris, tale illis nomen inditum; nam multo antea instituti erant Romæ Tituli, & Diaconiæ, quæ dicebantur Cardinales, atque inde Presbyteri, & Diaconi Cardinales: non enim statim, seu primis Ecclesiæ sæculis consuevere Pontifices ad ministeria sacrarum functionum, & ad consilia hos præcipue Episcopos ad se vocare, ac proinde non statim, nec ab eo tempore quo Tituli, ac Diaconiæ per Urbis regiones distributæ sunt, ii etiam Episcopatus ut Cardinales, seu principales, designati fuerunt. Nihilominus exploratum etiam est, ab octavo ferme sæculo ejusmodi Episcopos cœpisse Cardinalis nomine insigniri; nam, quamvis Casalius hoc referat ad tempus Honorii II. *anno* 1125. & novissime Thomassinus *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 116. eidem suffragetur, negans, ante millesimum tales Episcopos Cardinalis appellatione fuisse condecoratos, tamen recte notat Card. Brancacci, communem sententiam esse contrariam: siquidem Episcoporum Cardinalium mentio fit sub Stephano IV. *anno* 769. apud Anastasium *in ejus Vita*, & Baronium *anno prædicto*.

5. Quæres 5. quænam fuerint sacrarum functionum ministeria, in quibus Pontifices Romani præfatos Episcopos adhibebant? ℞. præcipuum fuisse ministerium Altaris, ut scilicet celebranti Pontifici, juxta ritum quem in Ordine Romano conspicimus, deservirent, ex Brancacci; deinde, ut in Ecclesia Lateranensi, inquit Platus (ubi Pontificia Sedes fuit usque ad Gregorii XI. reditum Avenione) singuli suis diebus per vices in Ara maxima Sacrum peragerent, modo præsente, modo absente Pontifice. Ordo autem sic se habebat, ut Dominicus dies Ostiensi tributus esset; proximus Episcopo Cardinali Sylvæ candidæ, seu S. Ruffinæ; tertius Portuensi; reliqui deinde Sabino, Prænestino, Tusculano, Albano. Ecce ipsum Anastasii testimonium de nomine & officio talium Episcoporum sub Stephano IV. *Hic (nempe Stephanus) constituit,*

ut

ut omni die Dominico a septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia S. Salvatoris observant Missarum solemnia, super Altare B. Petri celebraretur, & Gloria in excelsis Deo diceretur &c. Hinc mirabar, cur Baronius *ad annum Christi* 1057. scripserit, B. Petrum Damiani titulo hactenus inaudito vocasse suos Collegas Episcopos Suburbicarios Cardinales; cum hujus denominationis ipsemet fateatur extare memoriam labente sæculo octavo: sed fortasse id causæ fuit, ut vir tantus hoc ediderit, quia raro illi Episcopi ante annum millesimum appellabantur eo titulo, ac potius aliis titulis frequentissime apud vulgus distinguebantur. Quod autem raro, parce, ac minus frequenter accidit, comparate ad id, quod frequentius, ac fere semper contingit, id, juxta vulgarem & communem loquendi modum, sæpius dicitur non fieri, non factum esse; uti ex profana & sacra litteratura fuse ostendit Ulloa *decad.* 1. *reg.* 4. *in sacram Scripturam*.

6. Quæres 6. quinam essent ii alii tituli, quibus ejusmodi Episcopi appellabantur? ℞. plures fuisse; nam in primis appellabantur Episcopi Lateranenses, ut apud Kirker *in sua historia Sancti Eustachii* vetus quædam inscriptio confirmat. Item dicebantur Episcopi Cooperatores, Hebdomadarii, & Collaterales, ut ostendit Em. Card. Rasponi *in sua Basilica Lateranen. lib.* 1. *cap.* 3. ex Joan. Diacono *in hist. de rebus Lateranen.* Item ab Anastasio IV. *anno* 1154. in quodam diplomate Archivi Lateranensis vocantur sui Vicarii in dicta Basilica. Item aliquando vocati sunt simpliciter Episcopi Romani, sicuti habetur *in Chronic. Cassinen. lib.* 30. *cap.* 50. apud Brancacci, Thomassinum, aliosque.

7. Quæres 7. an tales Episcopi, utpote Pontifici assidentes, & Cardinales nuncupati, semper aliis Episcopis cultu, vel honore præiverint? ℞. negative, ex Brancacci, Plato, aliisque; nam multo tempore ejusmodi Episcopi nihil præcipui præ aliis Episcopis habuere, nec aliis præcedebant, nisi essent antiquiores Ordinatione, quod omnibus commune est. Quare præeminentiam supra cæteros Episcopos, ut notat Morinus *de sacris Ordinat. p.* 3. *exercit.* 16. *cap.* 3. sive ex usu, sive ex privilegio, sive ex officio adepti sunt post Gregorium VII. & Urbanum II. nempe sub finem sæculi undecimi.

8. Quæres 8. utrum aliquis sit præcedentiæ ordo inter hosce ipsos Episcopos Suburbicarios? ℞. sciendum esse, quod senior ratione suæ Ordinationis hos inter Episcopos, teste Azorio *tom.* 2. *l.* 4. *cap.* 1. dicebatur *Prior*, deinde *Decanus* appellatus est; nam, ut bene observat Cohellius, *Decanus* is dicitur, *qui est præcipuus inter aliquos ejusdem ordinis, vel status*. Hic porro jam ab antiquo aliis Suburbicariis Episcopis præcellebat; quod deinde Paulus IV. sua Constitutione sancivit, decernens, ut, statim ac Episcopus Cardinalis Decanatum obtinuerit, is non solum aliis Episcopis Cardinalibus, sed aliis omnibus Cardinalibus etiam antiquioribus semper in quibuscumque sessionibus, & aliis actis publicis præcedat. Quare constat, Episcopo Cardinali Decano competere præcedentiam non solum respectu aliorum Cardinalium, sed etiam respectu aliorum Episcoporum Cardinalium: at vero, secluso Cardinali Decano, inter cæteros Episcopos Cardinales, ille præfertur, qui prior Suburbicarium Episcopatum obtinuit; nam in præeminentialibus inter pari dignitate decoratos

locum habet regula, *Qui prior in tempore, potior est in jure*. Dubitatum olim fuit, an prærogativa præcedentiæ, quam habet Decanus, illi obveniat ex Episcopatu Ostiensi, vel ex Decanatu? Et quidem pars affirmativa in favorem Ecclesiæ Ostiensis magnam habebat præsumptionem; tum quia ab antiquissimo tempore, ac certe post editam Paulinam Constitutionem ad nostram ferme ætatem Cardinalis Decanus fuit semper Episcopus Ostiensis; tum quia Ecclesia Ostiensis pluribus insignitur ornamentis. Nihilominus contrarium evincitur ex praxi, quam nuperis temporibus vidimus in Eminentissimo Cardinali Pignatelli, qui Decanatum, non cum Ostiensi, sed cum Portuensi Ecclesia conjunxit; unde pronum est colligere, prærogativas Decanatus per se stare independenter ab Episcopatu Ostiensi. Cæterum valde congruum est, ut qui est sacri Collegii Decanus, idem sit Episcopus Ostiensis; nam Episcopatus Ostiensis magno semper in honore habitus est, eidemque proprium ac peculiare est, teste S. Augustino *epist.* 165. ut ipsius Antistes Romanum Pontificem consecret, ac Pallio, quod est Archiepiscoporum insigne, utatur ex Marci Pontificis instituto, ut testatur Damasus: & propterea felicis recordationis Benedictus XIII. constituerat in sua Bulla *Romani Pontificis &c.* ut Ostiensis, eidemque canonice unita Veliterna Ecclesia, sacri Collegii futuro Decano optanda asservaretur.

9. Quæres 9. an, præter Ostiensem, cæteri etiam Cardinales Episcopatus habeant peculiarem aliquam ac propriam prærogativam specialis honorificentiæ? ℞. In primis omnes & singuli ejusmodi Episcopatus habent hoc peculiare, ut sint cæterorum in Occidente antiquissimi, & a primis nascentis Ecclesiæ incunabulis instituti; imo non desunt, qui eos omnes a S. Petro Apostolorum Principe immediate velint institutos, quod majori cum fundamento videtur assertum de Episcopatu Tusculano, & Albanensi, ut observat Piazza *in sua Hierarchia Cardinalitia*. Præterea Portuensis, ut unitus Episcopatui S. Ruffinæ, id habuit olim proprium, ut Transtyberinam Urbis regionem, Licaoniam insulam, & Civitatem Leoninam jure diœcesano sibi obstrictas possideret, & proinde in locis illis poterat, post Romanum Pontificem, solus ipse Episcopus Portuensis, ut Episcopus etiam S. Ruffinæ, per Episcopatuum unionem, Ecclesias, Altaria, Episcopos, & Moniales consecrare, Sacerdotes, & Clericos ordinare, visitare, jus dicere in spiritualibus, & cætera omnia peragere, quæ alii Episcopi in suis diœcesibus expedire solent; prout ex Pontificiis Constitutionibus ostendit Michael Lonigus *in sua epistola ad Franciscum Card. Sfortiam*, quæ extat apud Brancacci in suo Opusculo *de Optione &c.* Verum ejusmodi privilegii usus hodie penitus sublatus est sive ex ipso non usu, sive ex Pontificia abrogatione. Præterea Albanensis Episcopus jus quoddam videtur olim habuisse assistendi consecrationi Romani Pontificis; ait quippe Anastasius Bibliothecarius *ad annum Christi* 683. S. Leonem II. ordinatum fuisse *a tribus Episcopis, idest Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit*: unde videtur ad Albanensem talis assistentia de jure pertinuisse, dum dicitur in illius locum suffectus Veliternensis. Sabinensis etiam Episcopus suas pecu-

peculiares, easque valde conspicuas habet prærogativas; nam, teste v.cl. Dominico Magri *in sua epist. ad Card. Brancacci*, Episcopus Sabinensis absente Pontifice coronat Imperatorem. *Quare*, inquit cit. Auctor, *Clemens V. annuens precibus Henrici Romanorum Regis, qui Imperatoria petebat insignia*, cum ipse Viennensi Concilio detineretur, eam *provinciam demandavit Arlondo de Palagrua Sabinensi, Leonardo Albanensi, & Nicolao Ostiensi Episcopis, necnon Francisco, & Luca Diaconis Cardinalibus, quibus omnibus singula munia impertitus est. Ast in Consistorio maxima irrepsit disceptatio, quisnam eorum praferendus foret, allegante Ostiense, quod cum Pontificem consecrare suum esset, ita & Imperatorem coronare: Sabinensis vero asserebat tanquam certum & evidens, quod in coronatione Imperatorum, ipse Papa proximior Imperatoriam coronam sustentaret: sicque sancitum fuit, Papa decretante, ut Sabinensis illo fungeretur munere, cæterisque praesset, ut refert Raynaldus ad annum Christi* 1311. *num.* 6.

10. Quæres 10. cur Sabinensis Episcopus non ab aliqua civitate, vel metropoli, sed a tota provincia nominetur? ℞. rem hanc docte ac fuse tractari a viro cl. Dominico Magri in sua speciali hac de re Dissertatione ad Card. Brancacci. Ex hoc igitur Auctore breviter, quo ad potero, ac summatim reponam. Sciendum itaque est, tres olim in Sabina fuisse Episcopatus, nempe Curensem, Foronovensem, Numentanum. Verum ob varios barbarorum incursus cum altera post alteram eversa, & redditibus spoliata fuerit Cathedralis Ecclesia; consilium iniere Romani Pontifices, ut alteram successive alteri unirent, atque uni eidemque Episcopo alteram & alteram Ecclesiam regendas traderent, ut constat *ex lib.* 2. *epist.* 20. S. Gregorii Magni, qui Curensem, seu S. Anthimi Episcopatum Numentano Episcopatui addixit conjunxitque. Ultimus ex tribus relatis Episcopatibus, qui superstes alios duos auctoritate Pontificia complexus est, fuit Foronovensis, cujus ibi sita erat Cathedralis, ubi nunc Ecclesia S. Mariæ Novæ, vulgo *Vescovio*: sed Foronovensis etiam civitas solo æquata cum fuerit, nec alia esset in provincia Sabinensi, seu tota, quod idem est, Foronovensi diœcesi civitas, a qua denominaretur Foronovensis Episcopus, is propterea a provincia nomen desumpsit, ac dictus est Episcopus Sabinensis. Sic nostris temporibus, inquit cit. Magri, *evenit Episcopo Convenarum, vulgo Comminges, in Gallia, in cujus districtu cum nulla existat civitas, inscribitur ab illa oppidorum collectione, in quam accolæ paulatim convenere, illisque datus est Pastor, qui gregem illum regeret*. Hinc habes, quod ex defectu civitatis opportunæ ad Episcopalem dignitatem sustinendam Episcopus Foronovensis in Sabina nomen sibi & appellationem a provincia quæsierit. Neque obstat, quod *anno* 1494. Alexander VI. ad preces Oliverii Card. Carafa Episcopi Sabinen. Ecclesiam tunc Collegiatam S. Liberatoris in Oppido Malleani in Cathedralem, & Oppidum ipsum in Civitatem erexerit, unde nunc videatur Episcopus Malleanensis nuncupandus; nam ex eadem Alexandri Constitutione perspicuum est, id factum, ut residentia Episcopalis tuto in loco esset, nec injuriis facinorosorum exposita in agro Foronovensi deserto, & incolis destituto, uti antea exposita erat; non vero ut Malleano daretur

 pro-

proprius Episcopus, aut ab antiqua Foronovensi Cathedrali Episcopus omnino dimoveretur; nam Pontifex in ea citata Constitutione Sedem Episcopalem Malleani cum posuerit, non propterea Episcopum vocat Malleanensem, sed Sabinensem, & in veteri Cathedrali Foronovensi statis anni temporibus a novæ Cathedralis Canonicis decernit Missam & Vesperas celebrari. Accedit, quod Leo X. *de anno* 1521. ægre ferentibus, ac reclamantibus Sabinæ oppidis, quasi ipsis saltem in speciem ablata esset antiqua communis Cathedralis, eaque data esset Malleano, confirmavit quidem novam Malleani erectam Cathedralem, sed veterem pariter in pristinum decorem restituit; indeque divisa est Sabina in veterem ac novam, factumque jus Episcopo, ut veteris ac novæ Sabinæ Episcopus appellaretur, ex Lucensi apud Ughellium.

CAPUT II.

De electione, & optione ad tales Episcopatus.

11. Exploratum est apud eruditos, varias olim in Ecclesia Dei eligendi & creandi Episcopos formas fuisse, variumque stylum; nam primo Apostoli, auctoritate accepta a Christo Domino, in sui locum Episcopos elegerunt, & crearunt, ex Azorio, Thomassino, aliisque. Deinde scientibus, & non repugnantibus Romanis Pontificibus (cum jure possent, siquidem post Apostolos jus eligendi & creandi Episcopos ad Romanum Pontificem pertinuit, *ex Can. Omnes dist.*22.) Clerus uniuscujusque Ecclesiæ Cathedralis aliquando simul cum populo, aliquando sine populo (non enim idem semper mos & usus ubique retentus est) Episcopum nominabant, designabant, eligebant &c. de qua re videatur cit. Thomassinus *tom.*2. *lib.*2. *cap.*1. *& seqq.* apud quem *cap.*11. reperies ex epistolis S. Gregorii recte illatum, consuevisse per Italiam Romanum Pontificem dare & constituere per se ipsum, Episcopum illi civitati, seu Ecclesiæ Cathedrali, in qua a Clero & populo non reperiebatur vir tanto muneri par, aut idoneus. Tandem ultimis hisce sæculis stetit penes Romanum Pontificem, atque hactenus stat jus conferendi Episcopatus; id enim sibi Pontifex reservavit, ut constat *ex Extravagant. Ad regimen &c.* & ex Regula 2. Cancellariæ: quamvis non eodem semper modo hæc fiat ab eo collatio; nam aliquando is Episcopatum confert nulla prævia electione, nominatione, aut optione, & tunc ea collatio ex jure Canonico dicitur libera & simplex collatio; aliquando confert præcedente electione Canonicorum, ut moris est præsertim in Germania, & tunc ea collatio dicitur confirmatio, aliquando confert prævia Regum, vel Principum nominatione, & tunc ea collatio dicitur institutio; demum aliquando confert prævia optione quam facit persona privilegiata, & tunc ea collatio dicitur provisio, ut videre est apud Azor. *tom.*2. *lib.*3. *cap.*29. *q.*2. Thomassin. *loc. cit.* & Cæremoniale Romanum *sect.*8. *de creatione Episcopi Cardinalis*. His præmissis

12. Quæres 1. an Episcopatus Cardinalitii Suburbicarii conferantur nulla prævia electione, nominatione, & optione, vel prævia saltem optione? ℞. distinguendum esse inter priora antiquissima Ecclesiæ tempora, inter media, ac demum

demum nostra hæc posteriora. Si antiquissima inspiciamus post SS. Petrum & Paulum aliosque Apostolos usque ad tempora S. Gregorii I. imo & ad Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum, verosimile est, ejusmodi Suburbicariis Ecclesiis Episcopos datos esse per electionem Cleri, & populi sive eligentis, sive præcise postulantis, ut per ea tempora in more positum erat, teste Thomassino *loc.cit.* Neque obstat, quod S. Hippolytus Martyr *de anno Christi* 229. dicatur apud Baronium a S. Calixto Pontifice donatus Episcopatu Portuensis Ecclesiæ; nam sensus esse potest, quod tanto muneri parem Clerus Portuensis cum neminem reperiret, ipse Pontifex (ut mos tunc ferebat, teste eodem Thomassino) manus apposuerit, & opportune ad Limina Apostolorum ex Oriente adventantem sanctissimum virum Hippolytum Portuensi Ecclesiæ præfecerit.

13. Si vero media consideremus tempora, quæ a S. Gregorio, vel a Carolo Magno effluxere usque ad tempora Eugenii IV. Pii & Pauli II. imo & Alexandri VI. crediderim, consuevisse ipsos Romanos Pontifices libere ac simpliciter, nulla prævia electione, nominatione, vel optione, Episcopatus ejusmodi conferre personis idoneis, sive eæ essent e numero Cardinalium, sive non essent, & si quidem numero Cardinalium eæ prius accenserentur, nihil intererat, sive essent ex Ordine Presbyterali, sive ex Ordine Diaconali. Accepimus quippe ex historiis, S. Bonaventuram, cum adhuc non esset inter Cardinales cooptatus, Episcopatum Albanensem a B. Gregorio X. obtinuisse; & Joannem de Carvajal, cum esset Diaconus Card. S. Angeli, a Pio II. Portuensi fuisse Episcopatu insignitum. Qua de re videatur Cæremoniale Romanum id plane contestans *sect.* 8. *de creat. Episc. Card.*

14. Demum, si novissima hæc quæ labuntur observemus tempora, usus invaluit, ut ejusmodi Episcopatus conferantur a Pontifice prævia alicujus Cardinalis optione, qua scilicet ipse sibi talem Episcopatum præeligat. Initium habuit ejusmodi usus, inquit Ughellius *tom.* 1. *Ital. Sac. in Episc. Sabinen. Episc.* 55. sub Eugenio IV. *anno* 1431. quando Jordanus Cardinalis Ursinus dimisso Albanensi Episcopatu transiit ad Sabinensem: ex eo quippe facto per intervalla temporum ab aliis repetito, tandem jure consuetudinario *receptum est, ut qui priores venissent ad Purpuram, sibi illud munus Episcopatus deligerent, quod ex alicujus decessu contigisset vacare.* Accessit postremo Sixti V. Constitutio *Postquam vetus &c.* qua per legem sancitur, quod olim consuetudo invexerat; ibi enim conceptis verbis decernitur: *Cum aliquam ex sex Cardinalibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales præsunt, per obitum, vel translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit; antiquior quidem Cardinalis Presbyter præsens, salvo cuique Episcopo Cardinali jure transeundi, ad eam, dimissa priore, cui præerat, ut moris est, promoveatur.*

15. Quæres 2. an modus obtinendi tales Episcopatus per optionem, conveniens sit? ℞. Visus est olim Ven. Card. Bellarminus in litteris ad Clementem VIII. a se datis, non satis hunc modum probasse; scripsit enim hæc præfato Pontifici: *Concilium Tridentinum disertis verbis affirmat, peccare mortaliter eos omnes, ad quos quocumque modo spectat Episcoporum promotio, nisi eos præficiendos curaverint, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint,*

verint, quæ est communis Doctorum sententia. Expavi, fateor, cum bis, terve in Sacro Consistorio vidi ad Episcopatus Cardinalitios promoveri aliquos, qui vel ob nimiam senectutem, vel ob nimiam corporis debilitatem, vel ob defectum Episcopalium virtutum, tales erant, ut non modo non utiliores, sed vix utiles, vel apti ad regendas animas judicari possent. Hæc ille. Cui Clemens VIII. reposuit, *nihil se quo ad optionem talium Episcopatuum immutandum ducere, cum a Prædecessoribus suis, etiam post Concilium Tridentinum, res hæc examinata fuerit, & ita constituta.* Quod quidem satis superque est, ne facile quispiam improbet, aut disciplinæ Ecclesiæ hunc morem minus consentaneum existimet; nam si aliquid ille habet incommodi, id tamen ex alia utilitate, pensatis ac libratis omnibus, compensatur: præsertim cum diœceses talium Episcopatuum, teste Card. Petra *ad Const. 1. Pauli II.* sint sub quadam habituali jurisdictione Episcopi Romani; unde Card. Vicarius Urbis pro tempore existens habet in illis cumulativam quo ad causas spirituales, & jus easdem cognoscendi in gradu recursus: imo, ut observat Urbanus VIII. in suo decreto edito 28. *Novembris* 1633. iis Episcopatibus ob vicinitatem idem Urbis Vicarius, absentibus eorum Episcopis, vel alias impeditis, commode invigilare potest, & invigilat. Accedit, ab ipso Urbano VIII. abunde provisum jam esse, ne a provecta senectute, aut nimia debilitate antiquiorum Cardinalium detrimentum aliquod optio secum afferat; siquidem ille *die 29. Augusti anno 1629.* sancivit ac decrevit, *ne ullus Cardinalium tam ex Ordine Episcoporum, quam ex numero Presbyterorum ad Ecclesiam Ostien. & Veliternen. sive ad inferiores alias Episcopales Ecclesias transferri, seu promoveri possit, qui propter corporis infirmitatem fuerit quomodolibet ad illas, & alias Episcopales functiones exercendas inhabilis.* De hoc autem decreto meminit Pax Jordanus, ac novissime Illustrissimus Archiepiscopus Tria *in suis notis*, ubi agit de Cardinalium privilegiis, apud Platum.

16. Quæres 3. Utrum Diaconus Cardinalis antiquior possit ejusmodi Episcopatus optare? ℞. Extat Sixti V. Constitutio, cujus initium est *Postquam vetus ille &c.* in qua sequentes præscribuntur leges quo ad optionem Diaconorum Cardinalium ad ejusmodi Episcopatus: *Ubi post tres vacationes, tres ibidem ex ipsis Presbyteris Cardinalibus in Episcopos præfecti fuerint, tunc, si quarta alicujus harum Ecclesiarum vacatio contigerit, excluso ea tantum vice antiquiore Presbytero, prior Diaconorum Cardinalium, qui præsens fuerit, & in ætate legitima constitutus, vel, si ille noluerit, vel nequiverit assumi, sequens Diaconus eisdem qualitatibus præditus, ad eam promoveatur.* Hinc constat, olim jus Diaconis Cardinalibus fuisse optandi certis in circumstantiis Episcopatus Suburbicarios. Verum, re discussa tempore Clementis VIII. in Rota, sub dubio, *An privilegium Sixtinum Cardinalibus Diaconis concessum optandi Ecclesias Suburbicarias, quarta earum vacatione occurrente, adhuc tunc vigeret?* non omnes convenerunt: sex nempe censuerunt fuisse sublatum, vel suspensum; cæteri putarunt adhuc vigere: sicque per pluralitatem votorum, conclusum fuit, *vel fuisse sublatum, vel fuisse suspensum*: & sic servatum tradit ex Riganti Illustrissimus Archiepiscopus Tria. Iterum, cum fuerit excitata hæc ve-

vetus controversia sub Clemente XI. per Congregationem particularem *die 20. Martii 1715.* unanimi consensu resolutum fuit: *Non competere Cardinalibus Diaconis jus optandi, seu ascendendi ad sex Ecclesias Episcopales, sed tantum Cardinalibus Presbyteris*: eo fundamento, quod dicta Constitutio in hac parte non fuerit usu recepta. Hinc patet, non posse Cardinales Diaconos hos sex Episcopatus optare, uti apud Illustrissimum Tria late prosequitur clarif. Riganti, & probat praxis.

17. Quæres 4. an Presbyteri Cardinales absentes a Curia possint hosce Episcopatus optare? ℞. non posse hujusmodi optionis jure uti quoscumque Cardinales, sed qui fuerint præsentes in Curia, vel degerint intra duas dietas. Ita refert clarif. Riganti, & habetur ex pluribus Pontificum Constitutionibus, Pauli IV. scilicet, Sixti V. Clementis XII. &c. Addas, quod optio expleri debeat in Consistorio ipsis præsentibus, approbante & consentiente Romano Pontifice, ex Sixti V. Constitutione. Potest tamen Cardinalis præsens in Curia optare per Procuratorem, si domi infirmitate sit detentus, ex decreto S.Pii V. *die 15. Maji 1566.* his verbis expresso: *Decrevit Sanctissimus, quod Cardinales præsentes in Urbe, & domi infirmitate detenti, possint optare, ac si essent in Consistorio, derogans decreto si quod obstaret quo ad hoc.* Limites principalem assertionem, ut ea non habeat locum, si Cardinales absentes fuerint a Curia ex causa publica, & ex destinatione Romani Pontificis; in tali enim casu possunt Cardinales optare, etiamsi absentes, ex Constitutione Clementis XII.

18. Quæres 5. an Presbyteri Cardinales absentes ob residentiam apud Cathedralem aliquam sibi commissam, habeant jus optandi has Suburbicarias Ecclesias vel mediate per Procuratorem, vel immediate per se ipsos, transferendo se Romam? ℞. gravem circa hoc fuisse olim controversiam sub Clemente XI. qui rem expendendam librandamque committere decreverat Romanæ Rotæ Auditoribus, vel aliis Romanæ Curiæ Præsulibus, quando is, cujus intererat, ut a quavis litis specie abstineret, institit apud Pontificem, ut, sui ratione posthabita, optio antiquiori ex residentibus in Romana Curia deferretur. Deinde Benedictus XIII. *de anno 1724.* sua edita Constitutione, quæ incipit *Romani Pontificis*, sancivit atque decrevit, residentem Cardinalem antiquiorem actu in Ecclesia aliqua Cathedrali, ideoque a Curia absentem, posse optare Ecclesiam Ostiensem ac Veliternen. & Decanatum per Procuratorem, si ipse ad Urbem venire nequiverit, easque assequi posse non secus, ac si ipse præsens personaliter illas optasset. Verum Clemens XII. *de anno 1731.* sua pariter edita Constitutione, quæ incipit *Pastorale officium &c.* declaravit, nonnisi a Cardinalibus, *qui fuerint in Rom. Curia præsentes tempore ipso vacationis alicujus ex sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, vel ab eadem Curia absentes ex causa publica, & destinatione Rom. Pontificis tantum, non tamen ex causa residentiæ apud aliam sibi commissam Ecclesiam, optari posse Cathedralem Ecclesiam Suburbicariam sic vacantem: nec Cardinales ab ipsa Curia absentes, præterquam in solo casu superius expresso, ad optionem ejusmodi, etiam per Procuratorem ex eodem Collegio specialiter deputatum, admittendos fore &c.* Propterea in præsenti rerum statu absentia a Romana Curia ex causa resi-

residendi apud Cathedralem aliquam, non dat Jus Presbytero Cardinali antiquiori, vel alteri ex Episcopis Suburbicariis, optandi sive Ostiensem, sive aliam ex Suburbicariis Cathedralibus.

19. Quæres 6. an Presbyteri Cardinales antiquiores qui obtinent Episcopalem, vel Archiepiscopalem aliquam Ecclesiam, si forte reperiantur ex legitima causa præsentes in Curia, quando vacaverit una ex his Suburbicariis Ecclesiis, possint illam optare atque assequi, & simul priorem Ecclesiam sive Cathedralem, sive Metropolitanam retinere? ℞. Mos iste, qui diu viguit, optandi Ecclesiam Suburbicariam, & simul retinendi aliam Cathedralem, vel Metropolitanam Ecclesiam, quam forte antiquior Presbyter Cardinalis obtinebat, a quampluribus viris piis semper non satis conveniens fuit existimatus. Hinc Cardinalis piissimus Fridericus Borromæus cum alteri præesset Ecclesiæ, nunquam potuit adduci, ut Suburbicariam, quæ illi obveniebat ex ordine antiquitatis, optaret. Imo Summus Pontifex Urbanus VIII. in suo Decreto Consistoriali 28. *Novembris* 1633. invaluisse, ait, hunc morem optandi, illum tamen a se non laudari, nec improbari; commendari vero Cardinales aliarum Ecclesiarum Episcopos, *ut Card. Borromæum piæ memoriæ, & alios, qui optione hujusmodi abstinuerunt*. Eminentissimus vero Cardinalis Franciscus Brancacci, Episcopus Viterbiensis, cum illi Suburbicaria quædam Ecclesia optanda proponeretur, rem prius sedulo & exquisite perpendere voluit integro hac de re conscripto Opusculo, in quo diligenter discutit, *an, & quatenus licita sit optio Suburbicarii Episcopatus cum retentione alterius Ecclesiæ, ubi oporteat residere?* & ibidem variis pluribusque argumentis hinc inde adductis, ad extremum hæc duo stabilivit: videlicet 1. *Tute posse Cardinalem Ecclesiam Suburbicariam optare, eamque priori alteri Ecclesiæ superinducere, si prior ea Ecclesia adeo fuerit Suburbicariæ proxima, ut moraliter cum antiquiori continuata dici valeat, & non multum distans*: 2. *Non posse id licite facere, si una ita fuerit ab altera distracta, ut pro utraque invisenda magnam pati debeat Episcopus difficultatem*. Postremis autem hisce temporibus fel. record. Clemens Papa XII. volens omnibus iis malis occurrere, quæ ex tali optione possent provenire, sua Constitutione, quæ incipit *Pastorale officium*, declaravit ac decrevit, Cardinalem obtinentem aliam Ecclesiam, non esse habilem ad optandam Ecclesiam Suburbicariam, nisi prius absolvatur a vinculo, quo tenetur alteri priori Ecclesiæ; deinde habilitatum per factam absolutionem ab eo vinculo, posse quidem optare Suburbicariam Ecclesiam, sed, quod spectat ad retentionem alterius prioris Ecclesiæ sive in administrationem, sive alio nomine, id totum pendere ab arbitrio & voluntate Summi Pontificis sedulo expendentis circumstantias, & necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. En ipsa Clementis XII. verba: *Si quando evenerit, Cardinales Patriarchali, Primatiali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiæ præfectos, in dicta Curia ex legitima causa, aut Sedis Apostolicæ licentia præsentes tum reperiri, cum factus fuerit locus vacationi alicujus ex sex Ecclesiis Suburbicariis hujusmodi, nostræ ac Romani Pontificis pro tempore existentis partes erunt animum sedulo advertere, & deliberare, dum absolventur a vinculo, quo priori Ecclesiæ tenentur, ad effe-*

ctum

ctum optandi, & assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expediat eis concedere administrationis, seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiæ, cui antea præerant, ac in primis utrum ambæ sint adeo propinquæ, ut Pastoralem curam utrique commode impendere, suumque ministerium recte implere valeant. Quamobrem satis videtur provisum, ne ex optione Suburbicarii Episcopatus ab eo, qui alteri præest Ecclesiæ, detrimenti aliquid derivetur: & ad quæsitum superius factum respondendum est, posse a tali Cardinali optionem fieri, servatis tamen servandis, ex citata nuper Constitutione Clementis XII.

20. Quæres 7. an Episcopi Cardinales, qui jam uni præsunt Suburbicariæ Ecclesiæ, possint in circumstantia vacationis alterius Suburbicariæ Ecclesiæ, istam optare, relicta priori? ℞. Sciendum est, antiquissimum fuisse morem per mille & ducentos continuos annos, teste Panvinio *de septem Urbis Ecclesiis cap.3.* & Plato *cap.2.* ut suam Cardinalis quisque teneret Ecclesiam, nec Diaconus Diaconiam semel acceptam, neque Presbyter Titulum, neque Episcopus Cardinalis Episcopatum suum mutaret. Nunc non solum Diaconi Diaconias, Presbyteri Titulos, sed etiam Episcopi, quod majus est, suos Episcopatus Suburbicarios relinquunt, & alium Suburbicarium optant. Cujus rei initium cum occasione schismatis in Concilio Pisano quoquomodo sopiti necessitas induxisset, postea, ut fit, suo veluti jure Jordanus Card. Ursinus, ut supra dicebam, *de anno* 1431. dimisso Albanensi Episcopatu, annuente Eugenio IV. transtulit se ad Sabinensem: *pessimo sane exemplo* (inquit Ughellius *tom. 1. Italiæ sacræ in Episc. Sabinen.*) *cum non adhuc Senatus mores admisisset, ut qui semel unus e sex, qui persistunt Pontifici, fuisset electus, ad alium Episcopatum transiret.* Hic autem stylus optandi alium Episcopatum Suburbicarium dimisso priori, adeo superioribus proximis temporibus invaluerat, ut merito Ven. Cardinalis Bellarminus de hoc conquereretur apud Clementem VIII. *Intra paucos menses*, inquit ipse, *misera Albanen. Ecclesia quater mutavit Episcopos, & Ecclesiæ sex Cardinalitiæ, quæ omnibus aliis dignitate præstant, cura & diligentia Pastorali omnibus aliis cedunt:* nam, ut bene adnotavit Platus *cap.2. ob tam crebram mutationem, illud inesse solet incommodi, ut Cardinales Ecclesias sibi commissas non fere ament & curent tanquam proprias, quas nimirum putent se propediem relicturos.* Huic etiam incommodo Pastoralis Clementis XII. providit sollicitudo; etenim in præcitata sua Constitutione decrevit, ut Cardinales, qui unam ex prædictis Ecclesiis Suburbicariis obtinuerint, deinceps ad aliam, priore dimissa, ac Romano Pontifice approbante, semel tantum transire possint: salva tamen illis semper, atque illæsa facultate optandi, prævia dimissione prioris, Ecclesiam Ostiensem. Quare ex dictis habes, Cardinalem Episcopum posse, dimisso priori Episcopatu, optare alium Suburbicarium vacantem, at semel dumtaxat; ita tamen, ut, etiam facta hac unica mutatione, ipsoque ab Albanen. v. g. translato ad Sabinen. adhuc habeat jus optandi Ecclesiam Ostiensem, si ipse fuerit antiquior Episcopus, eaque forte vacare contigerit.

21. Quæres 8. an in optione, & assecutione Decanatus, seu Episcopatus

Ostiensis, qui regulariter cum Decanatu conjungitur, Cardinalis antiquior in Episcopatu Suburbicario, & junior in Cardinalatu, præferendus sit Cardinali juniori in Episcopatu, sed antiquiori in Cardinalatu? ℞. affirmative. Quamvis enim de hoc olim orta fuerit controversia, nunc tamen lis omnis dirempta est, postquam Benedictus XIII. in sua Constitutione *Romani Pontificis*, & Clemens XII. in sua Constitutione *Pastorale officium*, declararunt, antiquitatem inter Episcopos Cardinales præsentes non esse metiendam a tempore suæ promotionis ad Cardinalatus honorem, sed a tempore eorum ingressus in Ordinem Episcopalem, ita ut Decanatus ejusdem sacri Collegii ad antiquiorem in Ordine Episcopali, tametsi posteriorem in Cardinalatu pervenire debeat. Hinc habes, quare antiquior in Episcopatu Suburbicario, etiamsi junior in Cardinalatu, præcedat aliis Suburbicariis Episcopis antiquioribus in Cardinalatu, sed junioribus in Episcopatu. Habes etiam, quod licet Cardinalis Diaconus ex Decreto Clementis VIII. transiens ad Ordinem Presbyteralem, eo ipso præcedat omnes Cardinales Presbyteros post se ad Cardinalatum assumptos, non ita Presbyter Cardinalis Episcopalem Ordinem ingrediens, eo ipso alios Episcopos Cardinales post se ad Cardinalatum evectos anteit, sed in loco posteriori subsistit; nam antiquitas inter Episcopos Cardinales præcise desumitur, uti antea diximus, ab ingressu in Ordinem Episcopalem.

22. Quæres 9. An Episcopus Cardinalis possit, dimisso priori Episcopatu Suburbicario, alterum Suburbicarium optare licite, ac sine scrupulo, nulla interveniente rationabili causa, ac mere pro libito, aut pro majori proprio commodo, vel proventu? ℞. videri quod non; nam Ven. Card. Bellarminus in suis ad Clementem VIII. litteris multiplici ex capite id accusat; etenim *translatio*, inquit, *Episcoporum, secundum canones, atque usum veteris Ecclesiæ, non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem: neque enim institutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias. S. Gregorius, ut refert Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 3. cap. 18. neque ipse ullum Episcopum ab Ecclesia sua ad aliam transtulit, neque ab aliis transferri unquam assentiri voluit. Præterea notum est ex Cap. Inter corporalia, de transl. Episc. vinculum matrimonii spiritualis esse aliquo modo majus, quam vinculum matrimonii corporalis, ac propterea non posse solvi, nisi a Deo, sive a Vicario Dei declarante voluntatem Domini sui. Quis autem credat, velle Deum, ut ob solum temporale lucrum vel honorem, vinculum sancti hujus conjugii dissolvatur? præsertim cum id sine detrimento animarum fieri nequeat, ut experimentum ipsum docet: neque enim Episcopi Ecclesias diligunt, quas brevi se deserturos sperant, ut ad alias commodiores transeant.* Hactenus Bellarminus.

23. Scio, non deesse, qui ad ejusmodi difficultates evitandas docuerunt, hos Episcopos Suburbicarios, nomine tenus esse Episcopos talium respective civitatum, non autem Pastorali erga illas obstringi munere. Sed perperam id omnino; nam ii sunt veri talium civitatum Episcopi, & cum iis respective Ecclesiis spiritualis matrimonii vinculo colligantur, ex Brancacci *in Dissert. de Optione*. Alii cum Hurtado *de Resid. tom. 2. lib. 2. resol. 7.* dixerunt, hos sex Episcopos habere dumtaxat jurisdictionem delegatam a Papa, qui solus ordi-

ordinariam in iis Ecclesiis habet potestatem, inde non esse mirum, si de loco ad locum illi se transferant: verum hæc etiam opinio falsa est, & ab omnibus exploditur.

24. Dicendum proinde, non posse tales Episcopos mere pro libito, & sine ulla rationabili causa se licite transferre de una ad aliam Ecclesiam vacantem; posse tamen semel ex causa aliqua spectante sive ad necessitatem, sive ad utilitatem Ecclesiæ vel particularis, vel universalis. Hæc porro necessitas, vel utilitas Ecclesiæ universalis plerumque existit in transitu de una Ecclesia Suburbicaria ad Ecclesiam Ostiensem.

25. Triplex est positio, triplicem habens partem. Probo primam partem, nempe id non licere nulla intercedente causa rationabili; nam quilibet actus humanus ac deliberatus, si consideretur in individuo, ex hoc ipso repugnat rationi; & habet rationem mali, prout docet S. Thom. 1. 2. *q.* 13. *art.* 10. quod non sit ad debitum finem ordinatus: ergo illa voluntaria mutatio Episcopatus, facta mere pro libito, & non ordinata ad ullum rationabilem finem, non potest non repugnare rationi, & non habere rationem mali. Præterea sacri canones omnino vetant fieri mutationem Episcopatus ex propria cujusquam voluntate sine ulla rationabili causa; ut constat *ex Can. Mutationes, & Can. Scias frater* 7. *q.* 1. nec præsumendum est, Pontificem in hoc ipso dispensare, & annuere, ut deordinatio in re tam gravi fiat: ac propterea illicite pro mero libito, ac sine rationabili aliqua causa mutatio Suburbicarii Episcopatus a quopiam haberetur.

26. Probo secundam partem, nempe posse semel hanc mutationem licite fieri ex causa aliqua rationabili concernente necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ sive particularis, sive universalis; puta, si fuerit quis adeo senex, ut minus commode valeat suæ Ecclesiæ inservire utpote ampliori, ac deviæ, possit autem alteri tunc vacanti magis restrictæ, & ad quam facilius est iter, vel si ob peculiarem assistentiam Romano Pontifici præstandam in officio aliquo Romanæ Curiæ expediret, ut Ecclesiæ magis Urbi propinquæ ille præesset &c. Ratio est; quia in ejusmodi casibus adesset ex una parte canonica ratio mutandi Episcopatum, videlicet utilitas, vel necessitas Ecclesiæ, & ex alia adesset licentia Pontificis, qui, ut vidimus *ex Constit. cit.* Clementis XII. permittit Suburbicariis Episcopis semel transire de una ad alteram Ecclesiam.

27. Probo tertiam partem, scilicet quod utilitas, vel necessitas Ecclesiæ universalis plerumque adsit in transitu ad Episcopatum Ostiensem; nam Ostiensis Episcopatus plerumque ac regulariter vacat ex obitu Cardinalis Decani, & consequenter aperitur tunc via, ut seniori Episcopo Cardinali, ad quem suo veluti jure Decanatus devolvitur, etiam talis Episcopatus optio concedatur; est enim valde utile ac decorum Ecclesiæ Romanæ, & universali, ut qui futurus est sacri Collegii Decanus, idem sit Episcopus Ostiensis, qui peculiaribus, ut inquit Clemens XII. gaudet prærogativis, ac præsertim illa, quod Cardinalis, qui ei Ecclesiæ præest, Pontificem Maximum solemni ritu, Pallio etiam adhibito, consecret; ac propterea adest justa causa, ut senior ille Epi-

ſcopus Cardinalis, prævia dimiſſione prioris, Eccleſiam Oſtienſem optet: nec in eo caſu Romani Pontificis deeſt aſſenſus; ſiquidem expreſſe *in cit. Conſtit.* Clemens XII. illum præbet.

28. Quæ vero opponebantur a Ven. Card. Bellarmino, noſtris aſſertionibus nullatenus adverſantur, ut conſideranti perſpicuum eſt. Illud dumtaxat animadverto, exiſtimaſſe Venerabilem illum Cardinalem, vinculum matrimonii ſpiritualis Epiſcopum inter & Eccleſiam, eſſe de jure Divino, neque in eo poſſe Romanum Pontificem diſpenſare, ſed ſolummodo declarare voluntatem Domini ſui. Verum, juxta recentiores Canoniſtas, indiſſolubilitas talis vinculi probabilius tantum eſt juris Eccleſiaſtici, atque idcirco poteſt in ea Pontifex ex juſta cauſa diſpenſare; imo non repugnat præſcripta conſuetudo, qua, rationabili exiſtente cauſa, hi ſex Cardinales Epiſcopi intelligantur ab eo vinculo diſpenſati. Neque obſtat, quod idem Ven. Cardinalis addebat, vinculum ſcilicet matrimonii ſpiritualis eſſe aliquo modo majus, quam vinculum matrimonii carnalis: nam intelligendum id eſt, non univerſaliter, & quo ad omnia, ſed ſecundum aliqua, nempe ſecundum characterem, quem conſecratio Epiſcopalis imprimit, ſiquidem Epiſcopus reſuſcitatus deberet redire ad ſuam Eccleſiam, ſecus autem vir ad uxorem: deinde per matrimonium ſpirituale ſolvi poteſt carnale, non vero e contra; nam poſt matrimonium etiam carnale conſummatum poſſunt conjuges mutuo conſenſu Religionem ingredi, & in ea profiteri; qui autem Religionem ſemel profeſſi ſunt, non poſſunt deinde matrimonium carnale contrahere: conſequenter quo ad hæc, aliaque ſimilia, vinculum ſpirituale majus ac fortius eſt, quam carnale, non autem quo ad hoc, ut nequeat auctoritate Pontificis ex juſta cauſa diſſolvi, etiamſi fuerit per conſecrationem conſummatum. Vid. Reiffenſtuel *t.* 1. §. 1. *num.* 14. 15. *&* 16. alioſque Canoniſtas.

29. Poſtremum quod idem Cardinalis addebat de detrimento reſultante in Eccleſias reſpective ob mobilitatem Epiſcoporum, qui propterea erga illas tanquam a ſe deſerendas parum, aut vix amore afficiantur, vim enimvero aliquam præſefert; ſed huic incommodo ſatis videtur proviſum per citatam Clementis XII. Conſtitutionem, qua ſemel dumtaxat permittitur tranſitus de una ad aliam Suburbicariam Eccleſiam, ſervato tamen ſemper jure tranſeundi ad Eccleſiam Oſtienſem; in quo ſi quidquam adhuc particulari Eccleſiæ minus opportunum contingat, ſuppletur ſane & compenſatur ex utilitate, quæ in Romanam univerſalem Eccleſiam redundat, cui quammaxime expedit, ut Cardinales ſpecialibus gratiis, & ſpecialibus potiantur privilegiis.

30. Habes proinde, non licere ex mero libito, vel ex ſola cauſa majoris emolumenti, aut majoris commoditatis, de una ad alteram Suburbicariam Eccleſiam ſe transferre, ſed requiri cauſam aliquam rationabilem ſpectantem ad utilitatem, aut neceſſitatem Eccleſiæ ſive particularis, ſive univerſalis.

31. Quod vero Ughellius unius meminerit ex Cardinalibus, qui ob majorem redditum copiam de uno ad alterum Suburbicarium Epiſcopatum ſe tranſtulerit, ſciente, nec prohibente Pontifice, nihil refert; nam illa major reddi-

redditũum copia fuit fortaſſe mera occaſio , non autem finis talis tranſlationis: ſiquidem , ut bene ajebat *in ſuo Parocho inſtructo* P. Paulus Segneri *cap.* 3. *Non ſi dice, che punto agli emolumenti terreni non corra l'occhio, mentre anzi, dove è più di fatiche, però appunto s'aſſegna più di ſtipendj, perchè vaglian di ſtimolo ad accettarle, ma vuol eſſere l'occhio ſiniſtro, non l'occhio deſtro: ſicchè gli emolumenti non ſieno mai fine d'accettare le Cure* (dicas etiam nec optandi Epiſcopatum) , *ma ſieno ſpinta , o ſe ſon fine , non ſieno mai il principale , ma l'acceſſorio* . Quare ex allato ab Ughellio exemplo non inferendum eſt , licere translationem , ſeu optionem , ob finem temporalem reddituum ; & præſumendum eſt , redditus fuiſſe aliquando nonnemini incitamento , ut is majores labores , & majorem Eccleſiæ utilitatem appeteret , juxta *Can. Conſuluit diſt.* 74.

32. Quæres 10. utrum Cardinalis Epiſcopus Suburbicarius poſſit huic Epiſcopatui renunciare ? & quatenus affirmative , utrum intelligeretur hoc ipſo renunciaſſe Cardinalatui ? ℞. ad primum dubium . Regula eſt generalis, omnibus, per ſe loquendo , licere Beneficia reſignare, juſta cauſa intercedente, niſi ſpecialiter prohibeantur ; quia cuilibet , etiam Summo Pontifici , datum eſt ſuo juri ſponte cedere : cum autem nullibi prohibeatur his Suburbicariis Epiſcopis Epiſcopatum ejuſmodi , interveniente juſta cauſa , renunciare , ſequitur , quod poſſint ſe tali Epiſcopatu abdicare . Verum tamen eſt , ad valorem hujus reſignationis requiri conſenſum Romani Pontificis , nam *Cap.* 4. *de renunc.* ſub pœna excommunicationis prohibetur , ne beneficiales reſignationes fiant ſine auctoritate legitimi Superioris , qualis eſt reſpectu Epiſcoporum Cardinalium Summus Pontifex . Hinc B. Petrus Damiani in litteris a ſe datis ad Nicolaum II. quamvis clare & expreſſe ceſſerit omni jure Epiſcopatus Oſtienſis & Cardinalatus , tamen , quia Pontifex huic renunciationi conſenſum præſtare noluit , vim & effectum ea renunciatio nullum habuit . Seceſſit ille quidem conſequentibus temporibus ſub Alexandro II. & eodem permittente in eremum ; ſed , ut notat Pagi *in Breviar. Hiſtor.* Epiſcopalem curam atque onus retinuit . Quamquam ipſe potius ſub Nicolao II. exiſtimarim ſanctum virum non renunciaſſe Epiſcopatui , ſed ſimplicem feciſſe illius dimiſſionem : ſimplex autem dimiſſio non habet vim reſignationis , ex Rebuff. *in Tract. de pacific. poſſeſ. n.* 170.

33. Ad alterum vero dubium , utrum Cardinalis Epiſcopus renuncians Epiſcopatum , intelligatur hoc ipſo renunciare Cardinalatum ? Videtur , quod ſic : 1. quia connexorum eadem eſt ratio ; cum autem Epiſcopatus Suburbicarius ſuapte natura connexus ſit Cardinalatui , ſequitur , quod reſignans talem Epiſcopatum , hoc ipſo reſignet Cardinalatum : 2. quia Cardinales diſtribuuntur in tres gradus , nempe Epiſcoporum , Presbyterorum , & Diaconorum ; cum autem renuncians Epiſcopatum , non ſit amplius in ullo ex his gradibus , ſiquidem non eſt amplius Cardinalis Epiſcopus , nec Card. Presbyter , aut Card. Diaconus , ſequitur , non eſſe amplius Cardinalem : 3. quia *ex reg. jur.* 42. *in* 6. *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis* : atqui dignitas Cardinalitia eſt quid acceſſorium tali Epiſcopatui ; ergo debet ſequi naturam & con-

& conditionem illius; ac propterea, resignato eo Episcopatu, intelligitur hoc ipso resignatus Cardinalatus.

34. Nihilominus contrarium verum est; nam dignitas Cardinalitia de per se stat, & tanquam propria virtute subsistit, independenter ab Episcopatu, Titulo, & Diaconia. De facto cum Pontifex aliquem pronunciat Cardinalem in Consistorio, & decretum facit, quo auctoritate sibi a Deo tradita illum creat Cardinalem, tunc virtute talis decreti illico efficitur Cardinalis, etiamsi nec Titulum, nec Diaconiam, nec Episcopatum, nec insignia receperit, ut pluribus firmat clariss. Riganti *de Prot. differt.* 3. *n.* 61. & Card. de Luca *in Relat. Cur. disc.* 5. *a num.* 10. Consequenter, non hoc ipso, quod quis renunciat Episcopatum Suburbicarium, renunciat etiam Cardinalatum. Accedit, quod, gratis etiam dato, Cardinalitiam dignitatem non subsistere sine tali Episcopatu, adhuc non verificaretur id quod negamus; nam regulariter renuncians Episcopatum, renunciat quidem loco, non autem loco, & Ordini, seu dignitati; idest renunciat curæ, officio, seu administrationi Episcopali, retinet tamen Titulum, & dignitatem Episcopalem; ac proinde Cardinalis renuncians Episcopatui Suburbicario, intelligeretur quidem renunciasse curæ, & administrationi illius Episcopatus, attamen retineret Titulum, & dignitatem Cardinalis Episcopi.

35. Neque obstant opposita. Non primum; quia connexorum eadem est ratio, quando connexio inter extrema est convertibilis; secus quando ita non est. Jam vero in casu non est convertibilis; nam licet Episcopatus Suburbicarius nequeat stare sine Cardinalatu, tamen Cardinalatus potest, ac de facto stat sine tali Episcopatu. Non secundum; quia verum est, Cardinales distribui in tres gradus, seu Ordines, attamen actualis distributio non est essentialis dignitati Cardinalitiæ, quæ in priori ad actualem hanc distributionem subsistit, ac perfecte dicitur Cardinalis etiam ille, qui adhuc non censetur inter Diaconos, Presbyteros, vel Episcopos. Non tertium; quia dignitas Cardinalitia specificative habet quidem figuram accessorii respectu talis Episcopatus, vere tamen & proprie accessorium non est, nam ea principaliter consideratur a jure, & propria virtute subsistit, unde non sequitur naturam & conditionem Episcopatus, ut recte notat Phœbeus *ad hanc regulam juris* 42. Habes proinde, quod Episcopus Cardinalis possit renunciare suo Episcopatui, & quod in ea hypothesi ipse esset ac diceretur, non Diaconus Cardinalis, non Presbyter Cardinalis, sed Episcopus Cardinalis, qui renunciavit Episcopatui.

36. Quæres 11. utrum Cardinalis Episcopus optans novum Episcopatum, si exegerit pensiones agrorum spectantes ad mensam Episcopatus dimissi, teneatur ad restitutionem anticipate exactorum? ℞. De hac re agit Cohellius *in Notit. Card. cap.* 16. *privil.* 41. & loquens in terminis de Titulis Cardinalitiis docet *in una Romana pecuniaria* 13. *Februarii* 1626. fuisse decisum coram Durano, quæ impressa est *decis.* 20. *dividendas esse has pensiones pro rata temporis inter dimittentem, & optantem; quia optans novum Titulum* (idem dic de Episcopatu) *definit esse Titularis Tituli dimissi.* Quo ad fructus vero pendentes, & inexactos, possent transactionem aliquam inire dimittens, & optans, sine simo-

simonia; nam dubium est, ad quem, & quomodo ii spectent: pactum autem de re dubia non est simoniacum, licet simoniacum esset, si iniretur de re certo ad alterum pertinente.

37. Quæres 12. utrum si, quod absit, Cardinalis aliquis fuerit excommunicatus, etiam occulte, vel toleratus, vel ignorans suam excommunicationem, valide optet Episcopatum Suburbicarium? ℞. Videtur, quod non; quia excommunicatus quicumque, & quomodocumque ille sit, incapax est & inhabilis ad quodcumque Ecclesiasticum Beneficium, seu Dignitatem, prout docet Glossa communiter recepta *in Cap. penult. de Clerico excommunic.* Dicendum tamen est cum distinctione: vel enim Cardinalis optaret cum actuali acquisitione novi Episcopatus; vel optaret, seu potius acceptaret optionem, differendo executionem, seu permutationem, usque ad tempus obtentæ absolutionis? si primum, invalide optaret; nam interveniret acquisitio novi Beneficii, cujus excommunicatus incapax est: si secundum, valide optaret; nam talis optio, ut bene expendit Moneta *de Opt. cap.4. quæst.3.* non esset collatio, vel acquisitio Beneficii, seu Episcopatus, quorum excommunicatus incapax est, sed esset simplex declaratio voluntatis & consensus ad novum Episcopatum. Notat tamen Suarez *de Cens. disp. 13. sect. 1. n. 19.* in tali casu ejusmodi factæ optionis petendam & obtinendam esse absolutionem intra terminum concessum ad optionem cum effectu faciendam, alioquin jus optandi ad alium devolveretur: intelligas, si non ignoraretur excommunicatio omnino.

CAPUT III.

De officio, & potestate Episcoporum Cardinalium Suburbicariorum.

38. IN quolibet Episcopo tria potissimum considerantur, Ordo videlicet, officium, & potestas. Jam vero quo ad Ordinem, hi sex Episcopi Cardinales plane conveniunt cum cæteris aliis Episcopis; habent quippe verum Ordinem, & characterem Episcopalem, ac verum cum suis respective Ecclesiis spirituale matrimonium contrahunt, ita ut, si non fuerint consecrati, quando Episcopatum optant, illud consumment ipsa consecratione; si vero fuerint alias consecrati, illud consumment adepta possessione, ex Vasquez *de Ord. disp.* 14 1.*num.*10. Quo ad officium autem, & potestatem, discrepant in nonnullis cum aliis Episcopis, & quædam habent propria ac peculiaria. Propterea

39. Quæres 1. quodnam sit officium proprium, & peculiare talium Episcoporum? ℞. Coalescit eorum officium ex communi cum aliis Cardinalibus, & communi cum aliis Episcopis. Commune habent cum Cardinalibus, ut ipsorum sit Summum Pontificem eligere, eidem perpetuo assistere, eumdemque in regenda Ecclesia universa consilio & industria adjuvare. Commune habent cum Episcopis, gregi sibi commisso ita præesse, ut non multo secus, inquit Platus *cap.*4. ac si Episcopi non Cardinales essent, sedulam navent operam, juxta Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. *de ref.* primo in cultu Divino, & Christiana religione augenda, & confer-

servanda; deinde in procuranda suarum ovium salute, salubria suppeditantes pabula, arcentes corruptelas & vitia; denique veros se exhibentes animarum Pastores. Et sane tanto impensius ejusmodi Episcopos augendæ & conservandæ Christianæ religioni in suis respective Episcopatibus vacare oportet, quanto eorum respective civitates ac diœceses olim amplæ, ac frequentissimæ, nunc infrequentes sunt, ac tenues, iisque propterea viris non valde abundant, qui populum ad pietatem informent, & bonis artibus, institutisque Christianis plebem instruant. Accedit, sacros Fidei Quæsitores illinc abesse; unde non semel factum est, ut errorum latentes magistri, qui superseminarent zizania, in iis detecti fuerint. Enimvero, ne recentiora commemorem, narratur in Auctario Ughellii, Eminentissimum Cardinalem de Albergatis, Ludovisi nuncupatum, Episcopum Sabinen. detexisse nefarium hominem in Oppido Cottanelli hæresibus conspersum, totique provinciæ exitialem, qui locorum asperitate curiæ impervius perniciosa dogmata spargebat, & securus incautos a recta in Deum Fide conabatur abducere. Adeo verum est, sollicitudinis hac in re, vigilantiæque plurimum iis Episcopis inesse oportere.

40. Quæres 2. quodnam sit eorumdem Episcoporum, prout tales sunt, officium, & speciale munus in Romana Curia? ℞. Olim, ut diximus, præter assistentiam Romano Pontifici in gravioribus Ecclesiæ negotiis, munus speciale ipsorum erat per hebdomadæ dies in gyrum apud Basilicam Lateranensem Missam celebrare. Præterea consequentibus temporibus, nempe sub Alexandro III. admissi fuere ad electionem Summi Pontificis: nam antea, ut docet Baron. *ad annum Christi* 1130. non eligebant, sed tantum habebant facultatem acceptandi, vel rejiciendi electum; nunc vero, abolita ea facultate, par cum aliis Cardinalibus jus electionis habent: en primum. Pontifici Maximo pro Christiana, Ecclesiasticaque re tuenda, augendaque, præ cæteris Cardinalitii Ordinis præsto sunt: en alterum. His accedit, eorum esse partes, in iis solemnioribus anni festivitatibus, in quibus Pontifex publice ad Aras operari non consuevit, Pontificali ritu Sacrum peragere in Sacello Apostolico, nimirum die Epiphaniæ, feria V. in Cœna Domini, die Ascensionis, Pentecostes, & Omnium Sanctorum. Supplent etiam ipsi vices Pontificias in gravioribus illis, ac celebrioribus functionibus, quibus interdum Summus Pontifex vel aliis curis distentus, vel infirma valetudine impeditus cogitur abstinere. Enimvero vidimus *de anno* 1699. ineunte magno Jubilæo, Episcopum tunc Portuensem Emmanuelem Card. Bullionium Portam auream Basilicæ Vaticanæ reserasse pro Innocentio XII. ægrotante: item *de anno* 1737. Episcopum tunc Prænestinum Thomam Card. Rufo Pontificaliter Missam celebrasse in solemni aliquorum Sanctorum Canonizatione pro Clemente XII. senio jam gravi: item pluribus disjunctis annis Episcopos Prænest. Sabinen. Tusculan. Cardinales amplissimos, in Festo Corporis Christi Venerabilem Eucharistiam e Sacello Pontificio, religioso præeunte agmine, ad Vaticanam Basilicam circumtulisse pro Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. extra Urbem degente. Quare perspicuum est, grave admodum ac singulare esse Episcopi Cardinalis Suburbicarii, qua talis, in Romana Curia officium atque munus.

41. Quæ-

41. Quæres 3. utrum tales Episcopi habeant in suis respective civitatibus ac diœcesibus potestatem civilem ac temporalem? Rx. ex Card. de Luca *in Relat. Cur. disc.*41. Episcopos Sabinensem, Albanensem, Prænestinum, ac Tusculanum habere in suis respective civitatibus ac diœcesibus jurisdictionem tantum in spiritualibus: Portuensem habere etiam aliquam in temporalibus; eam tamen de facto exiguam esse ex defectu subjecti, videlicet ob infrequentiam incolarum in loco: Ostiensem vero ac Velitern. ex eodem Card. de Luca *p.*1. *de Judiciis disc.*47. habere temporalem quoque jurisdictionem in Civitates Ostien. & Velitern. quarum est Gubernator, atque ut talis tres recipit instantias, ait de Luca, duas in ipsamet Civitate, tertiam in Urbe ubi Cardinalis Ostiens. & Velitern. Tribunalis non infimæ notæ figuram obtinet, cui ipse præest vel per se ipsum, vel per suum Auditorem ita, ut civilem hanc suam & temporalem jurisdictionem exercere possit in ipsa Urbe Roma, ex de Luca *loc.cit.* relate nimirum ad suos subditos Ostien. & Velitern. in quos merum & mixtum imperium habere docet Ughellius. Notat autem Glossator Ughellii, jus illud mixti imperii in Civitate tantum Velitrensi possideri ab Episcopo Velitern. *Quo vero primum tempore cœperit, ignotum. Primus, qui se offerat in actis Consistorialibus auctus hoc civili Velitrarum dominio, est Alexander Farnesius anno* 1580. *die* 5. *Decembris. Ita Luceutius. At ex Bulla Pauli III. sub dat. Romæ anno* 1536. 17. *kalend. Julii constat, jam antea ab Alexandro Farnesio patruo hanc jurisdictionem Episcopis Veliternens. traditam, quam deinde ad instantiam Card. Joannis Moroni Pius V. confirmavit, ut patet ex ejus Bulla sub dat. Romæ* 28. *Julii* 1570. *addita excommunicationis pœna iis Judicibus, qui hanc auderent perturbare jurisdictionem. Cum autem Sixtus V. edita Bulla hoc temporale Episcopis Veliternens. dominium ademisset, illud eisdem restituit ad instantiam Alphonsi Gesualdi Gregorius XIV. ut satis liquet ex ejus Bulla sub dat. Romæ* 23. *Martii* 1591. *Quod subinde novis Bullis pluries confirmarunt sequentes Pontifices, & novissime ad instantiam Caroli Medicei Innocentius X. amplioribus clausulis sub dat. Romæ* 2. *Octobris* 1652. Hactenus Ughellii Glossator. Illustrissimus Archiepiscopus Borgia *in sua erudita Hist. Velitern. sæc.*16. refert primordium temporalis hujus jurisdictionis in Episcopo Ostien. & Velitern. ad tempora Pauli II. qui Civitatem Velitern. a potestate, seu regimine Populi Romani postquam exemerit, eam protectioni, ac provisionali gubernationi sui Episcopi commisit. Porro, quod ab initio simplex fuit protectio, & provisionalis gubernatio, successu temporis in amplam & stabilem excrevit jurisdictionem, pluribus Summorum Pontificum diplomatis, atque indultis munitam, ut ajebat Ughellii Glossator.

42. Quæres 4. utrum tales Episcopi habeant integram Episcopalem potestatem tam Ordinis, quam jurisdictionis ordinariæ ac diœcesanæ in suis respective Episcopatibus? Rx. Videtur quod non: 1. quia ipsi, ut docet Card. de Luca *de Judiciis disc.*47. sunt veluti tot Vicarii particulares Episcopi Romani in territorio Episcopatus Romani, eodem modo quo intra ipsam Urbem sunt in tribus Patriarchalibus Basilicis Archipresbyteri Cardinales: 2. quia Cardinalis Urbis Vicarius est Judex Ordinarius in talibus Episcopatibus, habet jus cogno-

 scendi

scendi causas in prima instantia cumulative cum ipsis Episcopis Suburbicariis, ita ut sit locus præventioni inter Card. Urbis Vicarium, & Ordinarium illius Episcopatus, sicuti etiam idem Vicarius habet jus cognoscendi causas in gradu recursus, ut apposite expendit Card. Petra *ad Constit.* 1. *Pauli II.* unde videntur ejusmodi Episcopi non habere veram & propriam jurisdictionem Episcopalem in spiritualibus: 3. quia S. Linus, & S. Cletus erant quidem Episcopi Romani, & adjutores S. Petri, sed nullam habebant ordinariam jurisdictionem in Urbe Roma: ergo similiter tales Episcopi Suburbicarii sunt quidem etiam ipsi Episcopi Romani, & coadjutores Pontificis Romæ in parte sui districtus, at nullam ibi habent ordinariam jurisdictionem in spiritualibus, sed ad summum delegatam in variis casibus.

43. Nihilominus contrarium omnino certum est. Nam in primis ii vere consecrantur & recipiunt manuum impositionem, juxta ritum a Christo institutum, & quidem non absolute, sed ad Titulum suæ respective Ecclesiæ, cum qua spirituale conjugium ineunt; unde non solum habent veram & integram Ordinis Episcopalis potestatem, sed sunt etiam vere Episcopi ac sponsi talis respective Ecclesiæ. Deinde habent sibi a Romano Pontifice assignatos certos subditos, ac certos fines dismembratos, ut ita loquar, a dioecesi Romana, in quos, & intra quos, veluti in materiam sibi a Romano Pontifice applicatam, valent exercere potestatem illam activam jus dicendi, quam jure Divino unusquisque Episcopus accipit in sua Ordinatione, ut docet cum aliis Vasquez *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 140. *num.* 41. & consequenter vere habent jurisdictionem Episcopalem, quamvis in actu secundo nonnihil, ut infra dicam, a Romano Pontifice (cujus est actualem jurisdictionem Episcoporum augere, vel imminuere) restrictam & coarctatam. Hinc possunt ipsi, sicuti alii Episcopi, ex vi Ordinis in sua respective dioecesi consecrare Ecclesias, conferre Ordines, & Sacramentum Confirmationis, solemniter benedicere &c. ex vi autem jurisdictionis ferre leges & statuta, cognoscere & decidere omnes causas ad forum Ecclesiasticum pertinentes, convocare Synodum, visitare dioecesim, exigere procurationes in eadem dioecesis visitatione, & alia peragere pertinentia ad utramque legem dioecesanam & jurisdictionis.

44. Neque obstant adducta in contrarium. Non primum ex auctoritate Card. de Luca; nam veneror, ut par est, hujus docti jurisconsulti placitum, sed ejusdem tanti viri pace dixerim, hac in re ipsum egregie hallucinari. Absit quippe, ut sentiam, ejusmodi Episcopos meros esse Vicarios Romani Episcopi, atque eo se modo habere, ac se habent relate ad suas Basilicas Cardinales respective Archipresbyteri; etenim exploratum est, Archipresbyteros Basilicarum non obligari vinculo de se perpetuo ad curam animarum retinendam, sicut ad hoc obligantur omnes, & etiam hi Suburbicarii Episcopi: deinde iidem constituti sunt a Romano Pontifice per distributas dioeceses intra districtum Urbis, non ut simplices Vicarii, sed ut veri Principes, qui suam singuli dioecesim regant cum dependentia tamen ad supremum Romanum Pontificem. Non obstat secundum, nempe quod Cardinalis Vicarius Urbis sit Judex ordinarius talium Episcopatuum, & aliquam in iis jurisdictionem exerceat;

nam,

nam, ut opportune adnotavit Em. Card. Petra *ad Const.* 1. *Pauli II. num.* 9. Vicarius Urbis non habet totam jurisdictionem ordinariam & diœcesanam in ejusmodi Episcopatibus, sed quamdam jurisdictionem ordinariam in certis casibus, nec potest circa alios se intromittere ex motivo, quod Episcopatus sit intra districtum. Deinde potestas ordinaria, quam ibi Vicarius Urbis exercet, reservata illi fuit in erectione talium Episcopatuum, ut remaneret Urbis districtus sub diœcesi Romana in certis casibus in signum antiquæ subjectionis & prærogativæ Ecclesiæ Romanæ, a qua dismembrati fuere ejusmodi Episcopatus: unde probat quidem ea potestas, tales Episcopatus esse sub quadam habituali jurisdictione Episcopi Romani, & esse illic reservata aliqua jura immediata Episcopo Romano in signum antiquæ subjectionis; at nequaquam probat, eos non esse territorium separatum, nec, qui ibi præsunt, Episcopos, non esse veros ac proprios talis territorii Episcopos, constituta sibi diœcesi ac territorio ex diœcesi ac territorio Episcopi Romani. Vid. Petra *loc. cit.* & infra.

45. Demum non obstat tertium, quod addebatur de SS. Lino, & Cleto; nam dispar omnino ratio est circa illos duos Episcopos Romanos, & hos Episcopos Suburbicarios pariter Romanos olim nuncupatos. Illi quippe duo Episcopi, teste Vasquez *de Ord. disp.* 241. *cap.* 1. non fuerant ordinati tanquam proprii Episcopi Romanorum, & tanquam ad propriam Ecclesiam Romanam, siquidem tunc S. Petrus Episcopus Romæ erat, duo autem Episcopi ejusdem civitatis simul esse non possunt, sed ordinati erant absolute sine propria Ecclesia, ad hunc tantum finem, ut S. Petro Romæ coadjutores essent. Secus contingit in Suburbicariis Episcopis, qui sunt ordinati ad Titulum suarum respective Ecclesiarum; & consequenter non est mirum, si illi solam delegatam, hi vero ordinariam habeant in spiritualibus jurisdictionem.

46. Quæres 5. utrum tales Episcopi possint hanc suam in spiritualibus jurisdictionem tam voluntariam, quam contentiosam, sicuti & potestatem Ordinis exercere in ipsa Urbe Roma, ita ut possint ibi conferre sacros Ordines, consecrare Calices, ferre excommunicationem, & alia ejusmodi, sine speciali indulto? ℞. Rem hanc non leviter tractat Card. de Luca *part.* 2. *de Judiciis disc.* 47. & quidem ipse olim censuit, Episcopos hosce Suburbicarios posse suam Episcopalem tam ordinariam, quam delegatam jurisdictionem quamvis contentiosam exercere in Urbe, propterea quod isti sint Episcopatus annexi Cardinalatui absque onere residentiæ, unde necessarium videatur, eos in ipsa Urbe jurisdictionem exercere: deinde vero ipse se retractavit, docens, id eos non posse, nisi adfuerit speciale indultum, quod, ut ipse ait, solet per Papam concedi sub ea lege, ut in causis criminalibus abstineant ab executione, quæ sequi debeat in proprio territorio. Addit demum, non futurum omnino incongruum, si hæc illis potestas exercendæ intra Urbem jurisdictionis concederetur.

47. Equidem censeo, separandos esse Episcopos Ostiensem, ac Portuensem a reliquis quatuor Episcopis Suburbicariis: qua facta separatione, dico primo, Episcopum Ostiensem ex indulto præsertim Clementis VIII. habere,

ut suam valeat jurisdictionem exercere in ipsa Urbe, quod aliqua ex parte etiam competit Portuensi saltem ex usu; sed Portuensem nuper cognovi indultum petere consuevisse.

48. Dico secundo, alios quatuor Episcopos, si sermo fuerit de jurisdictione contentiosa, eam non posse in Urbe exercere sine expresso, vel tacito consensu Pontificis, ipsarumque partium litigantium; cum tritum illud sit, extra territorium jus dicenti impune non pareri, *Cap.*2. *de constit. in* 6. Si autem sermo fuerit de jurisdictione voluntaria, eam valide, & plerumque licite in Urbe exercere possunt, dispensando v. g. cum subditis in eorum votis, juramentis &c. assistendo eorum matrimoniis, absolvendo a censuris, imo & ferendo censuram, quando ea ferri possit sine strepitu judiciali ac privatim, idest solum subscribendo sententiam. Ratio est; quia voluntaria jurisdictio cum nullum ordinarium juris processum, neque Judicem pro tribunali sedentem requirat, ideo nulla injuria Judici infertur, in cujus diœcesi ejusmodi actus exercentur, sicuti docent Doctores *in l.* 2. *ff. de officio Proconsulis*. Quamquam ad vitandum scandalum, & confusionem voluntariæ jurisdictionis, actus, non publice quasi alienam jurisdictionem invadendo, sed ferme tantum privatim exercere oportet, sicuti notavit Sanchez *lib.*3. *de matrim. disp.*19. Hæc in genere. Deveniendo vero ad casus specificos & particulares intra limites voluntariæ jurisdictionis

49. Advertendum est 1. legem esse ex Tridentino, ut nulli Episcoporum liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi *de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum; &, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & ab eo ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi*. Advertendum etiam est 2. Pontificalium nomine venire actiones proprias Ordinis Episcopalis, ut collationem Ordinum, consecrationes Vasorum, Ecclesiarum, & Virginum, & Chrismatis, & Confirmationem, & Benedictionem Vestium &c. Ita ex Sanchez *consil. lib.*7. *cap.*1. *dub.*50. Barbosa *alleg.*6. *num.*5. Thesaur. *v. Episcopus num.*4. aliisque.

50. His animadversis, fortasse quis opinabitur, Episcopos Cardinales Suburbicarios non posse extra suam diœcesim, & in Urbe enumeratas actiones, nempe benedicendi Vestes, consecrandi Calices (de Ordinum collatione infra late dicam) exercere, quin offendant in Tridentinum vetans usum Pontificalium in aliena diœcesi sine expressa licentia Ordinarii loci.

51. Verum ipse, non sine fundamento ut videtur sufficienti, censuerim affirmative; nam notandum est, Episcopos hosce Suburbicarios non solum esse Episcopos, sed simul esse etiam Cardinales, ac propterea ut tales iis frui privilegiis, quibus fruuntur Abbates Regulares habentes usum Pontificalium, de quibus Barbosa *de off. Ep. alleg.*3. *num.*6. non enim, inquit Clericatus *de Missa dec.*42. *num.*69. *debent Cardinales esse deterioris conditionis, quam Abbates*: imo, uti optime docet Card. Brancacci in suo erudito Opusculo *de Cappell. Cardinalit.* privilegia DD. Cardinalium, quæ, non scripta, sed apud Doctores, & usum, traditionemque reperiuntur, &, quod est amplius, scien-

ſcientia Summorum Pontificum, eorumque tolerantia nituntur, *amplianda ſunt uſque ad lineam eorum privilegiorum, quæ Regularibus conceſſa ſunt*: unde privilegium quod habent Cardinales utendi Pontificalibus, ita ampliandum eſt, ut eo ſe porrigat, quo ſe porrigit privilegium Abbatum Regularium: atqui tales Abbates, non obſtante Tridentino, poſſunt in ſuis Eccleſiis exiſtentibus in aliena diœceſi pro ſuarum Eccleſiarum uſu Veſtes benedicere, Calices conſecrare &c. ut cum aliis notat Barboſa *ad Conc. ſeſſ.6.* ergo etiam Presbyteri Cardinales, & præſertim Epiſcopi, poterunt in ſuis Titulis, vel in ſuo Sacello domeſtico, quod Romæ Titulo adhærere jus fingit, ex pluribus gravibus Doctoribus, Veſtes benedicere, Calices conſecrare &c. ad uſum ſuæ diœceſis, vel Tituli.

52. Quæres 6. utrum tales Epiſcopi Cardinales Romæ commorantes poſſint delegare poteſtatem benedicendi Veſtes & Paramenta ſacra alicui Sacerdoti exiſtenti in ſua propria reſpective diœceſi? ℞. Stando in puncto juris, videtur, id eos non poſſe; quia talis poteſtas ſpectat ad Ordinem Epiſcopalem: quæ autem ſpectant ad Ordinem Epiſcopalem, non poteſt Epiſcopus alteri eodem Ordine non inſignito delegare, ſicuti poteſt delegare, quæ pertinent ad ordinariam juriſdictionem: ex Merato *part.4. tit.19. n.23.* ubi allegat Tabienam *v. Abbas*, Ugolinum *de Epiſ. cap.32.* & praxim Sac. Rituum Congregationis, quæ ſæpius requiſita hanc facultatem delegandi indulſit aliquando ad tempus, aliquando cum limitatione ad perſonas inſigniores, aliquando indefinite. Nihilominus, attento uſu plurium timoratorum Epiſcoporum, de quo teſtatur Baruffaldus *in Notis ad Rituale tit.64. in fin.* & attenta doctrina Card. Petra *ad Conſt.6. Urbani IV. tom.3. num.38.* ubi aſſeritur, benedictiones haſce, in quibus non requiritur unctio, & quæ conſiſtunt ſolum in certa verborum forma, non pertinere ad Ordinem Epiſcopalem de jure Divino, nec de jure Canonico ſcripto, ſed de jure Canonico mere conſuetudinario, ideoque eas de ſe referri proprie ad poteſtatem Ordinis Sacerdotalis; cenſeo, Cardinales iſtos Epiſcopos Suburbicarios non fore arguendos, ſi plurium timoratorum Epiſcoporum uſui ſe ſe accommodent, & cum ea poteſtas benedicendi Veſtes ſit ſimplici Sacerdoti delegabilis, eam ipſi delegent. Certe eos plures Doctores excuſarent, videlicet Quarti *de Bened. tit.1. dub.5. n.32.33.* Baruffaldus *loc. cit.* Paſqualigus *quæſt.801.* Poſſevinus *de off. Curat. cap.2. num.37.* aliique. Et ratio eſſe poteſt; quia, ſtante multorum uſu, qui, teſte Baruffaldo, jam invaluit, acquiſita eſt ab Epiſcopis poteſtas delegandi talem facultatem, nam poteſtas delegandi ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, non quidem ex jure Divino, ſed ex mero jure Eccleſiaſtico, præſertim conſuetudinario, acquiritur per conſuetudinem univerſalem, vel fere univerſalem; ſiquidem intervenire tunc cenſetur conſenſus Pontificius: ex Suarez *lib.2. cap.30. tom.4. de Relig.* Accedit, quod Epiſcopi poſſunt delegare omnia quæ ſibi conveniunt, & non ſunt in rigore actus Ordinis. Neque obſtant conceſſiones factæ a Sacra Congregatione; nam illæ procedunt, inquit Paſqualigus, ad petitionem partium, & ex præſuppoſito illarum, videlicet ex eo quod illæ præſupponant veram contrariam opinionem. Cæterum ſecurius eſt, non diffiteor, eam facultatem delegandi a Sancta Sede expoſcere, ut olim ſe

feciſſe

fecisse testatur *tom.9. append.2.* Eminentissimus Lambertini, nunc Sanctissimus D. N. Benedictus XIV.

53. Quæres 7. utrum tales Episcopi Cardinales possint pro suis subditis dimissorias ad Ordines concedere? ℞. potestatem hanc esse illis aliquantulum limitatam; nam Alexander VII. *sub die 7. Augusti 1662.* decrevit, quod in his sex Episcopatibus Cardinalitiis, ubi tamen non sunt Suffraganei, quicumque promoveri desiderant ad minores, & sacros Ordines, ad Urbem se conferre debeant cum litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum Eminentissimo Domino Cardinali Urbis Vicario dumtaxat directis, & non aliis Episcopis, atque de ejusdem mandato examinari debeant ab Examinatoribus in Urbe deputatis, non paucioribus, quam tribus, simul congregatis, & in eadem Urbe ordinari, præviis Exercitiis spiritualibus per decem dies ante Ordinationem apud Sacerdotes in id deputatos, ac præviis publicationibus in sacrosancta Lateranensi Basilica, & in Ecclesia Parochiali eorumdem promovendorum, intelligas de iis, qui per aliquod considerabile tempus fuerint in Urbe commorati.

54. Ubi vero sunt Suffraganei, scilicet in Episcopatibus Veliternensi, & Sabinensi, ordinari quidem possint a dictis Suffraganeis independenter ab Urbis Vicario, intra tamen suas diœceses; sed promovendi ad Ordines Sacros peragere debeant Exercitia spiritualia apud Sacerdotes in Urbe deputatos sub pœna suspensionis, quo ad Suffraganeos in utroque casu contrafacientes, ab exercitio Pontificalium per annum; quo ad promotos vero tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe, ab executione Ordinum.

55. Et, si contingat, quemlibet tam ex quatuor Episcopatibus, ubi non sunt Suffraganei, quam ex duobus ubi sunt, ordinari intra, vel extra Urbem respective, non servata forma in dicta Alexandrina Constitutione præscripta, Suffraganei incurrant, ut supra, ipso facto suspensionem ab exercitio Ordinum per annum; promoti vero tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe, ab exercitio Ordinum susceptorum, donec Romano Pontifici visum fuerit, eidem reservatam.

56. Quare ex dictis compertum est, non posse hos Cardinales Episcopos dimissorias pro ordinandis suis subditis ad alium Episcopum dirigere, quam ad Vicarium Urbis: *ex cit. Constitutione* Alexandri VII.

57. Quæres 8. utrum a lege citatæ Constitut. Alexandrinæ in omnibus vere comprehendantur etiam Episcopi Ostien. & Sabinen. qui habent Suffraganeos, vel potius de iis nihil disponatur relate ad dandas dimissorias, easque dirigendas dumtaxat ad Vicarium Urbis? ℞. Videtur, quod de iis nihil disponatur; etenim Alexandrina Constitutio sic loquitur: *Denique in sex Episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt Suffraganei, quicumque ad minores, vel sacros Ordines volent promoveri cum litteris dimissoriis sui Ordinarii ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique & non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius præscripta. Ubi vero sunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus Ordinibus assumatur, nisi prius præter ea, quæ a sacris canonibus, & ejusdem Concilii decretis sancita sunt, ad minus per decem dies a dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis in eorum ædibus inclusus,*

clusus, ut supra, fuerit eruditus, ac litteras testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Suffraganeum detulerit. Hactenus Constitutio Alexandrina, ubi de illis Episcopis, qui habent Suffraganeum, ac de eorum respective Episcopatibus, nihil aliud disponitur specialiter, nisi quod promovendi ad Ordines majores vacent in Urbe Exercitiis per decem dies apud Sacerdotes deputatos, & ferant litteras testimoniales eorumdem ad ipsum Suffraganeum. Quare non est aliud onus imponendum sive illis Episcopis, sive promovendis ex illis Episcopatibus ad Ordines: ac propterea Episcopi habentes Suffraganeos videntur posse dare dimissorias suis subditis ad quemcumque Episcopum Catholicum; siquidem melior est conditio possidentis in re dubia, & interpretatio legis contra eum facienda est, qui legem potuit dicere apertius, *ex Cap. Contra eum, de regul. jur. in 6.* imo, juxta sententiam Celsi jurisconsulti, *quidquid obstringendæ obligationis est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est, ex l. 99. ff. de verborum obligatione*.

58. Nihilominus, cum rem diligenter perpenderim, nolui meo judicio fidere, sed peritissimum in his materiis virum consului, qui litteris ad me datis, quasque ipsas hic subnectam, sic respondit. *Quanto al dubbio, se i Cardinali Vescovi Suburbicarj, i quali hanno il Suffraganeo, sieno tenuti* ex vi *della Bolla Alessandrina dirigere le dimissorie al solo Vicario di Roma, o pure possano dirigerle ad altri, sono di parere, che necessariamente debbano dirigerle al Vicario di Roma, nè possano dirigerle ad altri Vescovi, poichè i sudditi di tali Vescovadi intanto vengono esentati d'essere promossi agli Ordini dall'Eminentissimo Vicario, in quanto che hanno il comodo de' Suffraganei a ciò destinati, in tal maniera che da questi soli possano essere ordinati, e non da altro Vescovo; poichè leggendosi nella citata Costituzione al* §. Denique *le seguenti parole*: promoti vero tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe, non servata forma præsentis Constitutionis, ab exercitio Ordinum sic susceptorum.... ipso jure sint suspensi: *si fa chiaro, che, se potessero essere ordinati da altro Vescovo*, non servata forma &c. *vi si leggerebbe ancora l'altra clausola*: promoti tam ab eisdem Suffraganeis, quam ab alio quocumque Antistite. *In oltre siccome si dichiara sospeso dall' esercizio de' Pontificali per un anno il Suffraganeo ordinante* non servata forma &c. *così dichiarerebbe anche il Vescovo, a cui fossero dirette le dimissorie, se ordinasse* non servata forma &c. *Questa intelligenza oltre l' essere chiarissima, viene anche firmata dalla costante, ed inconcussa osservanza praticata sin dal tempo, in cui emanò la detta Costituzione, come dai Registri esistenti in Segreteria del Tribunale dell' Eminentissimo Vicario apparisce; quale osservanza così incominciata, e continuata sino al presente, è attissima secondo i principj legali a dichiarare la vera intelligenza della medesima Costituzione, ancorchè fosse oscura, ed ambigua*.

59. Eæ rationes non plene me olim convincebant: nunc vero assentior viro clarissimo: 1. quia Benedictus XIV. in sua Epistola ad Cardinalem Vicarium Guadagni, vult, in hac parte Constitutionis Alexandrinæ comprehendi omnes sex Episcopos Suburbicarios: 2. quia finis Constitutionis Alexandrinæ inter cæteros videtur esse etiam iste, scilicet ut per hanc coarctationem jurisdictionis talium

talium Episcoporum Cardinalium, servaretur in his sex Episcopatibus signum aliquod antiquæ, & integræ subjectionis erga Curiam Episcopalem Romanam; hic autem finis frustraretur, si aliqui ex his sex Episcopis Cardinalibus possent dare suas dimissorias ad quemcumque Episcopum, & non haberent aliquo modo coarctatam quo ad hoc jurisdictionem, qua coarctatione recognoscerent aliquo modo antiquam suam subjectionem erga Curiam Episcopalem Romanam. Non possunt igitur, quantum ipse assequor, Cardinales Episcopi Suburbicarii habentes Suffraganeum stabilem concedere dimissorias suis subditis pro suscipiendis Ordinibus, nisi ad Cardinalem Vicarium Urbis: possunt tamen mandare suis respective Suffraganeis, ut ordinent in suo territorio suos subditos.

60. Quæres 9. an ejusmodi Episcopi Cardinales possint dimissorias dare pro prima Tonsura ad quemcumque Episcopum Catholicum? ℟. affirmative; nam in Constitutione Alexandrina, cum nulla fiat mentio de prima Tonsura, non est cur subditi cujuscumque ex his Episcopatibus nequeant ea initiari cum litteris dimissorialibus suorum Episcoporum a quocumque Antistite, etiam extra diœcesim, ut resolvit Sacra Congregatio *in Albanen. sub die 16. Februarii* 1704.

61. Quæres 10. an iidem Cardinales Episcopi, etiam ex illis quatuor Suffraganeo carentibus, possint absque ullo indulto suos subditos promovere ad Ordines tam minores, quam sacros, si intra limites eorumdem Episcopatuum Ordinationes instituant? ℟. affirmative; nam, præter praxim, ita in terminis resolvit Sacra Concilii Congregatio *in Tusculana Ordinationis*, *sub diebus* 29. *Januarii*, & 28. *Maji anni* 1695. & firmat etiam Eminentissimus Petra *in Comment. ad Constit.* 7. *Pii II. num.* 79. quia licet Alexandrina Constitutio statuat, promovendos ex dictis quatuor Episcopatibus, dirigi debere ad Urbis Vicarium, ac Romæ, & non alibi, ordinari, intelligendum id tamen est in ea tantum hypothesi, qua ipsi Cardinales Episcopi Ordinationes non habeant, cum tunc ob carentiam quoque Suffraganei, opus sit alio eos dirigere, in quo casu directio restricta est ad Urbis Vicarium.

62. Quæres 11. an iidem possint id peragere, non solum cum per se ipsos Ordinationes instituunt, sed etiam quando eas faciunt per quemcumque alium Antistitem Catholicum intra tamen terminos suorum Episcopatuum? ℟. affirmative; nam quilibet ex his Episcopis Cardinalibus potest Suffraganeum in suo Episcopatu, vel perpetuo, vel ad tempus deputare, cum hoc solo discrimine, quod Veliternensis, & Sabinensis, ob amplitudinem diœcesis, & animarum numerum arctentur ad Suffraganeos habendos, ut infra dicemus; reliqui vero ex sex Episcopis possint, sed non teneantur eos habere. Jam vero, si quilibet ex his committat Antistiti Catholico Ordinationem peragendam in sua diœcesi, constituit ad tempus talem Episcopum in sui Suffraganeum, & consequenter non impeditur ab Alexandrina Constitutione, quominus per istum suos subditos ad minores, & sacros Ordines in sua diœcesi promoveat. Addas, ita etiam resolutum fuisse a Sacra Congregatione Concilii *in antedicta Tusculana Ordinationis*; postquam enim in prima propositione habita *sub die* 29. *Januarii* responderit: *potuisse tamen Eminentissimum Episcopum impertiri licen-*

licentiam ordinandi Oratorem alteri Episcopo in sua diœcesi, servata in reliquis Constitutione Alexandrina: in secunda propositione *sub die* 28. *Maji*, ad primum dubium sic reformatum, *An orator possit licite ordinari etiam ad Sacros Ordines in Civitate Tusculi a Suffraganeo Veliternen. de licentia Eminentissimi Episcopi Tusculani*? Respondit *affirmative*. Animadvertendum tamen, quod promovendi ab ipsismet Cardinalibus Episcopis, vel de eorum licentia ab alio Antistite intra limites dictorum Episcopatuum, tenentur servare respective Constitutionem Alexandrinam quo ad Exercitia spiritualia decem dierum in domo deputata in Urbe, si fuerint subditi talium Episcopatuum, ut constat ex supradicta resolutione Sacræ Congregationis.

63. Quæres 12. an Episcopi Suburbicarii possint immediate per se ipsos Ordines saltem minores conferre suis subditis in proprio palatio Romæ existente? ℞. Olim in alia editione affirmative censueram, juxta ibidem præjacta fundamenta: quibus positis, nec Alexandrinam Constitutionem, nec Tridentinam legem lædi putabam. Nunc vero Benedictus XIV. in sua Epistola data ad Cardinalem Vicarium Guadagni *die* 15. *Februarii anno* 1753. aliter sensit, & id expresse prohibuit; ideoque & ego aliter sentio, & ab usu ejusmodi prætensæ potestatis omnino abstinendum est.

64. Declaravit tamen idem Pontifex *in* §. *Terminiamo*, sub finem suæ Epistolæ, hanc suam prohibitionem, qualificationem, mandatum &c. procedere quo ad collationem Ordinum majorum, & minorum, non vero quo ad collationem primæ Tonsuræ.

65. Quæres 13. utrum hi sex Episcopi Cardinales possint legere libros prohibitos? ℞. Videtur, quod non. Nam Cardinales etiam comprehenduntur prohibitione librorum, quæ est *in Can.* 1. Bullæ Cœnæ, ejusque censura ligantur; ut quamplures Doctores communiter docent, ac præcipue Ugolinus *de Censuris p.* 2. *in Glos.* Farinac. *quæst.* 180. *num.* 11. Suarez *disp.* 21. *de Cens. sect.* 2. *num.* 26. Carena, Albizi, aliique: unde Card. de Lugo *de Fide disp.* 21. *sect.* 2. ajebat: *Certum est, omnes, præter summum Pontificem, ligari hac censura, cum illi solum excipiantur in Bulla, qui facultatem a Sede Apostolica habeant, quæ exceptio omnes alios excludit, quicumque illi sint*. Iidem ea etiam librorum prohibitione comprehenduntur, quæ extat in Indice librorum prohibitorum, sive prohibiti sint in prima, sive in secunda, sive in tertia classe. Ratio est; quia ex Fagnano *in Cap. Ne pro dilatione, de pœn. & remiss. num.* 58. in his quæ concernunt salutem animæ, Cardinalis non differt a quolibet populari, ac propterea iis legibus comprehenditur, quæ ad salutem animæ pertinent. Neque refert assertio Joannis Monachi *in Cap.* 1. *num.* 1. *de Schism. in* 6. ubi docet, Cardinales, cum ob dignitatis prærogativam, qua cæteris præstant, sint speciali nota digni, in clausulis generalibus non comprehendi, nisi specialiter exprimantur: nam in primis, si hoc subsisteret, inquit Felinus apud Fagnanum *loc. cit.* sequeretur, ut fere nulla lex canonica ligaret Cardinales, cum rarissime de illis fiat mentio; quod sane esset maximum absurdum: deinde ea Joannis Monachi doctrina, teste Sarnen. aliisque apud Fagnanum, non procedit, ut ajebam, quando lex, seu dispositio respicit fa-

vorem publicum, & animæ utilitatem, vel periculum; quia tunc complectitur etiam Cardinales: secus quando sermo est de aliis legibus, & constitutionibus, ut observavit Card. Albizi *cap.32.num.45.* & hæc videtur communis resolutio. Idem in casu de prohibitione librorum confirmatur ex eo, quod Clemens IX. uti testatur Card. Albizi *de Inconst. in Fide cap.30.* indulserit Cardinalibus supremis Inquisitoribus, ut libros prohibitos, cujuscumque generis sint, legere possint: unde pronum est colligere, eos ratione Cardinalatus non eximi a lege prohibitiva librorum.

66. Nihilominus respectu horum sex Episcoporum Cardinalium limitanda aliquatenus est sententia negans ipsis potestatem legendi libros prohibitos; nam, cum hi sint veri Episcopi habentes Clerum & populum Christianum, atque idcirco ad ipsos spectet noscere quæ sint bona pascua, & quæ noxia, ut possint pascere gregem sibi creditum, existimarim cum Card. Albizi *cap.30. n.204.* speculative, & per se loquendo, eos posse legere libros prohibitos pro necessitate & tempore; siquidem, supposito Episcopatu cum actuali cura animarum, habent ipsi ex jure naturali, & ratione muneris, potestatem ad ea, quæ pro tempore fuerint necessaria ad hoc, ut granum excutiant a palea, ut zizanium separent a frumento, ut errores damnent &c. & quamvis per varias Constitutiones Pontificum ipsis etiam sint ademptæ omnes licentiæ ac privilegia relate ad talem lectionem, quæ olim habebant a Sede Apostolica, non tamen idcirco adempta est ea potestas, quæ, supposito Episcopatu, de jure naturali, & ratione muneris, in ipsos dimanat. Confirmatur id ipsum ex Concilio Carthaginensi IV. ubi statuitur, Episcopum debere legere libros Hæreticorum pro necessitate & tempore: sic enim ibi *can.16.* habetur: *Episcopus Gentilium libros non legat, Hæreticorum autem pro necessitate & tempore.*

67. Dixi, speculative, & per se loquendo: nam secus putarim, practice loquendo. Etenim, cum in his sex Episcopatibus prope Urbem raro occurrat, Deo dante, ejusmodi necessitas legendi libros Hæreticorum, &, si forte occurrat, facilis atque expeditus sit recursus ad Sanctam Sedem pro opportuna licentia, non videtur, practice posse ad usum redigi talem potestatem, sed procurandam esse licentiam a S. Sede; nam, ut in simili observat Suarez *de Sacr. disp.81. sect.3. in casu necessitatis non est prætermittenda legitimi Superioris facultas, si peti possit; si autem non possit, tunc sufficit sola necessitas:* præsertim cum ipsimet Germaniæ Episcopi, teste Reiffenstuel *p.5. tit.6. num.56.* quamvis inter vicinos Hæreticos sint, ejusmodi licentiam a Summo Pontifice postulent, eamque specialiter sibi concessam ordinarie habeant.

68. Quæres 14. utrum hi sex Cardinales Episcopi, Romæ residentes, possint ibidem sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario Romano? ℟. Negativam olim sententiam docui in meo Opusculo *de Cardinalibus*, quod inter alia Romæ a me edita Opuscula est numero primum, ductus ex novissima Constitutione SS. D. N. Benedicti XIV. quæ incipit *Apostolica Indulta &c.* super qua ita argumentabar. Hæc Constitutio decernit, approbationem Confessarii eligendi ab omnibus & singulis personis privilegiatis si ve

ex

ex Bulla Cruciatæ, sive ex Jubilæo, sive ex speciali Indulto concesso alicui cœtui, & Congregationi, debere esse Episcopi diœcesani loci. Atqui Indultum speciale concessum Episcopis, & Cardinalibus quo ad electionem Confessarii, est Indultum speciale concessum uni cœtui, & tàm Episcopi, quam Cardinales sunt personæ privilegiatæ ex speciali Indulto concesso cœtui Episcoporum, & Cardinalium. Ergo respectu etiam istorum approbatio Confessarii eligendi debet esse Episcopi diœcesani loci. Sic, inquam, argumentabar.

69. Verum Illustrissimus Archiepiscopus Tria in suis doctis adnotationibus ad Platum *de Cardinal.* me de hoc amice reprehendit, & docet, perstare adhuc privilegium Episcoporum, & Cardinalium eligendi in Confessarium quemcumque Sacerdotem etiam nunquam approbatum, dummodo idoneum; sed, ea reprehensione non obstante, puto, diligenter inspiciendum esse, an, & quatenus huic sententiæ obstet tenor citatæ Constitutionis Benedictinæ, incipientis *Apostolica Indulta &c.* & pariter inspiciendum, an, & quatenus eidem obstet ratio suadens, Sacerdotem eligendum in Confessarium oportere esse idoneum, talemque idoneitatem deduci ex præsenti approbatione Episcopi localis, vel saltem ex approbatione semel olim habita ab aliquo Episcopo: ex Suarez **tom.4.de Relig.pag.mihi 696. num.18.**

70. Quare, ne prorsus dissentiam a citato Auctore me reprehendente, censuerim cum Fagnano *in Cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiss. num.66.* omnes Cardinales, & præsertim sex hos Episcopos posse etiam Romæ sibi eligere in Confessarium quemcumque Sacerdotem sæcularem (de Regulari enim attendenda est Constitutio Clementis X. *Superna*) semel, vel pluries approbatum ab aliquo Ordinario, etiamsi non fuerit approbatus ab Ordinario urbis, seu loci, in quo ipsi sint. Imo, si ipsi existant in suo Titulo, aut in sua Legatione, aut etiam in suo palatio (quod Romæ Titulo adhærere jus fingit), poterunt ipsimet approbare Sacerdotes vel sibi subditos in quos habent quasi Episcopalem jurisdictionem, aut Episcopalem, vel alios etiam dummodo idoneos, & apud illos ibi confiteri, ut dicebam in citato meo Opusculo. Vid. Illustriss. Archiep. Tria *loc. cit.*

71. Quæres 15. utrum alii, præter domesticos & familiares horum sex, vel aliorum etiam Cardinalium, audientes die festo Missam in Cappella palatii ipsorum Romæ, vel alibi existentis, satisfaciant præcepto Ecclesiastico de audiendo Sacro? ℟. Quæstionem hanc nunquam proposuissem, utpote quæ proprie ac peculiariter non spectet ad hos sex Cardinales, sed ad alios omnes, imo & ad nonnullos Prælatos in Romana Curia specialiter privilegiatos, de quibus locupletissime tum Card. Brancacci in suo celebri Tractatu *de Cappella Cardinalitia*, tum alii quamplures solide scripserunt. Nihilominus visum est eam hic proponere, ut difficultates nonnullas diluerem, quas a viro clarissimo & pereruditio hac super re nuper excitatas legi, & quæ meam possent in Opere *de Protonotariis* editam doctrinam non leviter labefactare.

72. Docet hic quippe Scriptor clariss. ad satisfaciendum præcepto de audiendo Missam in die festo necesse esse de jure communi, ut ea audiatur in Ec-

clesia, seu in loco cultui Divino permanenter destinato; unde deducit, privilegium alicui concessum Oratorii domestici, vel Altaris portatilis, suffragari illi quidem, & aliis in privilegio expressis in ordine ad satisfaciendum præcepto per auditionem Missæ, vel celebrationem in tali Oratorio, seu Altari portatili; at nequaquam suffragari extraneis, & non expressis in privilegio. Quia porro videbat sibi obstare exemplum Oratorii Episcopalis, vel Altaris portatilis, in quo celebret Episcopus, siquidem omnes tam familiares, quam extranei, Missam ibidem celebratam audientes, sine controversia præcepto satisfaciunt, ipse subjungit disparitatem esse; quia audientes Missam in Oratorio Episcopi, qui est caput diœcesis, & coram illo, qui est Pastor, celebrante in Altari portatili, quamvis non audiant in Ecclesia, audiunt tamen publico modo, & exhibent Deo cultum publicum, prout exigit jus commune: secus vero contingit, quando auditur Missa in alterius Oratorio domestico, vel alio Sacerdote celebrante in Altari portatili; tunc enim, nisi quis fuerit exprese privilegiatus, non audit publico modo, & consequenter non satisfacit præcepto.

73. Deinde negat prorsus valere hanc illationem: *Nulla est lex, vel clausula in privilegio prohibens, ab hoc, vel illo satisfieri præcepto per Missam in hoc, vel illo loco auditam. Ergo quisquis Missam audit in hoc, vel illo loco, satisfacit præcepto.* Negat, inquam, valere hanc illationem, ac proinde exigit expressum & positivum privilegium, ut quis Missam audiens extra Ecclesiam, satisfaciat præcepto.

74. Hæc omnia nititur probare tum allegatis aliquorum canonum textibus, qui alio plane collimant, tum auctoritate Pasqualigi, quem sæpius citat, tum in medium allatis aliquarum Oratorii concessionum formulis.

75. Verum, pace tanti viri quem summopere veneror, longe aliter prorsus rem se habere existimarim. Nam, si allatis hisce argumentis vis aliqua inesset, consequens fieret, ut nec audientes Missam in Cappella, vel Altari portatili Episcopi extra ipsius diœcesim, nec audientes in Cappella Cardinalium, nec audientes in Cappella intra domos Regularium, vel Missionariorum privilegiatorum, satisfacerent præcepto de audiendo Sacro in die festo; etenim non audirent in Ecclesia, vel in loco destinato cultui Divino permanenter, non audirent coram eo qui est caput illius diœcesis, non audirent in loco, cui exprese a Pontifice datum sit, ut ibi Missam audientes præcepto satisfaciant. Hoc autem communiter negatur, ut infra ostendam; quandoquidem Cappella Episcopi etiam extra diœcesim, Cappella Cardinalium, Regularium &c. dicitur Cappella publica, ad differentiam domesticorum Oratoriorum, ut recte expendit Card. Petra *ad Const. 2. Pauli II. num. 91. & 96.*

76. Quare censeo in primis, allata argumenta nullius, vel certe levis esse ponderis. Etenim ad primum quod attinet, unumquemque scilicet ex jure communi obligari ad auditionem Missæ pro die festo in Ecclesia, seu loco Dei cultui permanenter destinato, id omnino gratis asseritur; nam eximius Doctor Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 1.* contrarium sic firmat & probat: *Dico primo: Nullum est præceptum speciale colendi Deum in tali loco, scilicet in Ecclesia,* *vel*

vel Templo, nisi quatenus actio aliqua Divini cultus legitime exerceri non potest extra talem locum. Si hæc conclusio intelligatur, stando in naturali jure, est manifesta: quia jus naturæ non determinat certum modum cultus externi dandi Deo, ut supra est ostensum: ergo nec circumstantiam loci determinat. Et huc spectat illud Joannis 4. Spiritus est Deus, & in Spiritu, & veritate debet adorari: ideoque ex se non determinat locum, quia ubique est, omnia prospicit, licet ex parte nostra, idest ejus qui colit, vel eorum coram quibus colit, prudentem circumspectionem requirat, ut locus sit aptus, & sine impedimento. Si vero intelligatur conclusio de jure positivo, ut præcipue intelligenda est, sic declaratur primo in præcepto audiendi Missam, quod fere est unicum de cultu externo datum omnibus Fidelibus. Illud ergo præceptum de se non obligat ad dandum illum cultum Deo in Ecclesia, seu Templo, quia hoc non ponitur in verbis, & forma præcepti; jubemur enim audire Missam in Dominicis, & diebus festis, non vero in Ecclesiis, vel Templis. Sed hoc aliunde necessarium est, quia Ecclesia alias præcipit, Missas non dici extra Ecclesiam, juxta modum declaratum & tractatum in disp. 81. sect. 4. Unde quacumque ratione cesset hæc necessitas, quia contingat invenire Missam extra Ecclesiam, ut in privato Oratorio, vel in campo, sub dio, vel tentorio, illam ibi audiendo (intelligas per se loquendo) *impletur præceptum audiendi Missam, quamvis in Ecclesia non audiatur.* Hactenus Suarez, cujus doctrina, ut liquido constat, limitanda est, nisi expresse contrarium disponatur, ut contingit in domesticis privatis Oratoriis. Suffragatur cum aliis eximio Doctori Eminentissimus Card. Brancacci *in cit. Tract. de Cap. Card.* ubi sic ait: *Huic favet sententiæ præcipua animadversio; scilicet, constitutionem Ecclesiasticam de Missa audienda in festis de præcepto ex dispositione Cap. Si quis etiam &c. de Consec. dist. prima, Can. Omnes Fideles, & Can. Missas ead. dist. Cap. Conquestus, de feriis, & in actis Martyrum Africæ, de quibus Baronius ad annum 303. num. 48. non arctare Fideles, ut in tali, vel tali loco illi assistant, si expresse contrarium non disponatur, ut advertunt Azorius, & Molfesius cum aliis, sed simpliciter, ubi rite celebratur.*

77. Præiverat Card. Brancaccio Card. Toletus, qui *in Summa libro 6. cap. 7.* expresse sic docuerat: *Satisfit enim præcepto de audienda Missa, quamvis domi, & extra Ecclesiam audiatur, aut in Ecclesia audiatur aliena, ut dicit Sylvester verb. Missa qu. 2. §. 5. & Tabien. verb. Missa §. 51.* Quare non video, quid sibi velit prælaudatus Auctor, cum auditionem Missæ de jure communi in Ecclesia faciendam esse contendat. Deinde, quod prælaudatus Auctor supponat, ut satisfiat præcepto de audienda Missa, hanc audiendam esse publico modo, atque idcirco putet, satisfieri per Missam auditam in Cappella Episcopi diœcesani, quia audiens coram Episcopo, capite illius diœcesis, censetur audire publico modo &c. omnino negandum est tale suppositum: non enim ex vi præcepti de audiendo Sacro tenentur Fideles publico modo, vel privato illud audire, sed quantum est ex parte modi, duo dumtaxat requirunt Doctores communiter ad satisfaciendum huic præcepto: alterum pertinet ad exteriorem actionem, & consistit in hoc, quod quis secundum moralem & corporalem præsentiam Missæ assistat; alterum spectat ad interiorem dispositio-

nem

nem animi, eaque ſtat in hoc, quod quis intendat Miſſam audire, & attendat ſaltem virtualiter & confuſo modo. Ita Suarez *diſp.*88.*de Sac. ſect.*3. Toletus *lib.*6. *cap.*6. Caſtropalaus *tract.*12. *p.*16. teſtans, ſe loqui ex ſenſu omnium Doctorum. Unde S. Antoninus 2.*p. tit.*9. *cap.*10. §.2. docuit, audire Miſſam (& quidem quo ad ſatisfaciendum præcepto tum ex parte materiæ, ſeu objecti, tum ex parte modi) conſiſtere in eo, quod quis ſit præſens Miſſæ, & vacet Deo: Sylveſter *v.Miſſa* 2. *q.*6. quod quis corpore adſit, & mente attendat. Quamobrem talis ſuppoſitio non ſubſiſtit, nec vim ullam habet.

78. Ad ultimum, ubi citatus Auctor negat valere hanc illationem: *Nulla eſt lex vetans ſatisfieri præcepto de audienda Miſſa per auditionem factam in tali loco: ergo ſatisfacit Miſſam audiens in tali, vel tali loco*: ubi, inquam, id ipſe negat, & conſequenter exigit poſitivam conceſſionem ſatisfaciendi præcepto per Miſſam auditam in tali, vel tali loco, optime jam olim repoſuit Eminentiſſimus Card. Brancacci *in Opuſc. de Cappel. Card.* §. *Tum & ſecundo*, cujus ipſe verba exſcribam. Statuerat quippe doctus hic Cardinalis, exteros etiam, nedum familiares & domeſticos, ſatisfacere præcepto, audientes Miſſam in Cappella Cardinalitia; & id probaverat ex eo, quod Cappella Cardinalitia ſit ad inſtar Eccleſiæ: deinde hanc ſecundam rationem ſubjungit: *Tum & ſecundo, quia hoc prohibitum non reperitur, & cum non ſit de natura prohibitorum, quia mala, videtur conceſſum: Cap.* 1. *de Procur. in* 6. *l.* 1. *ff. eodem, l. Quod non* §. *Quod eis ff. quibus cau. major. cum ſimilibus, in quibus conceſſum intelligitur, quod expreſſe non prohibetur: Cap. Si non licet* 23. *q.*5. *Cap. Inter corporalia, de tranſlat. Epiſc. ubi Gloſſa in verb. non invenitur; & e contra, quando Pontifex id vetitum voluit, expreſſit, ut in conceſſionibus pro privatis Oratoriis, in quibus aperte cavetur, ut tantum pro domeſticis deſerviant, neque exteri ibidem ſe præcepto Eccleſiæ exſolvere poſſint, ſi aderunt, ut ait Quaranta.* Hactenus Eminentiſſimus Brancacci, qui probe intellexerat, valere hanc illationem: *In privilegio abſolute & indefinite conceſſo non prohibetur extraneis ſatisfacere præcepto Miſſæ per ejus auditionem in tali loco: ergo per auditionem in tali loco ab extraneis præcepto Miſſæ ſatisfit.*

79. Nec refert, eſſe aliqua privilegia ſpecialiter conceſſa per Conſtitutiones Apoſtolicas alicui cœtui Prælatorum, quæ licet careant præfata expreſſa prohibitione, habent tamen hanc clauſulam: *in illorum, & domeſticorum & familiarium ſuorum præſentia &c.* unde videtur Pontifex reſtringere poteſtatem ſatisfaciendi præcepto ad ſolos domeſticos & familiares, præſertim cum Pontifex, quando vult, Miſſam celebratam in uno loco prodeſſe ad effectum ſatisfaciendi præcepto omnibus intereſſentibus, id ipſe exprimat, prout conſtat ex Brevi Altaris portatilis conceſſo a Paulo V. Magno Magiſtro Hieroſolymitanæ Militiæ, in quo adhibetur hæc clauſula, *in tui, ac familiæ tuæ, & eorum qui ibi adeſſe contigerit, præſentia &c.*

80. Non refert id, inquam. Nam in primis privilegium Cappellæ Cardinalitiæ aliter ſe habet, nec eam diſcretivam continet, prout videre eſt *in Cap. ult. de privilegiis in* 6. nec ex uno privilegio valet illatio ad aliud; nam tritum eſt, a diverſis non valere illationem, *l. Papinianus ff. de minoribus*. Deinde

de etiam stando in puncto privilegii concessi cum ea discretiva, at carentis expressa prohibitione, ne etiam exteri satisfaciant, adhuc subsistit, exteros præcepto Missæ in eo Oratorio satisfacere. Probo hoc. Nam unica ratio, ob quam nequeant exteri satisfacere præcepto in Oratorio aliquo, est prohibitio Pontificia, quæ excludendo exteros a tali loco tanquam non idoneo ad ibi satisfaciendum præcepto, inducit consequenter obligationem audiendi in Ecclesia, vel in alio loco, qui non sit Oratorium illud; hac enim deficiente prohibitione, stat, quod quilibet Fidelis, ubicumque Missam audiat, præcepto Ecclesiæ satisfaciat, ut supra dicebam, & docent communiter Doctores, S. Anton. *p.*2. *cap.*10. §.1. Sylvester *v.Missa* 2. *q.*5. Medina *lib.*1. *Instit. cap.*14. §.9. Tolet. *l.*6. *cap.*6. Layman *tr.*7. *cap.*3. *n.*2. Suarez *loc. supra cit.* & *de Sacr. disp.*88. *sect.*2. aliique; quamvis aliter senserit Pasqualigus. Sed sic est, quod in privilegio concesso cum ea discretiva, *in tua, & familiarium præsentia*, at carente expressa prohibitione satisfaciendi relate ad exteros, non adest hæc prohibitio Pontificia satisfaciendi relate ad exteros. ut patet. Ergo &c.

81. Replicabis fortasse, prohibitionem implicite adesse in ea discretiva, *in tua, & familiarium tuorum præsentia &c.* Sed contra: nam, quod hæc prohibitio implicite contineatur in ea discretiva, pendet ex mente Pontificis concedentis privilegium; de qua cum non constet, investiganda est per regulas tradi solitas a Canonistis, videlicet mentem dignosci ex proprietate verborum, adjuncto stylo concedentis. Jam vero proprietas verborum in casu de quo agimus, est, quod concessio facta uni, non sit prohibitio facta alteri, & stylus concedentis est, quod, quando ille in concessione Brevis Oratorii pro domesticis privatis Oratoriis vult prohibere, ne satisfiat præcepto ab aliquibus ibi Missam audientibus, id expresse prohibet per solitam clausulam: *Volumus autem &c.* Unde, cum in casu nostro id non habeatur, adhærendum videtur recepto Glossæ axiomati: *Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur*: & alterius etiam Glossæ, seu Joannis Andreæ: *Omnia concessa intelliguntur, quæ non sunt expresse prohibita*. Id quod addebatur de Brevi concesso Magno Magistro Melitensi cum ea clausula expresse dante licentiam extraneis satisfaciendi præcepto per auditionem Missæ in eo Oratorio, duas habet responsiones. Prima est, stylum non resultare ex uno, vel altero actu, sed ex pluribus: ut constat *ex l.* 1. *Cod. quæ sit*, & *Instit. de jur. nat.* Secunda est, quod concessio ac dispensatio expressa aliquando fiat, non ex necessitate, sed ad majorem conscientiæ quietem: unde ex tali Brevi nec deducitur, stylum Curiæ esse, ut exprimatur in concessione Oratorii facultas satisfaciendi præcepto, quoties ea conceditur, nec expressam aliquando concessionem supponere præcisam ejusdem ad talem effectum necessitatem.

82. Expeditis hisce argumentis in contrarium, censeo, non solum domesticos & familiares, sed alios etiam quoscumque audientes Missam in Cappella horum sex, & aliorum Cardinalium, sicut etiam in Cappella Episcoporum extra eorum diœcesim, & aliorum similiter privilegiatorum, satisfacere præcepto Ecclesiæ de audiendo Missam in die festo. Ratio quo ad Cardinalium Cappellam est multiplex, allata in suo citato Tractatu ab Eminentissimo Brancacci,

cacci: ac primo quia Cappella Cardinalium est quo ad hunc effectum ad instar Ecclesiæ, in qua omnes admitti debent; secundo quia hoc prohibitum non reperitur; tertio quia non deest Pontificum interpretativa concessio, qui Cardinales cum fuerint, hoc admiserunt, nec illud prohibuere Pontifices creati. Quo ad Episcopos extra diœcesim, adest responsum Sac. Congregationis, quæ *die* 22. *Septembris* 1640. declaravit, quod interessentes Sacrificio Missæ in privato Episcopi Sacello satisfaciant præcepto Ecclesiæ tam in diœcesi, quam extra. Quo ad alios similiter in jure privilegiatos constat; quia in eorum privilegio deest unica ea ratio, propter quam nequeat quilibet Fidelis ibi audiens Missam præcepto satisfacere; nempe deest prohibitio expressa Pontificis, & consequenter deest ab eo latum præceptum de Missa alio in loco audienda. Ubi advertas, duo esse, quæ in hac re nonneminem decipiunt. Alterum est, quod privilegium Cardinalium, & aliorum, de quibus hactenus locuti sumus, perinde accipiat, ac privilegium de privatis Oratoriis in domibus sæcularium; cum aliud omnino illud sit, nec a diversis valeat illatio. Alterum est, falso, ut supra dicebam, supponi universalem Fidelium obligationem esse audire Missam in Ecclesia, vel alio loco cultui Divino permanenter destinato; cum id in jure non habeatur: & quamvis olim audienda esset Missa in Parochia, nunc tamen (ut cum communi docet Sylvester *v. Missa* 2. *q.* 5.] *ubicumque Missa audiatur, etiam in domo privata, est satisfactum præcepto ratione consuetudinis scitæ & toleratæ, & rationabilis, & præscriptæ*. Intelligas semper, nisi aliter hic & nunc a Pontifice disponatur. Notat apposite Card. Petra *tom.* 2. *ad Constit. VIII. Honorii III.* debere ab omnibus privilegiatis Oratorium cum Altari constitui in loco decenti, & visitari ab Ordinario loci, antequam erigatur, & ibi celebretur; quod tamen non intelligitur de Oratoriis Cardinalium, Episcoporum, & in jure privilegiatorum, ut bene notat Brancacci *cit. Opusc.*

83. Quæres 16. an plures Missæ, etiam in festis solemnioribus, possint in ejusmodi Cappellis Cardinalium, Episcoporum, & similiter in jure privilegiatorum celebrari, etiamsi non adsit Cardinalis, vel Episcopus &c.? ℞. Affirmative olim resolverat Eminentissimus Cardinalis Brancacci *loc. cit.* & Clericatus *de Euch. decis.* 8. Nunc etiam lego affirmativam doceri ab Eminentissimo Lambertino, nempe SS. D. N. Benedicto XIV. hic enim *in tom.* 8. *Operum* docet, Episcopos, & Cardinales in suo domestico Sacello plures Missas a quibuslibet idoneis Sacerdotibus, etiamsi ipsi non adsint, celebrari facere ex ipsorum placito posse qualibet anni festivitate. Id autem extendi etiam ad similiter in jure privilegiatos, non est ambigendum; cum de iis, ut supra vidimus ex Card. Petra, pariformiter res procedat. Quare nihil causæ est, ut immorer in iis solvendis objectionibus, quas ex Pasqualigo congessit citatus recentior Scriptor. De his satis.

84. Quæres 17. quænam Beneficia possint in suis Episcopatibus conferre hi sex Cardinales Episcopi? ℞. posse ea omnia conferre, quorum ipsi tanquam Episcopi sunt ordinarii collatores, tam cum cura, quam sine cura animarum, vacantia in omnibus anni mensibus, dummodo absit reservationum, vel affectionum obstaculum: reservantur enim Sedis Apostolicæ dispositioni Beneficia

post

post Pontificalem dignitatem majora; item Consistorialia, & Conventum habentia, ac quorum fructus taxati reperiuntur in libris Cameræ Apostolicæ; necnon Beneficia familiarium Papæ, ejusque Officialium, Conclavistarum, aut reservata ratione vacationis apud Sedem Apostolicam, vel affecta, ac familiarium S. R. E. Cardinalium, aliaque similia, de quibus videantur Riganti, & Card. de Luca rem fuse tractantes.

85. Quæres 18. utrum hi sex Episcopi Cardinales possint in suis respective Episcopatibus conferre Beneficia, quando ipsi absunt a Romana Curia, & quamdiu eorum absentia duraverit? ℞. videri, quod sic: quia hi Cardinales majori prærogativa digni sunt, quam cæteri: atqui cæterorum Cardinalium Beneficia non reservantur quocumque mense vacent, quamvis ipsi a Curia absentes sint, ut constat ex regula 8. Cancellariæ: ergo &c. Dicendum tamen est, sex hos Cardinales Episcopos Suburbicarios, quando absunt a Romana Curia, subjacere regulæ septimæ Cancellariæ quo ad reservationem Beneficiorum in suo respective Episcopatu, ac propterea eorum provisionem, durante ipsorum absentia, spectare ad Sedem Apostolicam. Ita Garcias *5. p. de Benef. cap. 1. n. 404.* Gonzalez *glos. 24. num. 142.* Barbosa *3. p. alleg. 57. n. 185.* aliique. Ratio est; tum quia hac reservatione voluit Pontifex eos monere, ut ejus semper lateri assisterent; tum quia eorum Episcopatus non multum distant a Romana Curia. Neque urget adducta ratio in contrarium; nam, ut bene notat Castropalaus *de Benef. disp. 2. p. 21.* esto digniores sint, & aliis præferri debeant, hoc tamen non obstat, quominus ob bonum Ecclesiæ in aliquo specialiter graventur, si tamen gravamen vocari potest hæc Beneficiorum reservatio. Limites positam assertionem, ut ea non procedat, quando illi absint a Romana Curia ex legitima causa, ut tradit Gonzalez. *glos. 24. num. 143.* aliique apud Castropalaum *loc. cit.* Oppositum tamen volunt recentiores.

86. Quæres 19. an tales Episcopi Cardinales in Curia possint conferre sine concursu Parochialem Ecclesiam, quæ vacaverit in sua diœcesi? ℞. non deesse qui doceant partem affirmativam, dummodo is cui confertur, fuerit examinatus ab Examinatoribus deputatis a Papa, vel ejus Vicario. Ita Germonius *tract. de Indult. Card. §. Quibusvis*, Massobrius *in Prax. habend. concurs. requis. 7. dub. 42.* Diana *part. 5. tract. 2. resol. 42.* nec censent obstare Concilium Tridentinum; quia, ut ajunt, Concilium exigens *sess. 24. de ref. cap. 18.* concursum in Parochialibus, *etiam vigore Indulti S. R. E. Cardinalium* conferendis, intelligendum est de Indultis extraordinariis, nempe circa ea Beneficia, quorum collatio spectat ad Cardinales ratione alicujus Abbatiæ, vel Dignitatis, quas possident in aliena diœcesi, non autem circa Indulta ordinaria, quo ad ordinariam videlicet collationem Beneficiorum sui Episcopatus, seu in diœcesi. Verum possint, necne, de facto sine prævio concursu Parochiales Ecclesias ii conferre, prout volunt citati Auctores, pendet, quantum ipse assequor, ex praxi, & stylo Curiæ, qui proinde est attendendus. Illud mihi exploratum est, quod Episcopi Cardinales sicuti possunt, Romæ existentes, & extra suam diœcesim, Beneficia etiam Parochialia conferre *per Cap. Novit 7. de off. Leg.* Jas. *ad l. Extra territorium 20. de jurisd.*

omn. Jud. Massob. *prælud.26. dub.5.* ita possint, saltem ex praxi quam vidi observatam, examen pro concursu Romæ in suo Palatio instituere, quamvis juxta Barbosam *alleg.60. num.44.* Gonzalez *gloss.10. num.31.* Flamin. *de Resignat. lib.8. cap.9. num.102.* peragendum illud sit in loco Beneficii, seu in diœcesi, ad quam Beneficium pertinet.

87. Quæres 20. utrum provisus de Beneficio ab Episcopo Cardinali in mense Apostolico, teneatur novam provisionem deinde impetrare a Sede Apostolica? ℞. Videtur, quod non: ita enim docent Garcias *de Benef. part.5. cap.1. num.37.* Tondutus *in Addit. ad 2. p. quæst. Beneficial. n. 42.* allegans *decis.530.* Sacræ Rotæ *in tom.3. Recentior.* & sic a Sacra etiam Concilii Congregatione fuisse declaratum testatur Card. Palæotus, uti refert Germon. *de Indult. Card.* Nihilominus contrarium tenendum est, ut constat ex Motu proprio Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. incipiente *Cum sicut accepimus*, sub datum Romæ *anno* 1741. dummodo tamen Beneficium excedat valorem 24. ducatorum, etiam nullis deductis oneribus. Quare provisus ab Episcopo Cardinali in mense Pontificio de Beneficio excedente prædictum valorem, tenetur ad impetrationem novæ provisionis a Dataria sub pœna impetrationis contra eum admittendæ cum decreto solius signaturæ, ac expeditione, si videbitur, etiam per viam de Curia, & derogationibus, aliisque &c. ut in eodem Motu proprio.

88. Quæres 21. utrum hi Episcopi Cardinales Romæ plerumque residentes possint subdelegare suis Vicariis, vel aliis idoneis Sacerdotibus in diœcesi existentibus facultates, quas ipsi habent a Tridentino, alioque jure sive absolvendi, sive dispensandi? ℞. potestatem delegatam a jure, si delegata fuerit in perpetuum ratione officii, aut dignitatis, æquiparari ordinariæ: unde regulariter subdelegari ea potest non tantum in casibus particularibus, sed etiam generaliter, nisi in concessione expressum sit, ut per se ipsum illam delegatus exerceat. Ita Glossa *in Cap. fin. de pot. Jud. delegat.* Covarr. *lib.3. variar. cap.20.* Sanchez *lib.2. de Matrim. disp.40.* Layman *de disp.* aliique quamplures.

89. Hoc posito, cum Episcopi habeant a jure Tridentini, aliisque juribus potestatem dispensandi in aliquibus irregularitatibus, absolvendi ab aliquibus censuris &c. & hæc potestas annexa sit dignitati Episcopali, non autem industriæ personæ, siquidem ad successorem transit, adeoque ad personas incognitas eam potestatem conferenti; consequens est, ut eam Episcopi, ac præsertim hi Episcopi Cardinales residentes extra suas diœceses, possint Vicario, vel alteri personæ idoneæ eam regulariter subdelegare.

90. Dixi, regulariter eos posse ejusmodi delegatam jurisdictionem cuilibet idoneo subdelegare, non semper; quia potest contingere, rem tanti momenti esse, ut debeat omnino a delegato expediri, nec alteri, præterquam suo Vicario, ab eo committi debeat. Sic potestas conferendi Beneficia, non potest Episcopus alteri committere, quam Vicario suo Generali; ut bene docet Glossa apud Sanchez *lib.2. disp.40. num.15. & seq.*

91. Quæres 22. an possint dare licentiam asservandi SS. Eucharistiam in Oratorio, vel Ecclesia alicujus Conservatorii Puellarum? ℞. Quamvis Episcopi

scopi possint dare licentiam, ut in Ecclesiis Hospitalium, Conservatoriorum &c. celebrentur Missæ, ut nuper scripsit Ligorius, & ratio sit, quia (ut loquitur Tamburinus *de celeb. Missæ lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. cum Lezana) Oratoria in domibus communitatis, non dicuntur esse in domibus privatis, sicut nec Cappellæ in publicis carceri bus, ut notat la Croix *num.* 264. cum Diana, & Quarto; nihilominus com munior ac recepta opinio est, non posse Episcopum dare licentiam asservandi in iisdem Ecclesiis Sanctissimum Sacramentum, sed requiri licentiam Sacræ Congregationis Concilii: tum quia Episcopus nequit dispensare in lege canonica universali, quæ extat *in Can. Tribus* §. *Tanta dist.* 2. *de Consecr.* ubi hæc habentur: *Tanta in Altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastino non serventur, sed cum timore, & tremore Clericorum, & diligentia consumantur*: tum quia hac super re interrogata Sacra Congregatio negative sæpius respondit. Et sic de facto sentiunt Squillant. *de Episcop. oblig. cap.* 22. Barbosa *de Potest. Episcop. alleg.* 22. *n.* 8. Genuensis *cap.* 110. ac præsertim Card. Petra *ad Const.* 1. *Urbani IV. n.* 29.

92. Dixi, communior ac recepta opinio est; non autem universalis. Non desunt quippe graves Doctores sentientes, posse Episcopum talem licentiam elargiri justa subsistente causa. Ita Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 11. *n.* 17. Clericatus *de Euchar. dec.* 60. *num.* 5. quibus favet Pasqualigus *de Sacrif. quæst.* 353. *num.* 4. si agatur de asservatione ad tempus, non stabiliter. Ratio esse potest I. quia canon ille allegatus, quo innituntur Auctores stantes pro negativa, hodie abrogatus videtur per contrariam antiquissimam consuetudinem asservandi in Sacrario Divinam Eucharistiam, de qua testatur Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 6. *de Euch.* unde pro asservatione non est opus, ut dispensetur in eo canone, sed præcise opus est, ut habeatur licentia legitimi Prælati pro asservatione in tali, vel tali Ecclesia, in tali, vel tali loco; ac propterea non est in casu allegabilis illa regula, quod inferior, qualis est Episcopus, nequeat dispensare in lege, seu canone Superioris, qualis est Pontifex: II. quia, licet verum sit, Sacram Concilii Congregationem sæpius respondisse, non inesse Episcopo potestatem concedendi licentiam de asservando Divinam Eucharistiam in Ecclesia Confraternitatis, vel Conservatorii Tertiariarum; verum etiam est, responsiones ejusmodi datas esse ad casus, & interrogationes particulares: unde, juxta multos Theologos, & Canonistas, habent quidem illæ vim obligandi in casibus iis particularibus, at exploratum non est, quod eamdem vim habeant universim, & in casibus similibus, nisi fuerint non solum Papa consulto & mandante editæ, sed etiam ejus mandato speciali solemniter promulgatæ, uti docent Salmanticenses *cap.* 3. *de Leg.* cum Tapia, Vasquez, Diana, Lezana, aliisque, ac propterea possunt fortasse adhuc Episcopi, qui non interrogarunt Sacram Congregationem, hanc sibi potestatem vindicare: III. quia demum Episcopus, ut Pastor ordinarius, cui incumbit adæquate regimen suæ diœcesis, potest, antequam a Pontifice lex aliqua constituatur, eas omnes licentias concedere, quæ ad commune regimen, & communem curam rerum sacrarum pertinent, ut notat Castropalaus *de dispens. punct.* 3 *num.* 9. Quare, cum asservatio Divinæ Eucharistiæ in hac, vel illa Ecde-

clesia, pertineat ad communem curam rerum sacrarum, nec hactenus hac super re Pontifex legem ullam certo tulerit, videtur Episcopus esse in possessione concedendi hanc licentiam.

93. Quod sane a fortiori procedit respectu Episcoporum Cardinalium: cum enim simus in casu, in quo lex canonica de non servanda Eucharistia in Ecclesia, juxta *cit. Can. Tribus*, vel abrogata sit, vel certe intelligenda hodie sit, non simpliciter & absolute, sed cum limitatione, scilicet ut non servetur sine licentia, & sine justa causa in hac, vel illa Ecclesia; jam non agitur de danda dispensatione, sed de danda licentia, seu ponenda conditione, qua posita, lex illa non obliget (differt quippe valde dispensatio a licentia): unde inquirendum unice illud superest, utrum Episcopi Cardinalès habeant potestatem, non quidem dispensandi in ea lege, sed dandi licentiam asservandi Eucharistiam, & sic ponendi conditionem, qua lex illa non obliget, habeant (inquam) hanc, necne? Negavit sæpius hanc potestatem inesse, ut dicebam, Episcopis Sacra Congregatio: sed, an talis declaratio Congregationis afficiat etiam Episcopos Cardinales, qui ut tales sunt speciali nota digni, nec iis omnibus generalibus dispositionibus comprehenduntur, quibus alii comprehenduntur Episcopi, nisi illæ respiciant favorem publicum, animæ utilitatem, vel periculum, ut firmat Fagnanus *in Cap. Ne pro dilatione, de pœn. & remiss. num.* 58. an (inquam) talis declaratio afficiat universim etiam Episcopos Cardinales? ipsi D. D. Cardinales Episcopi viderint. Equidem scio, ab Episcopo Cardinali fuisse olim cuidam Tertiariarum Conservatorio factam potestatem asservandi Eucharistiam, cum illæ ad instar severiorum Monialium observarent clausuram, nec pro communicandis Tertiariis infirmis satis per unicam illius oppidi Parochialem Ecclesiam videretur provisum: in quo nihil addiderim, nisi regulam illam juris: *Sæpe quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*.

CAPUT IV.

De obligationibus talium Episcoporum Cardinalium.

94. HOnor quilibet quantumvis maximus suum habet annexum non leve onus. Propterea Suburbicarii Episcopi Cardinalis potestas satis ampla suis non destituitur magni ponderis obligationibus. Quæ, & quot præcipue hæ sint, paucis in hoc capite expediam.

95. Quæres 1. utrum Suburbicarii Episcopi Cardinales teneantur ad personalem residentiam in suis respective Episcopatibus? ℞. Videtur, quod non: I. quia jam inde ab initio talium Lateranensium Cardinalium, ii nunquam fere in suis respective diœcesibus residentiam habuere, sed Romæ commorabantur, ut accurate ostendit Brancacci *in Opusc. de Optione Card.* proposito exemplo in Episcopis Card. Ostiensibus, quorum alii fuerunt Vicarii Papæ in Urbe, alii Summi Pontificis Vicecancellarii, alii Urbis moderatores &c. Accedit, quod toto eo ferme tempore, quo Pontifices Avenione degebant, harum Ecclesiarum Episcopi Cardinales deligebantur, & nunquam in iis permanebant. Imo constat, tales Episcopos Cardinales fixam Romæ habuisse suæ domus habitatio-

nem;

nem; adeo ut Honorius III. cum intellexerit, Episcopum Tusculanum proprio carere in Urbe palatio, illud ipsi & successoribus dono elargitus fuerit. *Cum Tusculanus Episcopatus*, inquit ipse in sua Epistola apud Ughellium, *habitaculum in Urbe non habuerit hactenus opportunum, Nos volentes tam tuis, quam successorum tuorum incommoditatibus, quæ ex hoc provenire poterunt, obviare, Ecclesiam S. Mariæ in Monasterio, de consilio Fratrum nostrorum, Episcopatui tuo jure concedimus &c.* Ex quibus perspicuum est, hos Episcopos Cardinales nec habuisse, nec habere obligationem residendi in suis respective diœcesibus.

96. II. Quia tales præcipue Cardinales Romano Pontifici cum debeant assistere, & cum Romanæ Ecclesiæ serviant, quæ cæterarum est mater, videntur esse in suis Ecclesiis virtualiter præsentes; unde ait Oldrad. *conf.46.* quod jus commune habet illos pro residentibus. Neque obstat Trident. *sess.23. de ref. cap.1.* præcipiens residere in sua Ecclesia Episcopos etiam Cardinales; nam, si ii degant in Romana Curia, & a Summo Pontifice discedere non jubeantur, tacita illa Papæ approbatio videtur a tali præcepto dispensatio, ut ait Germonius *de Cardin. §. Tibi quo ad vixeris, num. 10.*

97. III. Quia nonnulli opinantur apud Hurtadum *de Resid. tom. 1. lib. 2. resol. 7. num. 10.* quod hi sex Episcopi habeant jurisdictionem tantum delegatam a Papa, & is ordinariam in prædictis Ecclesiis, atque idcirco ipse Pontifex censeatur residere: quamobrem, cum Cardinales suis Vicariis delegatam quam habent jurisdictionem subdelegent, nil mirum, si a residentia ipsi excusentur.

98. Nihilominus præmittendum primo est, omnes Ecclesiarum Prælatos, vel Rectores, tam superiores, quam inferiores, non humano tantum, sed etiam Divino præcepto ad residentiam personalem obstringi, idest ad assiduitatem commorationis in loco Beneficii, causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi. Quod ex pluribus Sacræ Scripturæ locis efficacissime colligitur, verbisque ac menti Concilii Tridentini aptissime consonat, quamvis hoc ipsum a Concilio non sit expresse definitum.

99. Præmittendum est secundo ex S. Thoma, & Cajetano 2. 2. *quæst. 185. art. 5.* apud Layman *de Benef. tr. 2. cap. 6.* quod causa obligandi Ecclesiasticos Pastores ad residentiam personalem cum sit salus animarum; ideo, ubi hæc præsentiam Pastoris exigat, non potest Pastor gregem suum deserere propter aliquod suum commodum temporale, imo nec propter propriæ personæ periculum: cum bonus Pastor animam suam pro ovibus dare debeat, *Joan. 10.* Si vero Ecclesiæ atque subditis utilius, vel æque utile futurum est, ut Episcopatus, vel Parochia, ab absente viro docto, vel ab eo qui magnæ potestatis & auctoritatis est, per Vicarium administretur, quam si ab alio quopiam præsente, consideratis etiam aliis circumstantiis loci, temporis &c. in hoc casu obligatio personalis residentiæ cessat secundum jus Divinum, & manet tantum obligatio juris Ecclesiastici, in quo Papa dispensare potest sive in casibus particularibus, sive generali lege.

100. His diligenter prænotatis, dico primo. Suburbicarii Episcopi Cardinales tenentur, per se loquendo, tam jure Divino, quam Ecclesiastico, ad per-

personalem residentiam in suis respective Episcopatibus. Ita expresse Sanctarellus *in variis quæst. 2. num. 5.* Hurtadus *loc. sup. cit.* Brancacci *in Opusc. de Option.* aliique. Ratio facilis atque expedita est: nam ipsi sunt vere ac proprie Episcopi, & Pastores animarum: atqui ex nostro primo prænotato omnes Pastores animarum tenentur tum ex jure Divino, tum Ecclesiastico, ad personalem residentiam: ergo prædicti Episcopi ita ad id tenentur.

101. Dico secundo. Hæc residendi obligatio respectu prædictorum Episcoporum desiit per accidens esse de jure Divino, ac facta est de jure mere Ecclesiastico, in quo jure Pontifex dispensat, ac dispensavit circa hanc materiam justis & legitimis de causis. Assertio triplicem habet partem. Probatur prima pars. Episcopatus hujusmodi sunt Romæ proximi, & vel populo infrequentes, vel peculiaribus quibusdam pro animarum bono subsidiis destituti, vel ad dignitatem Episcopalem ibidem honorifice sustinendam redditibus parum instructi, adeo ut vel utilius, vel certe æque utiliter ab absente Episcopo Cardinali in Urbe commorante per suum Vicarium gubernentur, quam a præsente alio Episcopo non ejusdem auctoritatis, nec ejusdem experientiæ, & opum sufficientiæ, ibidem residente; ac propterea juxta secundum nostrum prænotatum cessat in his obligatio residentiæ personalis secundum jus Divinum, & per accidens manet dumtaxat obligatio juris Ecclesiastici; ut recte observat præ cæteris Eminentissimus Brancacci *in citato sæpius Opusc. de Optione*. Altera pars, nempe quod Pontifex dispenset, seu dispensaverit, probatur; nam Summus Pontifex Urbanus VIII. in suo Motu proprio *die 28. Novembris* 1633. sic ait: *Insuper Sanctitas Sua declaravit, dubium hactenus nullo modo fuisse, nec esse debere, residentiam Cardinalium Archiepiscoporum, ac Episcoporum extitisse, & esse apud alias Ecclesias Metropolitanas, seu Cathedrales sibi commissas, non autem apud sex Ecclesias Cathedrales Titulares eorumdem Cardinalium, in quibus Cardinales Ordine priores præesse solent &c.* Item idem Pontifex *in sua Constitutione* 60. excepit hos sex Cardinales a lege quam ibi statuit, ita ut ad residendum in suis respective Ecclesiis eos obligatos non agnoscat. Accedit nupera Clementis XII. Constitutio, in qua §. 9. aperte supponitur, horum Episcoporum Cardinalium residentiam esse in Romana Curia, ut Romano assistant Pontifici, quamvis ab obligatione (ut infra dicemus) suas Ecclesias, & diœceses visitandi minime eximantur; unde perspicuum est, Romanos Pontifices dispensare, vel dispensasse cum his super residentia personali. Tertia demum pars, videlicet quod justis & legitimis de causis dispensatio hæc processerit, late ac varie ostenditur a diversis probatis Auctoribus, mihi vero præcipue suadetur ex eo, quod hujusmodi Cathedrales admodum vicinæ & proximæ sint Urbi Romæ; nam, ut ajebat olim Torres *in tract. de commen. perp.* cum proxime in Urbe hi Episcopi commorentur, in sua Ecclesia videntur personaliter residere: *Sex*, inquit, *Episcopos Cardinales semper excipio, qui propter vicinitatem Ecclesiarum in ministerio Cardinalatus perpetuo esse possunt simul, & ab Ecclesiis suis non abesse*. Imo Clemens VIII. id ipsum censuit, quando Cardinali Bellarmino commonefacienti Pontificem de Episcopi Tiburtini, aliorumque non residentia, ipse respondit: *Tuscus* (idest Episcopus Tiburtinus) *residet*,

det, *quia qualibet hebdomada potest esse Tibure*. Quare vicinitas & proximitas talium Ecclesiarum satis congrua videtur fuisse causa & legitima, ut Pontifices a residentia exceperint sex hos Episcopos Cardinales. Hinc, stantibus his duobus, nimirum dispensatione Pontificia, & causa legitima ejusdem dispensationis, omnes ferme Auctores excusant hos Episcopos Cardinales ab actuali personali residentia in suis Ecclesiis, ut videre est apud cit. Card. Brancacci, Dianam, Sanctarellum, aliosque; quamvis iidem Episcopi, spectato jure Divino, ac per se loquendo, independenter ab his duabus enumeratis circumstantiis, tenerentur, sicut alii Episcopi, ad personalem actualem residentiam.

102. Neque obstant in contrarium adducta. Non primum; quia, dato & admisso eo puncto historico, de quo non vacat inquirere, Episcopi illi Cardinales qui olim non residebant, habuere justam fortasse causam non residendi, una cum tacita, vel expressa dispensatione Romani Pontificis, sicuti nunc nostri habent: de quolibet enim præsumi debet, quod sit bonus, & non malus, nec ex malitia ab officio suo discedat: Gloss. *in Cap.2. de scrut. in Ord. faciend. & in Cap. Dudum, de præsumpt.*

103. Non secundum; nam non desunt plures alii Cardinales qui in Curia assistant Pontifici; unde per hoc præcise non excusantur a residendo Episcopi Cardinales. Notat quippe Card. Cajetanus 2.2. *quæst.* 185. *art.* 5. quod si negotium universalis Ecclesiæ necessario exigeret Episcopum, tunc absentia esset rationabilis; sed, si negotium universalis Ecclesiæ non necessario exigat Episcopum, non excusatur Episcopus a residentia quo ad Deum. Quare etsi proprium censeatur Cardinalium Pontifici assistere, eumque præsenti consilio & opera juvare, tamen id commode fieri cum possit per alios, in quibus par prudentia, & dexteritas, rerumque usus sit, non excusantur præcise ex eo munere Episcopi Cardinales ab onere residendi, præsertim cum Episcopi Cardinales, ut notat Bellarminus ad Clem. VIII. hodie, non se Administratores, sed Episcopos dici velint Ecclesiarum, quibus præficiuntur.

104. Non denique tertium; quia ea opinio nullum habet solidum fundamentum, ac propterea ab ipso Hurtado tanquam falsa rejicitur; prout supra etiam rejecta est.

105. Quæres 2. utrum tales Episcopi Cardinales teneantur visitare suas respective diœceses suburbicarias? ℞. Videbitur fortasse, quod non; quia ex suppositione, quod sint dispensati a residentia, ac teneantur residere in Curia Romana, ut colligitur ex Fagnano 1. *part. de postulat. Prælatorum Cap. Bonæ memoriæ &c.* sequitur, esse etiam ab ejusmodi onere dispensatos; præsertim cum, teste Hieronymo Plato *cap.* 32. *de Card.* ut Cardinales ad quædam munera extra Romanam Curiam mittantur & adhibeantur, oportet, haud mediocre esse negotium, sed magnum, & arduum, nec privatum, sed publicum, ac vel ad totam Ecclesiam pertinens, vel certe ad præcipuam ejus partem.

106. Dicendum tamen, eos teneri vel per se, vel per alios suas diœceses visitare. Ita aperte constat ex Decreto Consistoriali sub Alex. VII. in quo sancitur, ut omnes sex Episcopi visitare teneantur proprias suas diœceses ad præscriptum sacrorum canonum, & Concilii Tridentini. Deinde constat ex Con-

Constitutione novissima Clem. XII. *Pastorale officium &c.* ubi §. 9. firmatur, teneri hos sex Episcopos Cardinales *Ecclesias, & dioeceses suas ad praescriptum sacrorum canonum, & decretorum Concilii Tridentini visitare per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium in spiritualibus Generalem, vel alium probum, & ad id idoneum virum Ecclesiasticum.*

107. Neque obstat, munus talium Episcoporum esse Romano Pontifici assistere, ab eoque nunquam nisi ob causam publicam divelli; nam expresse hujus assistentiae meminit Clemens XII. *loc. cit.* atque ea minime suffragante docet, praefatos Episcopos teneri ad visitandam dioecesim, *etiamsi*, inquit ipse, *in dicta Curia, ut Romano assistant Pontifici, commorentur*. Hinc nuperis temporibus vidimus Eminentissimum Card. de Ilcio ferme octogenarium semel atque iterum Sabinen. suam dioecesim, quae sexaginta numero aut oppida aut pagos complectitur, per asperos & salebrosos colles, maxima inter pericula, equo vectum, aut sella gestatoria, lustrasse, ea quidem diligentia in suae commoditatibus Ecclesiae conquirendis, ut ipsemet pueros, puellasque primis Christianae religionis rudimentis imbueret, ipse immensam populi multitudinem coelesti Pane reficeret, ipse demum pacificaret dissidentes, distraheret pellicatus, publice quovis in oppido Divina Mysteria, & optimi Pastoris munera obiret; ne suos scilicet aetas nostra Carolos, aut Salesios desideraret. Adeo senescente etiam Mundo heroicae charitatis & pastoralis curae absolutissima exempla non desunt.

108. Quaeres 3. utrum teneantur visitare Limina Apostolorum, & suae dioecesis relationem ad normam Sixtinae Constitutionis Romano Pontifici exhibere? ℞. affirmative. Ita enim expresse statuit in citata sua Constitutione *Pastorale officium &c.* felicis recordationis Clemens Papa XII. ac propterea ii tertio quoque anno visitationem praedictam explere, ac relationem exhibere tenentur; cum hoc tamen, quod tempus numerandum sit, non a die assumptionis, seu optionis ad Episcopatum, sed a publicatione Bullae Sixtinae: contrafacientes vero, seu omittentes debito tempore per se ipsos ad Limina accedere, vel saltem per alium, si legitimo detineantur impedimento, ut referant statum suae dioecesis, incurrerent ipso facto in suspensionem ab ingressu Ecclesiae, ab administratione temporalium & spiritualium, & a fructibus Ecclesiae Episcopalis &c. Neque idcirco excusarentur, quod sint Cardinales, qui non ligantur poena imposita universaliter omnibus; nam id intelligendum, nisi exprimantur. In Constitutione autem Sixtina exprimuntur etiam Cardinales, ut videre est apud Bonac. *de Cens. in part. disp. 3. quaest. 5. punct. 6.*

109. Quaeres 4. utrum teneantur constituere Vicarium Generalem in sua respective dioecesi? ℞. Videtur, quod non. Quando enim nulla urget necessitas, propterea quia dioecesis parva est, vel quia Episcopus ita est industrius & exercitatus in negotiis gerendis, ut per se solus omnia commode agere possit, quae ad munus Episcopale pertinent, tunc Episcopus nec debet, nec cogi potest constituere sibi Vicarium Generalem, ut plures Doctores firmant contra alios apud Leurenium *de Vicar. cap. 1. quaest. 27.* Cum autem talium Episcoporum dioeceses, una excepta Sabinensi, sint satis exiguae, & ejusmodi

Epi-

Episcopi sint in negotiis Ecclesiasticis capessendis, vel gerendis consilio ac peritia præ cæteris præditi, non est quidquam causæ, ut Vicarium Generalem sibi asciscere obligentur.

110. Dicendum tamen est, eos ex quadam naturali ratione teneri Vicarium Generalem in propria diœcesi constituere. Ratio est; quia ipsi propter multitudinem occupationum, quas ex Cardinalatu habent in Curia Romana, etsi diligentissimi sint, tamen per se solos plerumque non sufficiunt omnibus negotiis saltem commode expediendis, quæ ad regimen Episcopale, & curam animarum pertinent. Accedit, quod, residentibus ipsis in Curia Romana extra diœcesim, ratio quædam naturalis exigit deputationem Vicarii intra diœcesim, ut justitiæ, litigantibus, & rebus Ecclesiasticis consulatur. Quod confirmari potest auctoritate eorum, qui putant, quemcumque Episcopum teneri ad Vicarii Generalis deputationem, etiam ubi Episcopus posset omnia per se ipsum expedire. Sic enim docent apud Sbrozz. Baldus *in l. Aliquando de off. Proconf. num.*1. Lancellot. *Inst. juris Can. de off. Vicar.* Rebuff. *tract. de nominat. quæst.* 4. *num.*61. aliique apud eumdem. Unde patet responsio ad opposita.

111. Quæres 5. utrum teneantur constituere in sua propria diœcesi Suffraganeum, seu Vicarium in Pontificalibus? ℞. Sciendum est 1. nomine Suffraganei intelligi hoc loco Episcopum aliquem Titularem, qui assumatur ab Episcopo diœcesano tanquam Coadjutor & Vicarius ad exercenda in sua diœcesi Pontificalia, ex Barbosa *Jur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 15. Hic vero differt a Vicario Generali, ex eo quod per receptionem talis muneris nullam jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam habeat, sed solum potestatem exercendi Pontificalia dependentem a consensu & licentia Diœcesani; quæ potestas non est jurisdictionis: Layman *in Cap. Quoniam, de officio Jud. ordin. num.* 2. Aliquando tamen idem, qui est Suffraganeus, constituitur ab Episcopo diœcesano Vicarius Generalis.

112. Sciendum est 2. quemlibet ex Episcopis his Cardinalibus posse in sua respectiva diœcesi suburbicaria Episcopum aliquem Titularem in suum Suffraganeum assumere, constituto illi annuo censu ad sui sustentationem; nullibi enim id iis prohibetur, & omnia sunt licita, quæ nulla lege sunt vetita, *Cap. Nullus, de testibus*. De facto Antonius olim Card. Barberinus Episcopus Tusculanus suum ibidem habuit Suffraganeum Illustrissimum Bottoni, quem pingui a se præstito honorario munifice sustentabat.

113. Sciendum est 3. Episcopum Cardinalem Ostiensem ac Veliternensem obligari ex Decreto Urbani VIII. edito *die* 20. *Augusti* 1629. cujus meminit Illustrissimus Archiepiscopus Borgia *sæc.* 17. *n.* 30. *suæ Historiæ Velitern.* habere in Civitate Veliternensi Episcopum Titularem Suffraganeum, eidemque de mensa Episcopali quingentos aureos in singulos annos suppeditare, prout de facto Eminentissimi Ostienses Episcopi & Suffraganeum habent, & statutos illi annuos redditus subministrant.

114. His præmissis, ajo, nullum ex his Episcopis Cardinalibus, præter Ostiensem ac Veliternensem, habere propriam atque expressam in jure aliquo

positivo obligationem assumendi sibi, & constituendi in sua diœcesi Episcopum Suffraganeum; nam, si aliquis ex his talem obligationem haberet, potissimum esset Sabinensis, qui diœcesim satis amplam obtinet, & jam inde a tempore Urbani VIII. consuevit Suffraganeum sibi ad Pontificalia assumere. Verum jus nullum scriptum, quod Sabinensem Episcopum circa Suffraganeum afficiat, hactenus reperio. Consuetudo vero ortum habuit, & continuata est, non ex intentione introducendi obligationem, sed ex debito satisfaciendi piæ dispositioni, ac prorsus liberali munificentiæ unius ex Episcopis Cardinalibus Sabinen. qui certos redditus reliquit ad effectum, ut illos Sabinen. Episcopus in Suffraganeum erogaret. Accepimus quippe ex historiis apud Abb. Piazza *de Hierarchia Cardinalitia*, Scipionem Card. Burghesium Episcopum Sabinen. labente *anno* 1629. (fortasse ut sapientissimo Urbani VIII. consilio, qui eo anno Suffraganeum Velitris decreverat, se conformaret) summam quamdam pecuniæ in locis montium deposuisse, ex qua aurei quadringenti in singulos annos provenirent, iique ad alendum Suffraganeum Sabinen. impenderentur. Quare nullus, ut dicebam, Episcopus Cardinalis, præter Ostiens. & Velitern. habet ex expresso positivo jure obligationem assumendi sibi Suffraganeum in sua diœcesi; Sabinensis vero habet hanc obligationem, non quidem ex jure positivo scripto, vel consuetudinario, sed ex debito satisfaciendi liberali ac piæ sui antecessoris dispositioni: quamquam non negarim, expediens magnopere esse, ut in Sabinensi hoc Episcopatu, utpote valde extenso ac porrecto, Episcopus Suffraganeus resideat, qui subditos levet ab onere semper Romam adeundi pro susceptione sive Ordinum, sive Confirmationis &c.

115. Quæres 6. utrum teneantur ejusmodi Episcopi singulis annis Synodum diœcesanam congregare juxta Tridentinum *seff.24. cap.4. de reform.*? ℞. Præmittendum est 1. Episcopos ad occurrendum Ecclesiarum incommodis in dies nascentibus, & ad mores Cleri reformandos, & controversias componendas, obligari singulis annis Synodum diœcesanam celebrare, prout eos admonet Tridentinum *seff.24. cap.4. de ref.* quam obligationem esse gravem, declaravit Sacra Congregatio, nisi causa excuset, quæ debet afferri in visitatione Liminum Apostolorum, ut ait Gavantus *in praxi diœcesanæ Synodi cap.1. §.1. n.6.* Imo omittens celebrare Synodum, de jure communi venit suspendendus ab executione officii, *ex Cap. Sicut, de accusat.* & ex declaratione Sacræ Congreg. Concilii 27.*Martii* 1590. quod etiam nuper adnotavit Benedictus XIV. in docto suo Opere *de Synodo Diœcesana*.

116. Præmittendum est 2. non leve esse dubium, an prædictum onus, seu obligatio emolliatur aliquantulum, vel potius omnino cesset respectu talium Episcoporum Cardinalium? Etenim commode in ipsos etiam derivari possunt, quæ in ordine ad excusandum ab eodem onere Vicarium Urbis sapienter de more adnotat idem Benedictus XIV. *in citato suo Opere lib.2. cap.3.* nempe talium Episcoporum diœceses (si unam, vel alteram excipias) esse valde exiguas, ita ut una veluti conversione oculorum omnes Episcopus suæ diœcesis Parochos, Presbyteros, cæterosque de Clero intueri possit, & consequenter necesse non sit eos in unum cogere, ut ab iis de suæ cujuslibet Parochiæ

chiæ statu habeatur informatio, vel ii ab Episcopo vicissim salubria monita accipiant. Deinde omnes hæ diœceses sunt proximæ ac ferme contiguæ Curiæ Romanæ, ubi Sacræ habentur Cardinalium Congregationes sive Concilii, sive Episcoporum, quæ Ecclesiarum in dies nascentibus incommodis occurrunt, super irrepentes abusus invigilant, & facilis ad eas cum unicuique ex his diœcesibus pateat accessus, non est timendum, ne omissio diœcesanæ Synodi, Ecclesiasticæ in iisdem diœcesibus disciplinæ pariat detrimentum. Quare censendum videtur, tales Episcopos, etsi ab hac lege afficiantur, quatenus ea dirigitur ad omnes Episcopos, excusari tamen ab ejus actuali observatione; propterea quia, attentis enumeratis circumstantiis, rationabiliter præsumitur, legislatorem nolle eos tanta severitate obstringere.

117. His præmissis, existimarim, ejusmodi Episcopos Cardinales propter supra allatas rationes facile ab hac lege congregandi quotannis Synodum posse se subtrahere, præsertim cum ab aliis etiam Episcopis, ut docet Monacellus *tom.1. formul.3. tit.5.* non ita frequenter ea observetur, *adeo ut plures sint Episcopi, qui vel tantum unam, vel nullam Synodum toto tempore Præsulatus convocare & publicare contenti esse soleant*. Aliqualis tamen ratio legis hujusce etiam ab his Episcopis Cardinalibus habenda est; ita ut, si opportunitas se se obtulerit, vel necessitas id exigat, eam minime negligant: quandoquidem nefas est, Episcopum ea negligere, quæ apposite ad rectam suæ Ecclesiæ institutionem sacri canones & Concilia suppeditant. Enimvero plures ex his Suburbicariis Episcopis huic se legi accommodarunt cogentes diœcesanam Synodum sive Tusculi, uti olim præstitit Franciscus Maria Card.Brancacci, sive Velitris, uti olim pariter per Nepotem suum Patriarcham rite peregit Alderanus Card.Cybo, aliique alibi. Animadvertendum autem est, quod ubi Synodus diœcesana jamdiu fuerit omissa, atque idcirco Examinatores Synodales in ea constituti vel decesserint, vel abierint, sunt alii ab Episcopo Cardinali subrogandi de licentia & facultate Sacræ Congregationis Concilii, quam facultatem Sacra eadem Congregatio nunquam denegat, & sic subrogati durant ad annum, eosque Sacra Congregatio singulis annis, petente Card. Episcopo, confirmat, ut optime docet Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.4. cap.7.*

118. Quæres 7. utrum iidem Episcopi Cardinales teneantur suo populo prædicare? ℞. affirmative; nam præcipuum id Episcoporum munus est, ut inquit sacrum Concilium Tridentinum *sess.5. cap.1. de ref.* & habetur *in Can. Placent*, 100. *qu.1.* imo id ipsum docet Episcopalis consecratio, in qua dicitur: *Accipe Evangelium, vade, & prædica populo tibi commisso*. Quamvis vero Episcopus teneatur per se ipsum prædicare, ut recte cum Concilio Romano docet idem Benedictus XIV. *in suo Opere de Synod. Diœc. lib.7. cap.43.* duplicem tamen id habet limitationem, videlicet *nisi ipse fuerit legitime impeditus, & nisi alicubi consuetudo invaluerit, ut per idoneum substitutum id fiat*: ut notat Squillant. *de oblig. Episc. p.1. cap.6.* Cum autem ejusmodi Episcopi Cardinales sint plerumque legitime impediti vel ab ætate provecta, vel ab assistentia præstanda Romano Pontifici, ac præterea jam usu receptum sit, ut

ipsi prædicationem exerceant per idoneos ac probos substitutos ; hoc ipsis maxime incumbit, ut opportunos & aptos Sacerdotes seligant, qui frangant panem esurientibus, diœcesim omnem pabulo verbi Dei nutriant, idque faciant quamsæpissime. Memini, piissimum olim Card. Sebastianum Antonium Tanara Episcopum Tusculanum adeo verbi Dei prædicationem in sua diœcesi frequentem voluisse, ut non solum per Quadragesimam & Adventum in sua Cathedrali eam procuraret, sed per omnes totius anni Dominicos dies ex Religiosa Capuccinorum familia Sacerdotes acciverit, qui de rebus Divinis, cæterisque spectantibus ad salutem animæ populum pro concione commonefacerent atque erudirent. Tanti a sapientissimo Antistite fiebat, ut frequens suis ovibus Evangelii prædicatio in promptu esset.

119. Quæres 8. utrum teneantur aliquando per se ipsos Sacramenta aliqua populo ministrare? ℞. Ex duplici capite potissimum oritur obligatio, relate ad Episcopos, ministrandi per se ipsos Sacramenta. Primo ratione residentiæ, quæ non debet esse mere materialis, sed cum effectu; unde aliqua per se ipsos præstare debent, siquidem accipiens Episcopatum obligat suam personam ad proprias illius functiones, taciteque promittit se illas obiturum, quantum res feret, ex Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 4. Hinc debent Episcopi, nullo existente impedimento, conferre aliquando per se ipsos sacros Ordines, Confirmationem &c. Deinde oritur ratione necessitatis; nam Episcopus est Parochus Parochorum, & Ordinarius in tota sua diœcesi, ad quem principaliter pertinet cura animarum ejusdem suæ diœcesis; unde tenentur Episcopi, Parocho deficiente, si nullus alius adsit Sacerdos, ministrare per se ipsos Sacramenta tempore etiam pestis, ex Gobat *tract.* 1. *num.* 134.

120. Jam vero, cum ejusmodi Episcopi Cardinales ex Pontificio indulto, ut supra diximus, immunes sint a personali residentia, & propter vicinitatem Urbis nulla sit necessitas, ut ipsi per semet ipsos habeant sacram Ordinationem, vel Sacramentum Confirmationis, aliaque administrent, siquidem nullo, vel levi incommodo pro illis duobus Sacramentis suscipiendis possunt subditi se Romam conferre, & pro aliis est abunde in propria diœcesi illis provisum; sequitur, quod ejusmodi Episcopi Cardinales non habeant rigorosam & strictam obligationem ministrandi per se ipsos Sacramenta sive Ordinis, sive Confirmationis &c.

121. Dixi, strictam & rigorosam obligationem; nam equidem non negarim, aliquam inesse illis obligationem ex honestate ac decentia. Decet quippe, tales Episcopos in sua diœcesi aliquando Pontificales functiones exercere, & propria dignitatis Episcopalis, Ordinis scilicet, & Confirmationis Sacramenta ministrare &c. Etenim turpe est, quod civitas Episcopalis Episcopalia sui Pastoris munera nunquam in exercitio videat, & semper alienum, vel mercenarium, nunquam proprium Pastorem sibi pabulum Sacramentorum ministrantem agnoscat. Profecto id probe intelligebat piissimus senex Raynerus Card. de Ilcio Episcopus Sabinensis, qui propterea sæpius per annum Pontificales in sua diœcesi functiones exercuit, atque inter lustrandam diœcesim quamplures ubique Confirmationis Sacramento corroboravit. Sanctum erat enim illi

illi omnes sui Pastoralis officii partes adamussim explere, nec quidquam Cardinalitiæ dignitatis oneri detrahere.

122. Quæres 9. an iidem teneantur, juxta Romani Concilii sub Benedicto XIII. præscriptum, Cleri Congregationem habere pro sacrorum rituum, & casuum conscientiæ disceptatione? R. Concilium Romanum sub Benedicto XIII. *de anno* 1725. cui omnes sex Cardinales Episcopi vel per se ipsos, vel per suos Procuratores subscripsere, hæc *tit.* 15. statuit ac decernit: *Quocirca operæ pretium ducant Episcopi, omnemque curam ac diligentiam adhibere non desistant, quousque Congregationes tum in civitatibus, tum in diœcesibus per omnes de Clero, Sacris initiatos, Canonicos, Parochos, & Confessarios, Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis Confessionibus suspendendos, semel in unaquaque hebdomada, certoque designando die, & sub certa pœna pecuniaria contra contumaces habeantur, in quibus alternatim & rituum, & conscientiæ casus proponantur, discutiantur, & practice exerceantur &c.*

123. Jam vero Episcopi hi Cardinales ejusmodi Conciliari decreto multiplici ex capite tenentur se conformare. Primo quia Conciliaris hæc dispositio directa est ad omnes Episcopos Provinciæ Romanæ, & respicit favorem publicum, seu utilitatem animæ: ac propterea cum etiam nostri Episcopi sint earum diœcesium Episcopi, quæ subsunt Provinciæ Romanæ, & Cardinales comprehendantur ea Conciliari dispositione, quæ concernit favorem publicum, quamvis de illis non fiat expressa mentio, ut pluribus firmat Fagnanus *in Cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiss. num.* 58. sequitur, hos Episcopos Cardinales hac Conciliari lege teneri. Secundo quia par est, ut ipsi, utpote majores, exemplo aliis præeant in observanda ea lege, quam ipsimet una cum aliis Romanæ Provinciæ Episcopis tulerunt, ac subscripserunt. Tertio quia in Suburbicariis his diœcesibus magna est necessitas talium Congregationum, ne Clerus plerumque pauper, ac domesticis curis occupatus, libros omnino deserat, & quæ olim didicerat, prorsus obliviscatur. Enimvero exacte admodum ante ipsum Romanum Concilium has Congregationes casuum curabat in sua Tusculana diœcesi Eminentissimus Franciscus Card. Giudice, qui, ne quisquam de Clero obtenderet ex librorum inopia suæ inscitiæ necessitatem, de suo ære satis ampla librorum supellectili diœceseos ipsius summum Templum donavit, quibus unusquisque, si vellet, moralem sibi scientiam compararet, & ad casuum Congregationem sese opportune instrueret.

124. Quæres 10. an ejusmodi Episcopi Cardinales debeant uti ea intitulatione, *Dei, & Apostolicæ Sedis gratia*? R. De hac re agunt Cardinalis Petra *ad Constitut. III. Innoc. III. sub fin.* Rebuffus *in Praxi beneficiali num.* 4. Thomassinus *lib.* 1. *cap.* 60. *num.* 9. Ex quibus habeas, primos fuisse Episcopos Cyprios, qui hac intitulatione usi fuerint *de anno* 1252. sed non constanter; siquidem consequentibus temporibus reperiuntur apud Labbeum Episcopi Cyprii, qui, non eam, sed aliam intitulationem adhibuerint, nempe *Divina miseratione Episcopus &c.* Ab Episcopis Cypriis derivatus est talis usus in Italiam ad Archiepiscopum Ravennatem, deinde ad Episcopos aliquot Galliæ, & tan-

tandem ad Archiepiscopum Salisburgensem in Germania. Hodie passim usurpatur ab omnibus fere Episcopis; ita ut ea intitulatione utantur, ex testimonio Card. Petra, etiam Electores Coloniensis, Moguntinus &c. Dixi, fere omnes; nam affirmat laudatus Card. Petra, non teneri ea uti aliquos Episcopos, quorum antecessores ea nunquam usi sunt, sciente, ac tolerante Sede Apostolica, quales sunt Archiepiscopi Consentinus, Capuanus, & Surrentinus.

125. Rationes talis usus conjectat Thomassinus fuisse a principio, ut Episcopi ostenderent, se speciali modo participare de potestate Sedis Apostolicæ, atque idcirco talem usum invaluisse sub initium præcipue apud Archiepiscopos. Continuatio vero hodierna idcirco fit, ut ostendatur dependentia Episcopi a Romano Pontifice: quare nolentes ea intitulatione uti, in suspicionem aliquam schismatis veniunt apud Romanam Curiam: ac de facto, teste eodem Card. Petra, fuit olim in crimen vocatus ipsius patruus Archiepiscopus Surrentinus, qui ejusmodi intitulationem in quodam a se edito libro omiserat.

126. Propterea de stylo Curiæ quædam hodie est obligatio, ut Episcopi hac intitulatione utantur: cæterum hæc obligatio est pro foro dumtaxat externo, ne videlicet lacerentur, nedum non admittantur, in Dataria litteræ testimoniales eorum Episcoporum, qui eam intitulationem non præseferunt.

127. Controversia esse potest, utrum Episcopi Cardinales, ac præsertim Suburbicarii, hac qualicumque obligatione adhibendi eam intitulationem teneantur? In quo communis responsio apud citatum Petram est, non teneri. Ratio fortasse ea est; quia, cum Cardinales sint pars potissima Sedis Apostolicæ, & pars corporis ipsius Papæ, non est opus, ut per ejusmodi intitulationem, suam a Sede Apostolica & a Pontifice dependentiam testificentur. Accedit praxis, quæ ut optima legum interpres ostendit, Cardinales Episcopos ad id non obligari. Non ausim tamen improbare, si quis ex Card. Episcopis ea intitulatione uti voluerit.

CAPUT V.

De præeminentia talium Episcoporum.

128. Episcopi Cardinales Suburbicarii ea excellunt amplitudine, ut post Romanum Pontificem cæteris omnibus tum Cardinalibus, tum Archiepiscopis, tum Episcopis præemineant: nec recens ea res est, sed ortum habuit jam inde *ab anno Domini* 1112. quando in Romano Concilio sub Paschali II. Episcopi Cardinales subscripsere ante omnes Archiepiscopos, & Episcopos, cæteri vero Cardinales Presbyteri ac Diaconi post omnes Episcopos. Hinc B. Petrus Damiani, qui floruit *circa annum* 1060. multa præclare scripsit de cœtu Episcoporum Cardinalium, qui tanti semper est habitus, ut, teste Thomassino *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 114. Rex Siciliæ Carolus cum Perusiam venisset una cum Carolo Martello filio Rege Hungariæ, ipse inter Episcopos Cardinales sederit, Rex autem Hungariæ ejus filius inter Cardinales Diaconos. Propterea

129. Quæres 1. an hæc tanta Episcoporum Cardinalium præeminentia redundet etiam aliquatenus in ipsorum ministros? R. cum Cohellio *cap.* 5. affirma-

firmative; nam ipsorum Vicarii, inquit citatus Auctor, vocantur *Vicedomini*, idest Œconomi rerum Episcopalium, atque ita speciali hac appellatione specialem quamdam præ cæteris exigunt existimationem.

130. Quæres 2. an Episcopi Cardinales postulandi sint, vel potius eligendi ad dignitatem inferiorem? ℞. cum eodem Cohellio, esse postulandos, ad differentiam Cardinalium Presbyterorum, qui etiam ad inferiorem dignitatem, puta ad Episcopatum, eligi possunt; quamvis etiam Cardinales Presbyteri, vel Diaconi, cum ex officio suo assistentiæ Pontificiæ obligati sint, postulandi videantur, non tamen solemniter, sed simplici postulatione, ut docet Abbas *in Cap. Ecclesia, 57. num. 15. de elect.* contra Hostien. & Sylvest. apud Pirhing *de Postulat. §. 2. qu. 3.* quem vide, si lubet.

131. Quæres 3. an Episcopi Cardinales principaliorem partem habeant, seu speciale jus obtineant circa electionem Romani Pontificis? ℞. Olim principaliores illis partes fuerunt attributæ, ut constat *ex distinct. 23. Can. In nomine Domini*; ibi enim sic decernitur: *In primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant: sicque reliquus Clerus, & populus ad consensum novæ electionis accedat: nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Et ideo religiosissimi viri* (idest Episcopi Cardinales, uti interpretatur Glossa) *præduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces*: & infra: *Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehant*. Nunc vero standum est novissimis Apostolicis Constitutionibus quo ad Pontificis electionem, juxta quas pares videntur Cardinalium omnium partes in tali electione, quamvis consilio & auctoritate, utpote seniores, Episcopi Cardinales non raro ad eam plurimum conferant.

132. Quæres 4. an Episcopi Cardinales cæteris Cardinalibus præemineant in munere assistendi Summo Pontifici? ℞. Plura sunt, in quibus Episcopi Cardinales in hoc munere aliis Cardinalibus præeminent; nam ipsi primi in sacro Consistorio sententiam dicunt, primi Pontificiis, & Conciliaribus sanctionibus subscribunt, primi in Conclavi electum Pontificem recognoscunt & adorant, primi demum ii sunt ad quos spectet Romanum Pontificem in tanto tamque laborioso opere adjuvare, & sublevare. Ex his fortasse præeminentiis factum est, ut Scriptores nonnulli eos *Archiepiscopos* vocarint; sic enim eos nuncupat in quadam sua Epistola S. Ludgerus primus Episcopus Monasterien. sæculo nono ineunte, ubi cum ipse enarret acta in Germania a S. Leone hæc habet: *Facta hæc sunt pridie nonas Septembris, præsentibus ibidem victoriosissimo Carolo semper Augusto Romanorum Imperatore, & Francorum Rege, venerabilibusque Patribus Cardinalibus Archiepiscopis Bernardo Ostiensi, Fortunato Trevirorum, Theodoro Sabinensium &c.*

133. Quæres 5. an ad ejusmodi Episcopos pertineat privative Pontificem Romanum consecrare? ℞. Episcopus Ostiensis ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus id habet, teste ipso S. Augustino *in Brevic. collat. diei 3. cap. 16.* ut Romanum Pontificem in Episcopum consecret: & Anacletus Pontifex cum decreverit

verit sæculo secundo, consecrationem Episcopi a tribus Episcopis peragendam, crediderim ex Anastasio Bibliothecario, assistentes huic Consecratori Episcopos, de jure esse debere Cardinales Episcopos Suburbicarios; ipse enim de S. Leone II. hæc refert: *Sanctissimus vir ordinatus est a tribus Episcopis, idest Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliterniensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit*. Enimvero Ostiensi consecranti Clementem VIII. astitere Tusculanus & Sabinensis Episcopi; idemque factum est in aliis Pontificum consecrationibus: ubi advertas, Consecratoris Pontificis munus ad Ostiensem spectare specificative ut talem Episcopum, non autem ut sacri Collegii Decanum; nam de facto Pontifex Sixtus IV. *de anno* 1471. consecratus fuit ab Episcopo Ostiensi, qui non erat sacri Collegii Decanus, teste Illustrissimo Archiepiscopo Borgia *lib.* 4. *Hist. Velitern.*

134. Quæres 6. an specialibus vestium insignibus decorentur Cardinales Episcopi Suburbicarii? ℞. insignia Cardinalitia & Episcopalia illis competere; unde incedentes per vias vecti curru, aut publice quoquo modo se se visendos præbentes, utuntur vestibus Cardinalitiis more aliorum Cardinalium; interessentes vero sacris functionibus sive in Sacello Pontificio, sive in publicis Supplicationibus, quando alii Cardinales induunt vel Casulam, vel Dalmaticam respective, ipsi induunt Pluviale cum cæteris Episcopalibus ornamentis. Insuper Ostiensis utitur Pallio ad normam sacrorum canonum ex concessione Sancti Marci Papæ, qui Christi vices *anno salutis* 336. gessit.

135. Quæres 7. an Decanatus Sacri Collegii spectet privative ad cœtum Episcoporum Cardinalium Suburbicariorum? ℞. Decanatum Sacri Collegii Dignitatem esse a Romano Pontificatu in Ecclesia Dei primam; nam Decanus est caput illius Collegii, quod *Gremium Romanæ Ecclesiæ* appellatur *in Cap. In nomine Domini dist.* 23. *summum & excelsum* a Romano Concilio *anni* 448. *num.* 11. *& membrum honorabilius quod habet Ecclesia Dei*, a Card. Tusco *litt. C. conclus.* 100. *num.* 1.

136. Hæc porro Dignitas semper se continuit, & hactenus se continet intra limites Eminentissimi cœtus Episcoporum Cardinalium; nam olim qui inter cæteros Episcopos Cardinales ratione suæ Ordinationis antiquissimus erat, is Prior, & deinde Decanus Collegii Cardinalium dicebatur, teste Azorio *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *qu.* 6. Nunc per Pauli IV. Constitutionem quintam, quam confirmarunt Benedictus XIII. & Clemens XII. Decanatus Sacri Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem, in Curia tempore vacationis præsentem, aut ex causa publica absentem pertinet; ita ut antiquissimus sive ætate, sive promotione ad Cardinalatum, nullum ad talem Dignitatem, si non fuerit Episcopus Suburbicarius, proximum jus habeat. Decet quippe, amplissimam Dignitatem ex amplissimo Ordine desumi, in eodemque amplissimo Ordine collocari.

137. Superest jam, ut brevem quamdam earum diœcesum notitiam exhibeam, quibus Episcopi Cardinales Suburbicarii præsunt, ne Lector aliunde eam sibi quærere opus habeat, si forte talis cognitionis illum cupido incesserit.

DIŒ-

CAPUT V.

DIŒCESIS OSTIENSIS ET VELITERNA.

Ex Additionibus Ughellii.

VEliternensis, Ostiensisque Diœcesis colles habet, & extentam planitiem; quam gravitas cœli desertam facit, segetum uberem tamen. Ex multis Oppidis coalescit, suntque *Castello Romano*, *Decimo*, *Porcigliano*, *Casale Sacchetti*, *Cori*, *Cisterna*, *Norma*, *Giuliano*, *Rocca de' Massimi*, *e Ginetti*: quæ decem millia fere mortalium capita enumerant. Redditus cæteris Coepiscopis suis pinguiores habet Ostiensis cæterorum princeps, computanturque modo quinque, modo sex mille scuta Romanæ monetæ, nec taxantur in libris Apostolici Fisci. Civitas Ostiensis olim ampla & frequentissima, pene deleta est, ignobili dumtaxat vico superstite; at Civitas Veliterna adhuc in primis nobilis perseverat, in eaque animæ circiter octo mille computantur. *Lucent.*

DIŒCESIS PORTUENSIS.

DIœcesis hæc est inamœna, insalubris aeris, segetum ferax, & pauperes sunt ferme indigenæ, ac rei frumentariæ intenti. Nonnulla inibi sunt, sed tenuia Regularium cœnobia. In Oppido Castronovo habetur Ecclesia Collegiata. Oppida vero octo enumerat, scilicet *Castel nuovo*, *Riano*, *Isola*, *Cesano*, *Galeria*, *Ceri*, *Cerveteri*, *Sasso*. His adde duas Turres ad oræ maritimæ custodiam, videlicet Turrim S. Marinellæ, Turrim S. Severæ, & celebrem Arcem Pali olim Ursinæ Gentis. Suntque duo Casalia Palidori, & Maccaresii, rei pecuariæ attributa. Redditus Ecclesiæ nunc enumerantur scuta Romana circiter 3500. *Lucent.* Portuensis Civitas temporis injuria exesa, atque attrita ita est, ut, præter Episcopale palatium, & parvam Parochialem Ecclesiam sub invocatione S. Luciæ, nihil ferme residui plura inter rudera conspicias.

DIŒCESIS SABINENSIS.

SAbina Diœcesis aliarum omnium e sex Episcopalibus amplissima est; siquidem in longum porrecta plura Oppida, seu Pagos complectitur, in iisque triginta millia circiter mortalium capita recensentur. Oppida autem hæc sunt: *Manliano*, *Monte bono*, *Poggio Nativo*, *Monte Rotondo*, *Rocca antica*, *Catino*, *Poggio Catino*, *Aspra*, *le Rocchette*, *Vaccone*, *Cantalupo*, *Pozzaglia*, *Moricone*, *Montorio Romano*, *Nerula*, *Colle vecchio*, *Cane morto*, *Monte Asole*, *Lamentana*, *Poggio mezzavilla*, *Fianello*, *Montenero*, *Montorio della Valle*, *Petescie*, *Palombara*, *Stazzano*, *Ginestra*, *Castiglione*, *Poggio Mojano*, *Frasso*, *Colle longo*, *Scandriglia*, *Monte Libretto*, *Mompeo*, *Cottanello*, *Stimigliano*, *Gavigliano*, *Casa prota*, *Ponticelli*, *Correse*, *Cisignano*, *Castel S. Piero*, *Santo Polo*, *Monte Flavio*, *Cretone*, *Selci*, *Torri*, *Furano*. Olim pingues erant hujus Episcopatus annui redditus; nam sex millia scutorum Romanæ monetæ excedebant: verum in præsenti rerum statu adeo tenues sunt, ut vix trecentos aureos impleant. *Lucent.*

PRÆNESTINA DIŒCESIS.

PRæter Prænestinam Civitatem, ubi quatuor ferme sunt incolarum millia, Diœcesis ex tredecim Oppidis coalescit, eaque sunt *Castel S. Pietro*, *Capranica*, *Genazzano*, *Cave*, *Rocca di Cave*, *Palliano*, *Serrone*, *Oleva-*

no, *S. Vito*, *Pisciano*, *Zagarolo*, *Gallicano*, *Lugnano*: in quibus quatuordecim ferme hominum millia numerantur. Episcopales redditus sunt scuta Romana 450. *Lucent.*

ALBANEN. DIŒCESIS.

CIvitas Albanensis olim utilis dominii erat Sabellæ Gentis, nunc Cameræ Apostolicæ ab Innocentio XII. *anno* 1697. plenissime applicata est, civesque circiter bis mille enumerat. Universa Diœcesis ferme octo millia incolarum habet. Oppida ejus sunt *Sabello*, *Riccia*, *Genzano*, *Civita Lavinia*, *Nemi*, *Marino*, *Castel Gandolfo*, *Pratica*, *Andria*, *Nettuno*, *Capo d' Antio*. Fructus hujus Ecclesiæ summam scutorum Romanæ monetæ 150. non excedit. *Lucent.*

TUSCULANA DIŒCESIS.

CIvitas hodie ob ruinas antiqui Tusculi, est recens erecta, quæ vulgo dicitur *Frascati*. Animæ omnes in Civitate, & Villis enumerantur circiter quinque millia, totidemque fere suppeditat universa Diœcesis his distincta Castellis, *Rocca Priora*, *Rocca di Papa*, *Monte di Compatro*, *Colonna*, *Monte Portio*. Census Episcopalis annuatim supputatur Romanæ monetæ scutorum summa 600. circiter.

EX his Episcopatibus plures variis temporibus floruere Episcopi vitæ sanctitate illustres, ac præsertim ex Ostiensi B. Petrus Damiani Episcopus Cardinalis Ostiensis a Stephano IX. hac dignitate insignitus *anno Domini* 1058. de quo historia Ecclesiastica præclare meminit, & Surius 22. *Februarii*. Item B. Gregorius Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Bibliothecarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *circa annum* 1034. de quo plura habent Baronius, Ughellius, aliique cum Hispano Martyrologio, & Bollandianis *die* 9. *Maji*. Ex Portuensi Sanctus Hippolytus Episcopus Portuensis, & Martyr, qui ex Martyrologio Romano sub Alexandro Imperatore ob præclaram Fidei confessionem Martyrii palmam accepit. Ex Sabinensi Sanctus Laurentius Syrus Farfensis monasterii Fundator, qui *de anno* 550. Spoletanum, & Sabinensem Episcopatum gessit, prout ex B. Petri Damiani epistolis, & Joannis Papæ VI. diplomate fuse probat Lucentius. Is, eodem teste apud Ughellium, Illuminatoris cognomentum sortitus est, quod illuminandis cæcis mira gratia polleret. Ex Prænestino S. Guarinus Episcopus Cardinalis Prænestinus Bononiensis, de quo meminit Romanum Martyrologium *die* 6. *Februarii*, floruitque *anno Domini* 1144. Ex Albanensi S. Bonaventura Episcopus Cardinalis Albanensis, Confessor & Ecclesiæ Doctor, cujus meminit Martyrologium Romanum *die* 14. *Julii*, a Sixto IV. Sanctorum canoni adnumeratus. Præterea ex eodem Episcopatu *de anno* 1074. sanctitate conspicuus enituit B. Petrus Igneus Vallumbrosanus a Gregorio VII. Episcopus Cardinalis Albanensis creatus. Ex Tusculano floruit *de anno* 1228. præclara vitæ sanctimonia illustris Ven. Dei Servus Jacobus de Vitriaco a Gregorio IX. ad Episcopatum Tusculanum evectus. Plura de eo conscripsit Thomas Cantipratensis, qui de ejusdem vitæ sanctitate ac miraculis in Libro Apum non levia commemorat.

FINIS.

DE

DE CARDINALI REGULARI PROFESSO

EX ORDINE MILITARI

S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI.

DE CARDINALI
REGULARI PROFESSO
EX ORDINE MILITARI
S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI
PARS UNICA.

PROŒMIUM.



Ccasionem scribendi hac de re valde honorifica, suppeditavit promotio ad Cardinalatum Antiocheni per id temporis Patriarchæ Fr. Joachimi Portocarrero; cum enim Congregatio Sacerdotum in Domo Professa Romana Soc. Jesu vellet tanto Principi de aucta ejus amplitudine gratulari, theses aliquas publicæ concertationi exposuit, & brevem hunc de Cardinali Regulari ex Ordine Militari S. Joannis tractatum typis consignavit. Brevem (inquam) tractatum illa edidit: non tamen exiguus, ac brevis fuit labor, quem illa impendit in pluribus evolvendis historiis tum inclyti Ordinis Militaris, tum ipsorummet Cardinalium, ut bene composite que res ab aliis nonnisi sparsim & obiter attacta conficeretur. Utinam talis absoluta fuerit, qualem desideravimus, scilicet gratam legentibus, acceptam vero nobilissimo illi & inclyto Ordini. Qualiscumque ea sit, nova hac editione proponitur, ut si minus re ipsa, quæ sane parvi æstimanda est, saltem animo, & voluntate, quæ late extenditur, obsequentissimos nos erga nobilissimum, & de Christiana republica optime meritum Militarem Ordinem exhibeamus.

§. I.

Notabilia, seu præmittenda.

1. EQuites Ordinis Militaris S. Joannis Hierosolymitani sunt stricte Religiosi: nam, ut bene docet Suarez *tom.4. de Relig. lib.1. c.4.* in hoc Instituto invenitur quidquid ad veritatem veræ ac Militaris Religionis desiderari potest: quia in primis ejusmodi Equites habent integrum votum Castitatis cum votis Obedientiæ & Paupertatis, quæ duo licet in his habeant majorem aliquam latitudinem, hoc tamen spectare potest ad minorem rigorem, non ad tollendam substantiam Religionis; vota enim Paupertatis & Obedientiæ non habent certam mensuram necessariam ad veritatem status Religiosi, sed satis est, quod sint secundum aliquam Regulam approbatam a Sede Apostolica: deinde tale Institutum ac Regula habet Sedis Apostolicæ approbationem, ut constat ex litteris Paschalis II. sub dat. Beneventi *anno* 1113. Calixti II. *anno* 1120.

no 1120. Honorii II. *anno* 1125. & deinde aliorum plurium subsequentium Pontificum. Quare optime concludit Suarez *loc. cit. De Militibus ergo S. Joannis pro constanti supponimus, esse veros Religiosos ex vi institutionis suæ. Ita sentiunt omnes Doctores citandi &c.* Accedit Epistola Benedicti XIV. *Bullar. tom.* 3. *pag.* 569. quæ §.2. omnem prorsus dubitationem aufert; siquidem hos Milites supponit ac vocat veros Religiosos.

2. Finis talis equestris Instituti, seu Ordinis Militaris, est, præter cætera misericordiæ opera, ac præsertim hospitalitatis, militia, non quæcumque, sed religiosa, ut sic dicam; idest, quæ pro defensione Christianæ religionis, & Ecclesiæ, ac innocentum assumitur; qui sane finis optimus est, & valde perfectus, & ad Dei gloriam & cultum multum pertinens. Hoc porro Institutum in suis primordiis auctores ac parentes agnoscit viros Italos, teste Jacobo Bosio *in Hist. Meliten. lib.* 1. ac Thoma Bosio *lib.* 2. *de Sign. Eccl. lib.* 19. cujus verba ferme exscribam. Cum enim, inquit ipse, Mahometani Hierosolymam, Syriamque tenerent universam, ante illam celeberrimam expeditionem in Concilio Claromontano indictam, cives & mercatores Amalphitani ex Italia sæpius in Orientem navigabant, & merces deferentes impetrarunt a Rege illarum regionum, ut prope Sepulchrum Christi locus eis assignaretur, in quo possent domum hospitalem excipiendis peregrinis fabricare; & ædem, monasterium, familiamque totam S. Joanni Baptistæ dedicavere, ac multi fuere, qui religionis causa semetipsos huic uni rei devoverent, ac totam vitam obligarent, advenis scilicet excipiendis & adjuvandis. Postea vero quam nostri sub Urbano II. Hierosolymam cepere, illi exemplo ipsorum Cruce se signarunt, & ad bella proficisci cœperunt; ac paulatim majora cogitantes, Ordinem constituentes legibus suis ad perpetuitatem munierunt: & a Pontifice Maximo obtinuerunt, ne cui essent subjecti, nisi Præfecto, sive, ut vocabant, Magno Magistro, quem creassent ipsi, & Apostolicæ Sedi. Hactenus ferme Bosius ex Guillelmo Tyrio, Scriptore illorum temporum. Habitus etiam, seu vestis propria, qua a cæteris distinguerentur Milites S. Joannis, a Magno Magistro Fr. Gerardo, ut testatur Marulli *in Vita*, primum assignata est, eaque fuit vestis nigra cum Cruce alba octogona eidem assuta; hoc scilicet consilio ac proposito, inquit Gretserus *de Cruce lib.* 2. *cap.* 41. ut gloria Crucis per totum terrarum Orbem asportaretur, & ubique contra inimicos Crucis propagaretur. Progressu temporis sola Crux alba octogona vesti cuicumque assuta proprium hujus Ordinis constituta est insigne atque indumentum: quam si Religiosi Professi temere dimitterent, peccarent mortaliter, & incurrerent excommunicationem Clementis VIII. unde & esse possent apostatæ, sicut alii Religiosi vestem dimittentes, ut docet Mota *lib.* 2. *cap.* 2. §. 23. *& alibi*. Utrum vero excusentur deferentes Crucem e collo pendentem, dicemus infra.

3. Maxima sunt ac præclarissima, quæ Illustrissimum hunc Ordinem exornant commendantque. Ex his quatuor potissimum recenset *loc. cit.* Thom. Bosius. Primum est, quod Summo Pontifici is semper fuerit addictissimus, ac nulli unquam parti, quæ in republica Christiana versetur, se nimis dederit, sed communitatem quamdam retinuerit, seque æqualem & eumdem omnibus serva-

servaverit. Alterum est, quod hic Ordo utpote commune bonum maxime spectans omnibus semper nationibus patuerit, atque ad omnia Ordinis munera ex omni prorsus gente viros admiserit. Tertium, quod non adversus hostes unius dumtaxat Catholici Regni, aut quoquo modo Christiani pugnaverit, sed adversus hostes cujuslibet Regni, & Imperii, quod Christum sequi profiteretur, ut constat ex Imperio Græco, quod Hæreticum cum esset, tamen ab Ordine Hierosolymitanorum maxime est adjutum. Postremum, quod ab eo tempore, quo hic Ordo contra Christianæ religionis hostes arma tractare cœpit, nunquam ab eo sancto proposito destiterit. Hinc primo in Syria, Hierosolymis, ac Ptolemaide pugnavit contra Saracenos, deinde Rhodum insulam *anno* 1308. in potestatem suam cum redegerit, hostes Fidei in Asia, Europa, atque Africa infestos quotannis habuit. Capta a Turcis Rhodo *anno* 1522. Viterbii inclytus hic Ordo cum hospitaretur, eam Urbem Romanæ Ecclesiæ ab hostili, ac ferme ex Hæreticis conflato exercitu incolumem servavit. Tandem Melitæ sedem cum fixerit *anno* 1530. inde solvens comparata ac bene instructa classe publicos Christianæ religionis inimicos continenter fatigat. Propterea jure dixeris, septem ipsa sæcula pro Fide ac religione suis stipendiis illum hactenus pugnasse, ac Deo dante adhuc feliciter pugnare.

4. Praxis jam fert, ut Equites Professi, quamvis Obedientiam voverint, possint ex tacita licentia de se ipsis disponere, ut docet Mendo *de Ord.Milit. q.*12. unde possunt sacros Ordines suscipere, imo & strictiorem aliam Religionem ingredi. Nec semel factum est, ut ex Professis hisce Militibus nonnulli ad Ecclesiasticas dignitates, atque ad Cardinalatum ipsum fuerint promoti. Accepimus enim ex historiis, Magnum Magistrum Fr.Petrum de Aubusson ab Innocentio VIII. renunciatum fuisse Diaconum Cardinalem S.Hadriani, eidemque a Pontifice galerum rubrum in Rhodum insulam missum; quem ille insigni cæremonia die SS. Apostolorum Petri & Pauli ibidem in S.Joannis Baptistæ Templo suscepit. Item Sixtum V.inter Cardinales cooptasse alterum Magnum Magistrum Fr.Hugonem Verdala, eumdemque Diaconia S. Mariæ in Porticu ornasse. Præterea Urbanum VIII. Diaconis Cardinalibus *anno* 1643. adscripsisse Fr.Achillem d'Estampes de Valenzay Bajulivum hujus Hierosolymitanæ Militaris Religionis, illique S.Hadriani Diaconiam attribuisse. Clemens etiam XI. *de anno* 1712.creavit Cardinalem Emmanuelem Ariam Archiepiscopum Hispalensem Hierosolymitanæ Religionis Professum, quem in pectore reservatum *mense Januario anni* 1713.publicavit. Nuper vero Benedictus XIV. ad Cardinalatum evexit amplissimum Patriarcham Antiochenum, ac Religionis ejusdem Hierosolymitanæ Bajulivum Fr.Joachimum Portocarrero Hispanum, ipsumque Presbyterali Titulo SS. Quatuor Coronatorum insignivit.

5. Jam vero exploratum apud omnes est, Professos ejusmodi, ad Ecclesiasticas dignitates, & ad ipsum Cardinalatum promotos, pariformiter censeri atque obligari, ac cæteros Professos ex aliis Religiosis Ordinibus ad Cardinalatum assumptos: eadem enim est in his atque in illis ratio, cum tam isti, quam illi sint vere ac proprie Religiosi. Quæstio tamen non exigui momenti, ac satis curiosa esse potest, an sicuti alii Religiosi Cardinales non solum tenentur ad tria

tria vota substantialia Religionis, sed etiam ex S. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. ad ea quæ sunt peculiaria sui Instituti, saltem ex honestate, & quatenus non repugnent Pontificali, seu Cardinalitio officio; ita etiam Cardinalis ex Ordine Militari Sancti Joannis teneatur, aut saltem possit observare quæ sunt propria sui Ordinis, idest militiæ vacare, exercitus ducere, classi præesse, ac demum, si opus sit, propria manu pugnare? Pro qua

§. II.

Rationes dubitandi.

6. Videtur, quod Cardinalis ex Ordine Militari assumptus ea præstare nequaquam possit, nedum teneatur. Nam primo Cardinalatus annexus est statui Clericali ex Ricciull. *de jure person. lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 16. imo, per se loquendo, importat vel Diaconatum, vel Presbyteratum, vel Episcopatum. Atqui Clericis, ac præsertim Diaconis, Presbyteris, & Episcopis, vetita est per sacros canones militia; siquidem ex Concilio Meldensi relato a Gratiano hæc habentur: *Quicumque ex Clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, & Ecclesiasticæ auctoritatis profanatores, proprii gradus amissione multentur.* Præterea, ne Clerici possint exercitum ducere, expresse mandavit Innocentius III. *in Cap. Sententiam* 9. *ne Clerici, vel Monachi*: *Nullus Clericus ruptariis, vel ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur.* Accedit, quod Patres, ac sancti viri id semper a Clericatu alienum existimarunt. Hinc S. Bernardus cum in Carnotensi Concilio in ducem ac principem sacræ Militiæ electus esset, miratur de hoc vehementer *in sua epist.* 256. *Quis enim sum ego*, inquiens, *ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum a Professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset?* Quare Cardinalis ex Ordine Militari assumptus, cum ipse inter Clericos computetur, & sit vel Diaconus, vel Presbyter, vel Episcopus, nequit arma tractare, exercitus ducere, classi præesse &c.

7. Secundo idem urgetur ex ratione: quia Clerici sunt ministri Christi, ipsumque repræsentant, qui proprium Sanguinem pro aliorum salute fudit: ergo illis non licet alienum sanguinem fundere. Hinc Card. Baronius *ad annum Christi* 691. ex infelici exitu Zenonis Ecclesiæ Ticinensis Diaconi, qui contra tyrannum ac religionis perduellem arma tractavit, observat, non placere Deo, ut sacri ministri hisce se negotiis immisceant.

8. Tertio idem suadetur ex paritate, & majoritate rationis: nam nec Judaici quidem & antiqui Sacerdotes regulariter (ut sic dicam) & sine gravissima necessitate publicæ defensionis navabant in bello operam, nisi cum culpa, & irato Numine; ut iis contigit *lib.* 1. *Machab. cap.* 5. qui volentes fortiter agere, & sine consilio euntes in prælium, fusi ac cæsi sunt. Si igitur bellum dedecebat eos Sacerdotes qui sacrificium cruentum offerebant, quanto magis idem dedecet Sacerdotes legis gratiæ, ad quos spectat pacifici Agni Sacrificium incruentum?

9. Quarto idem evincitur; quia bellare, & classi, vel exercitui præesse, repugnat

pugnat officio Cardinalium, quorum peculiare munus est assistere Summo Pontifici in consiliis dandis: unde *in Cap. Fundamenta, de elect. in 6.* ipsi appellantur principales Pontificis Maximi Assessores, Consiliarii, & principales in executione Cooperatores. Quod etiam voluit S. Bernardus, cum eos vocat Pontificis Collaterales & Coadjutores. Ex quo manifeste apparet, Cardinales nec posse, nec teneri vacare militiæ, quæ ipsos plerumque a Romano Pontifice, cui debent præsto esse, loco sejungit, & suo satis muneri faciendo inidoneos reddit.

10. Quinto demum idem probatur: quia officium quod tendit ad irregularitatem, repugnat simpliciter Clericatui: sed officium militandi tendit ad irregularitatem homicidii, ut patet: ergo repugnat Clericatui, & consequenter Cardinalatui qui annectitur Clericatui. Neque obstat, quod Cardinales, nisi exprimantur, non intelligantur comprehensi a lege universali suspensionis, & interdicti: nam quamvis id ita sit, Jure Canonico ob eorum Eminentissimam dignitatem ita disponente *in Cap. Quia periculum, de sent. excomm. in 6.* comprehenduntur tamen a lege universali excommunicationis, & irregularitatis, quia non apparet jus eos excipiens ab illa; ut aliis citatis docet Leander *de Irregular. tract. 1. disp. 2. p. 6.*

§. III.

Resolutio quæstionis.

11. Nihilominus dicendum censeo, Cardinalem Professum ex Ordine Militari S. Joannis assumptum non posse quidem ordinarie, ac per se loquendo, vacare militiæ, sæpius tamen id posse, & aliquando etiam ad id teneri. Et quidem, quod ordinarie is nequeat vacare militiæ, probatur; quia per Cardinalatum est ipse translatus ad statum Clericalem: huic autem statui repugnat non solum ex jure Ecclesiastico, sed etiam ex jure naturali, regulariter, & ordinarie, vacare militiæ, ac propria manu pugnare, ut fuse ostendit Valentia ex sententia S. Thomæ & Cajetani *in 2. 2. q. 40. art. 2.* quia ex ipsa rei natura est deforme & illicitum, ut persona Deo peculiariter dedicata, ordinarie exerceat negotia valde sæcularia, quæ inquietudinem magnam habeant, ut habent maximam functiones bellicæ. Hinc antecedenter ad canones, quos habemus, S. Martinus apud Sulpitium *in Vita ipsius*, loquens ad Julianum Imperatorem, videtur insinuasse, per novum quem inierat statum, ex ipsa rei natura, ac Divino præcepto, factam sibi esse illicitam militiam: *Hactenus enim*, inquit, *tibi militavi, nunc miles Christi sum: mihi pugnare non licet*. Et S. Ambrosius *lib. 5. epist. orat. in Auxentium*, quæ extat *post epist. 32. Dolere*, inquit, *potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere.*

12. Neque obstat, quod talis Cardinalis, utpote ex Religione Militari assumptus, obligetur saltem ex debito morali, & honestatis, juxta doctrinam S. Thomæ, ad observationem suæ Regulæ; nam Angelicus idem Doctor recte explicavit, doctrinam suam procedere, quando, & quatenus observatio Re-

gulæ non repugnet officio: *Siqua vero sunt*, inquit ipse, *quæ officio Pontificali repugnant, ad hujusmodi observanda non tenetur*. Cum autem valde repugnet Clericali & Cardinalitio officio jugis & ordinaria, etiamsi pia ac religiosa militia, sequitur ex doctrina Angelici Præceptoris, nihil contra nostrum assertum concludi. Accedit, quod, esto talis Cardinalis sit adhuc Religiosus Ordinis Militaris saltem habitualiter, est tamen extra illam communitatem militarem, nec est pars illius communitatis, secluso speciali indulto ac privilegio, ex Castropal. aliisque: consequenter non afficitur stricte ea lege militandi, quæ primo & per se respicit eam communitatem militarem, deinde eos solos Religiosos qui sunt actualiter pars talis communitatis. Unde ordinarie ac regulariter nequit talis Cardinalis vacare militiæ.

13. Dixi secundo loco, sæpius tamen id posse. Hoc ut probem, duo supponenda sunt. Alterum est, talem Cardinalem utpote Professum Ordinis Militaris, & militiæ assuetum, sæpius utilem & opportunum fore ad vincendos hostes & Christianam rempublicam defendendam. Alterum est, Clericos, etiam in Sacris constitutos, posse non solum pro bono communi Christianæ reipublicæ & Fidei pugnare, si aliter in periculo gravi hæ constituerentur, sed etiam id posse pro victoria obtinenda, a qua pax reipublicæ, Fideique progressus non leviter pendeat; uti docent communiter Doctores, Molina *disp.* 108. *post medium*, Valentia *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 4. Bonacina *disp.* 2. *de rest. q. ult. p.* 12. §. 4. Suarez *de bello disp.* 13. *sect.* 3. *n.* 6. Castropalaus *de bello punct.* 6. aliique passim. Quod confirmatur exemplo S. Joannis de Capistrano, qui *sub annum* 1450. non solum in præliis quibus Hungariam adversus Turcarum invasionem defendendam suscepit, agminibus Crucigerorum dux factus est, sed, teste Sedulio in Historia Seraphica, militibus Crucigeris ferme actis in fraudem & insidias Mahumetis, advolavit ipse impiger cum Sacerdotum collegio, viam sibi per medios enses faciens (utique non sine armis materialibus, ut notat Raynaudus), ut suos erueret; quod Dei benignitate est consecutus.

14. His suppositis, ita argumentor. Utilitas singularis & idoneitas viri Ecclesiastici ad defendendam Christianam rempublicam, seu etiam ad vincendos hostes Fidei, reddit illi licitum non solum copiis præesse, sed etiam propria manu pugnare, ut nuper supposuimus. Atqui in Cardinali ex Ordine Militari, utpote bellis contra Infideles & barbaros assueto, addas, & vocationis suæ speciali gratia munito, sæpius reperitur talis singularis utilitas & idoneitas sive ad defensionem Christianorum, sive ad depressionem Infidelium, ut suadetur ex virtute quam dat experientia, & gratia vocationis. Ergo Cardinali ex Ordine Militari sæpius licitum est tum copiis præesse, tum etiam propria manu pugnare. Id vero non temere a me dictum satis ostendit exemplum strenui Cardinalis, ac fortissimi ducis Fr. Petri de Aubusson, qui ad Cardinalatum evectus in Rhodo insula, cum ibi esset Hierosolymitani Ordinis Magnus Magister, post initam eam dignitatem a proposito bellandi non destitit, sed sæpius religiosæ classi præfuit, sæpius cum hoste Turcico conflixit, adeo ut ipse suo & suorum Religiosorum militum robore, ipso Alexandro Pontifice teste,
Chri-

Christianorum nomen in multis Asiæ regionibus conservarit. Hinc rem totam ipsius Historicus brevi elogio in summam ita redegit: *Sacra ornatus toga, militaris sagi munus non deserens, Vaticano Senatore, & bellico imperatore digna facinora confecit*.

15. Dixi tandem tertio loco, Cardinalem talis Ordinis Professum, aliquando ad id, nempe ad bellum pium ac religiosum, teneri. Probo hoc. Aliquando vel datur præceptum legitimi Superioris de tali bello ineundo, vel concurrit talis necessitas, ut sine talis Cardinalis opera, præfectura militiæ, & pugna, res Christianorum publica in maximum discrimen vocaretur. Jam vero in utroque casu talis Cardinalis ad id tenetur. Et quidem, si adfuerit præceptum legitimi Superioris, nempe Romani Pontificis (cui dumtaxat Cardinalis actualiter subjicitur, secluso privilegio, aut speciali Pontificio jure), non est dubium. Nam Cardinalis Professus tenetur obedire Pontifici vi voti Obedientiæ in iis quæ sunt secundum Regulam, quia, ut bene docet Suarez *tom.4. de Relig. l.3.cap.17.* votum Obedientiæ in Cardinali Professo non est mutatum secundum se, sed solum mutatus est ejus usus quo ad respectum ad hunc, vel illum Superiorem. Cum autem bellum pium & religiosum gerere sit secundum Regulam talis Cardinalis Professi, is in hoc obligabitur obedire Pontifici ejusmodi bellum præcipienti, non tantum ut universali Ecclesiæ Prælato, & ob jurisdictionem quam ex vi Pontificiæ dignitatis habet, sed tanquam supremo suæ Religionis Prælato, & ex vi voti, & jurisdictione in illo fundata. Deinde, si ingruat gravis & urgens necessitas pro Christiana re ac Fide pugnandi, pariter idem Cardinalis Professus, per se loquendo, ad id tenebitur; nam in casu talis gravis & urgentis necessitatis omnes etiam alii Clerici non profitentes ex Regula & Instituto Religioso militiam, tenentur militare, uti tradunt Doctores, idest Angelus *v. Immunitas §.34.* Sylvester *eodem verbo*, Cajetanus *2.2. q.40. art.2.* Castropalaus *de bello punct.6. n.7.* aliique. Inde est, quod *Cap.2. de immunit. Eccles.* S. Gregorius præcepit Agnello Episcopo Terracinensi, ut nemo sive Romanæ, sive Terracinensis Ecclesiæ obtentu, excusaretur ab excubiis, & murorum defensione, imminentibus Longobardis. Quare à fortiori in eo casu urgentis necessitatis, per se loquendo, tenebitur Religiosus Cardinalis ex Ordine Militari, qui rem bellicam præ cæteris callet, & qui ex vocatione Religiosa speciale ad id auxilium, seu gratiam a Deo habet; ut constat ex S. Thoma *in 4. dist.24. q.1. art.2. ad 1.* Dixi, per se loquendo; etenim haud inficior, posse illum hic & nunc, ratione Cardinalatus exigentis assistentiam Pontifici, excusari, ut infra dicam.

16. Superest jam illud explicare, an tam in eo casu, quo diximus, eum Religiosum Cardinalem posse, quam in eo, quo diximus teneri militare propter obsequium Dei, & defensionem Ecclesiæ, an (inquam) in utroque casu petenda & expectanda sit licentia Summi Pontificis? ℞. cum Cajetano, & Valentia *in 2.2. q.40.* suppositis aliis conditionibus justi & pii belli, ac præsertim quod publica auctoritate hoc fiat, non esse opus aliis Clericis, ut ab his expectetur licentia Summi Pontificis, quando periculum est in mora, & necessitas urget sive defensionis, sive reportandæ victoriæ, a qua salus Christianæ rei-

publicæ pendeat: non negligendam tamen esse licentiam Superioris immediati, puta Episcopi, si ea haberi possit; ut notat Ægydius *num.* 89. Loquendo vero de Religioso Cardinali, qui immediate subjicitur Pontifici, atque est de latere ipsius, existimarim, quod regulariter, & nisi maxima atque urgentissima sit necessitas, debeat in utroque casu petere & expectare licentiam Pontificis; quia talis licentia etsi in illis casibus non exigatur ob exsolutionem a lege communi Ecclesiastica vetante Clericos bellare, ut infra ostendam, exigitur tamen ob subordinationem immediatam & dependentiam Cardinalis a Summo Pontifice.

§. IV.

Objectionum solutio.

17. AD primam supra allatam rationem in contrarium, quæ ducebatur ex variis textibus canonicis prohibentibus cuilibet Clerico, nedum Cardinali, militiam & armorum tractationem, respondeo, allatos, ac similes textus intelligendos esse vel de militia quæ ordinarie exerceatur, & per modum habitus, vel de militia ultronea, idest inita absque facultate saltem immediati Superioris, vel de militia suscepta extra alterutrum ex recensitis casibus, vel demum de militia non pia, neque in obsequium, aut defensionem Fidei, sed mere mundana etiamsi justa, ut bene notavit Angelicus Doctor 2.2. *q.* 188. *art.* 3. *ad* 2. Cæterum ejusmodi, ac similes textus canonici non prohibent militiam religiosam, piam, propter obsequium Dei rite susceptam in casu necessariæ defensionis, aut victoriæ reportandæ, a qua salus Christianæ reipublicæ pendeat. Ratio hujus est; quia in eo duplici casu & magnæ utilitatis ad victoriam contra hostes Fidei, & urgentis necessitatis ad defensionem Christianorum, urget naturale præceptum charitatis, cui non possunt adversari leges Ecclesiasticæ, ut bene notat Castropalaus *loc. cit.* & alii quamplures apud ipsum. Assentitur plane huic sententiæ integrum Lateranense Concilium sub Julio II. nam ibi *sess.* 1. Bernardus Zane Archiepiscopus Spalatensis coram omnibus Concilii Patribus Turcarum in suam diœcesim irruptiones describens, hæc habuit: ***Sæpius ego (o me miserum & infelicem!) Divinis Officiis assistens, coactus sum Cappam, indumentaque Pontificia dimittere, arma sumere, ad urbis portas percurrere, afflictum populum Spalatensem solari, animare, & adversus sanguinem nostrum sitientes assurgere.*** Quibus auditis, nullus ex Concilii Patribus hujus Antistitis factum tanquam minus decorum, aut contra sacros canones reprehendit. Argumentum id profecto firmissimum, quo militiam in casu gravis necessitatis contra Infideles, Clericos non dedecere, nec vetitam esse ab Ecclesiasticis sanctionibus, demonstretur. Quod vero S. Bernardus belli sacri præfecturam detrectaverit, eamque a sua Professione remotam dixerit, ascribendum est sancti viri prudentiæ, & humilitati, qua tanto se oneri imparem existimabat, & bellicæ administrationi monasticas, quibus ipse assueverat, artes inidoneas censebat.

18. Ad 2. respondeo, non licere quidem incruentis Sacerdotibus novæ Legis alieno se sanguine in bellis cruentare. Limitandum hoc tamen est, quando

do sermo fit de bello sacro in causa necessitatis,ac debitis circumstantiis adhibitis; tunc enim lex naturalis dictat, ut ipsi etiam Sacerdotes pugnent. Factum Zenonis Diaconi Ticinensis fortasse Deus non probavit, quia ultroneus se pugnæ commisit, nec forte ex necessitate, nec ex magna quæ inde speraretur utilitate.

19. Ad 3. respondeo ex Josepho apud Tirinum *Numer. cap.* 1. Levitas & Sacerdotes in Lege veteri fuisse quidem a militia exemptos, non ita tamen quod arcerentur, si vel necessitas id postularet, vel sponte militare vellent; sed quod cogi non possent. Patet. Nam & Machabæi Sacerdotes, & qui deinceps fuerunt Pontifices simul ac populi duces, plurima bella gesserunt. Unde corruit argumentum inde derivatum. Nec quidquam refert exemplum ibi allatum: nam quid mirum, quod male cesserit bellum sine consilio susceptum? & cur potius id Deo ulciscenti, quam permittenti, attribuas?

20. Ad 4.fateor, hanc objectionem non levis esse momenti, eamque inniti fundamento adducto ex S. Thoma 2.2. *q.*40. *art.*2. *Nulli, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo officio incongruus redditur*. Nihilominus in promptu est responsio. Nego quippe, incongruam Cardinalatui esse piam ac religiosam militiam, non quidem ordinarie exercendam, sed in aliquo casu vel magnæ utilitatis, vel urgentis necessitatis. Probo hoc ex auctoritate Hieronymi Plati *de Cardinal. cap.*32. ubi sic legitur: *Non potest dubitari, quin hoc etiam armatæ, ut sic loquar, Legationis genus, si religionis causa postulet, cum laude & fructu (a Cardinali) obiri possit*. Probo id ipsum exemplo quamplurium clarissimorum Cardinalium, quorum memoria omnium commendatione in cœlum effertur. Atque in primis se se offert Cardinalis Ludovicus Scarampus, quem Calixtus III. Pontificiæ classi præfecit, quique in mari Ægæo multa adversus Turcas gessit, multasque illis clades intulit. Hunc excipit optimus & fortissimus Cardinalis Joannes Columna, qui ab Honorio Pontifice cum ingenti classe in Ægyptum Legatus missus, Heliopolim, quam Damiatam vocant, feliciter expugnavit. Subsequitur amplissimus Cardinalis Ægydius Carillus Albornotius, qui ab Innocentio VI. Avenione ad recuperandam Ecclesiasticam ditionem in Italiam missus, id adeo strenue perfecit, ut deinde Pontifici plaustrum arcium clavibus onustum ostenderit. Quare ex his aliisque exemplis liquido constat, militiam piam ac religiosam, non omnino alienam esse a Cardinalium officio ac dignitate. Neque obstat, quod proprium sit Cardinalium Pontifici assistere, eumque præsenti consilio & opera juvare; nam, res id cum exigat, alio etiam allegari possunt, idque sæpenumero magnam attulit Ecclesiæ utilitatem. Ut enim, inquit Platus, inter Angelos alii sunt administratorii Spiritus, alii vero semper Deo astant, qui sunt summi illi Ordines, ac præsertim Seraphinorum, & tamen ex his etiam summis ad terras aliquando destinantur; ita etiam in Ecclesia militante sunt inferiores administri, quibus Pontifex variis in locis pro Ecclesiæ procuratione utitur. Cæterum, si negotii ratio id postulet, ex supremo etiam & Eminentissimo Cardinalium ordine ad magnas arduasque res tractandas hac illac a Pontifice mittuntur. Stat propterea, assistentiam a Cardinalibus debitam Pontifici, non officere, quominus aliquando ii possint contra Turcas, & Infideles:, pio ac religioso bello vacare.

21. Ad

21. Ad 5. respondeo, duplicem esse sententiam quo ad irregularitatem incurrendam, vel non incurrendam ab iis Clericis, qui vel ex necessitate defendendæ Fidei, vel ex magna utilitate, ad victoriam, unde salus Christianæ reipublicæ pendeat, militiæ dant operam. Prima sententia docet, eos, qui in talibus casibus militant, incurrere irregularitatem; neque enim novum est, quod irregularitas contrahatur ob opus non peccaminosum, imo licitum, & non condemnabile. Ita sentiunt Cajetanus 2.2. *q.*40. *art.*2. Suarez *disp.*13.*de bello sect.*3. *n.*6. *&* 7. Villadiego *in Tract.de Legato a Latere q.*14. *n.*123. aliique. Altera sententia est, quod Clerici in eo duplici casu pugnantes non incurrant irregularitatem. Ita Covarruvias *in Clement. Si furiosus 2.p.* §.3. *num.*2. Valentia *in* 2. 2. *q.*3. *p.*4. *circa fin.* Castropal. *de irregular. p.*14.§.5. *&* 6.aliique. Ratio est; quia, ut inquit Valentia, non est putandum, ullo præcepto Ecclesiastico hominem sub irregularitate vetari facere, quod jure naturali facere tenetur; alioqui jus Ecclesiasticum esset contrarium juri naturali, illudque destrueret, cum tamen potius censendum sit perficere illud: sicut gratia non destruit naturam, sed perficit. Neque est simile de judice & ministris justitiæ, qui ex justitia legali obligantur reos interficere; quia isti voluntarie eam obligationem subierunt, cum talia munera susceperunt: secus est de Clericis pugnantibus in eo duplici casu; ii quippe, non voluntarie, sed veluti coacte tunc bellum suscipiunt, siquidem adiguntur a necessitate, & negotii gravitate. Addas, quod Eminentissimus Vincentius Petra *in Comment. tom.*2. *fol.*171. doceat, non procedere circa Equites Melitenses rationem prohibitivam, quæ est in Clericis, non pugnandi sine necessitate pro defensione patriæ, religionis &c. quia isti primario sunt constituti ad militiam: unde sine incursu irregularitatis possunt se in bello defensivo exercere.

22. Jam vero qui stant pro prima sententia, respondent ad allatam objectionem, non obstare, quod Clerici in eo duplici casu pugnantes, fiant & maneant irregulares; quia ea irregularitas, inquit Cajetanus, sine peccato, & cum merito æternæ vitæ incurri potest. Qui stant pro secunda sententia, respondent, quod officium militandi tendat ad irregularitatem, & consequenter repugnet Clericatui, si fiat regulariter sine urgente necessitate justæ ac religiosæ defensionis, ac sine facultate quæ haberi possit a suo immediato Superiore; secus vero in contraria hypothesi. Huic sententiæ ego adhæreo.

§. V.

Illationes ex dictis ac stabilitis.

23. EX eo quod Cardinalis Professus ex Ordine Hierosolymitano sit vere ac stricte quo ad substantialia Religiosus, infertur primo, ipsum non habere dominium ac proprietatem rerum, nec de iis posse testari sine speciali concessione Summi Pontificis. Ubi notes, duo in tali Cardinali reperiri impedimenta canonica ad testandum. Alterum ex statu Religioso; siquidem Religiosis vetitum est testari, ut fuse docent Canonistæ ac Theologi apud Lessium *lib.*2. *cap.*19. *dub.*4.& Navarrum *de Regul.n.*58. Alterum ex Clericatu; Clerici enim ex iis quæ ex Beneficiorum proventibus congruenti sustentationi super-

persistunt, attento jure scripto, testari nequeunt ne ad pias quidem causas, ut constat ex *Cap. Quia nos, Cap. Relatum 2. & Cap. Cum in officiis, de testam.* Propterea optime docet Corradus *de dispensat. lib. 10. cap. 4. n. 1.* Episcopum, seu Cardinalem Religiosum, in precibus pro facultate testandi debere exprimere utrumque impedimentum; aliter rescriptum facultativum fore irritum: *In proposito igitur*, inquit ipse, *Episcopo Religioso duo concurrunt impedimenta; adeo ut, si in precibus pro facultate testandi, non fuerit expressum, illum esse Episcopum Regularem, ea non valebit*. Hinc, si decederet Cardinalis Regularis cum facultate Apostolica testandi, cui de more inserta sit concessio, ut eidem ab intestato succedant consanguinei, nec in precibus expressum fuerit impedimentum Religiosi status, & pariter in rescripto non habeatur expressa habilitatio contra tale determinatum obstaculum; res mihi dubia esset, an in tali casu succederet intestato Camera Apostolica, vel Cardinalis consanguinei.

24. Infertur 2. talem Cardinalem Religiosum Professum ex Ordine Hierosolymitano, cum talis Ordo non sit Clericalis, teneri ad deferendum habitum suæ Religionis, idest Crucem albam octogonam vestibus assutam; tum quia ita fert consuetudo ac praxis talium Religiosorum Cardinalium; tum quia universim id statuitur *ex Cap. Clerici 2. de vit. & honest. Clericor.* ubi notat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 17.* & tradunt omnes, obligationem hanc esse sub peccato gravi; quia tenentur Episcopi, & Cardinales Regulares recordari, se Religiosos esse; & juxta illius status obligationem mores suos componere, ut bene docuit S. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. Arbitratur tamen Mendo *de Ord. Milit. dis.* 12. *q.* 1. eos non peccaturos mortaliter, quando saltem Crucem pendentem e collo gestarent: *Etenim*, inquit ipse, *sic distinguuntur sufficienter e cæteris, qui non sunt Equites Militares, & insigne speciale suorum Ordinum afferunt, ac videntur satisfacere menti Pontificum, qui id optarunt, ut proprio insigni a cæteris discriminarentur. Aliunde id ita invaluit, ut in communi ipsorum Equitum judicio ac persuasione, imo & virorum, & Auctorum sapientum non censeatur lethale peccatum. Consultius tamen agerent, si habitum gestarent; ad quod sane sunt hortandi*. Hactenus Mendo. Neque obstat, quod Sacra Rituum Congregatio in una *Toletana die 2. Octobris anno* 1610. apud Barbosam *in Summa Apostolicarum decis. v. Canonici*, declaraverit, Equites Militiarum, si Dignitates, aut Canonici sint Ecclesiarum Cathedralium, seu Collegiatarum, non posse gestare insigne sui Ordinis supra togam Chori; nam habitus, seu vestis Cardinalitia, non est toga Chori, sed usualis habitus Cardinalium, qui propterea ab ea lege non comprehenditur. Item neque obstat, quod Cæremoniale videatur aliter præscribere; nam commode explicari potest, sermonem ibi esse de gestantibus Crucem ex concessione Magni Magistri ad ornamentum, & testificationem nobilitatis, non vero de eamdem gestantibus ex obedientia, & ratione suæ Religiosæ Professionis: etenim jura juribus concordare debent, eorumque correctio, quatenus fieri potest, vitanda, *Cap. Cum expediat, de elect. in 6.* Accedit sapientissima & eruditissima Bened. XIV. hac super re Epistola nuper edita, quæ rem totam locupletissime tractat, ac plane conficit, *Bull. tom. 3. pag. 569.*

25. Infertur 3. præfatos Cardinales Professos ex ejusmodi Ordine non peccare contra votum Paupertatis, si habeant supellectilem divitem, & curiosam, dum-

dummodo ea non excedat id, quod juxta praxim talis Ordinis permitti solet, ex Mendo *in Epit.v.Equites milit.* Observandum tamen etiam his Cardinalibus est, quod prudenter ac pie monuit Card. de Lugo *de just. disp.4. sect.4.* videlicet, quod *multa non dedecent hominem laicum, nec in eo reprehenduntur, quæ in Ecclesiastico etiam Prælato, qui pater est pauperum, & vivit ex Dei bonis, reprehensibilia sunt, quod pompam & vanitatem sæculi magis præferant, quam necessitatem, aut decentiam status.*

26. Infertur ultimo, præfatos Cardinales uti posse privilegiis, gratiis, & indulgentiis, quæ ita concessa sunt Ordini suo Militari, ut etiam concessa sint singulis ejus Ordinis Professis, dummodo tamen id esse possit absque ullo gravamine & onere sui Ordinis. Ita Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.3. cap.18.* Castropalaus *de Vot.Relig.Obed. tract.4. p.24.* aliique. Ratio est; quia non apparet ulla efficax ratio, ob quam iis privari debeant. Accedit, quod sicut obligationes & vincula substantialia, quæ non repugnant Cardinalatui, perseverant in Cardinali Religioso, ita etiam ratio postulat, ut privilegia, gratiæ, & indulgentiæ, quibus potest Cardinalis uti absque incommodo Religionis, in ipsomet durent ac perseverent. Limitavi, dummodo id esse possit absque onere Religionis; nam in tali casu Sixtus IV. prout refertur *in Monum.Ordinis Minorum concession.365.* declaravit, usum talium privilegiorum non posse a Cardinali, vel Episcopo Religioso fieri absque consensu Superiorum talis Ordinis.

27. Dixi,uti posse privilegiis,quæ ita concessa sunt Ordini,ut etiam concessa sint singulis Professis: nam quæ concessa sunt taxative corpori Religionis, & in favorem ipsius, qualia sunt administratio bonorum, subditorum regimen, Prælatorum electio &c. nullatenus competunt tali Episcopo Religioso, vel Cardinali, nisi speciali aliquo is fuerit indulto a Pontifice munitus; quia cum sit a corpore illius communitatis sejunctus, nequit gratiis in illius corporis conservationem concessis frui: & ita tradit Suarez *loc. supra cit.*

28. Addidi, nisi speciali aliquo is fuerit indulto a Pontifice munitus; nam Pontifices non raro concessere, ut Episcopi, vel Cardinales ex Ordine Regulari assumpti, ejusdem Ordinis Prælaturas retinerent, eumdem Ordinem gubernarent, subditos regerent, officia ac munera distribuerent, bona administrarent. Sic duo Magni Magistri Hierosolymitani Fr. Daubusson, & Fr. Verdala in suo Religioso gradu ac facultate perstitere post Cardinalatum. Utrum vero Regulares ejusmodi Cardinales possint sine speciali Pontificio indulto confirmari, aut tolerari a Religione in ea dignitate, aut officio, quod antea habebant; partem affirmativam sustinet Lezana *cons.9. n.37.* loquendo de Regularibus in genere: quod multo magis procedet respectu Religionis Hierosolymitanæ in specie; talis namque Religio etsi essentiam veræ Religionis habeat, a multiplici tamen lege, Religiosis omnibus communi, est exempta: unde non comprehenditur a Const.Clem.VIII. de largitione munerum, nec Pii IV. de spolio Regularium pro acquisitis ex illicita negotiatione, nec ab aliis relatis a Lezana *loc. cit.* imo Religiosi hujus Ordinis capaces sunt obtinendi Majoratus, succedunt in feudis &c. Quare poterunt etiam tolerari aut confirmari a Religione in dignitate, seu officio, quod antea obtinebant; & fortasse ita usus fert.

F I N I S.

DE

DE
VICARIIS.

DE VICARIO APOSTOLICO

PARS PRIMA.

PROŒMIUM.



Um olim contigerit, ut nobilis Sacerdos e Congregatione sacrorum Canonum, & Casuum, Vicarius Apostolicus a Summo Pontifice institueretur, visum fuit universæ Academiæ de muneris hujusce prærogativis & partibus illum ad plenum erudire; idque re ipsa conscripto Opusculo præstitum est. Quod itaque in unius Sacerdotis gratiam eo tempore edidimus, id omnium utilitati & commodo nunc proponimus. Ecce illud.

§. I.

Quisnam intelligatur nomine Vicarii Apostolici?

1. Vicarius Apostolicus, teste Thomassino *lib.* 1. *cap.* 18. *&* 30. olim dicebatur, qui habebat Romani Pontificis vices sibi commissas in certas quasdam provincias, earumque Metropolitas. Hujus Vicarii munus erat tum invigilare, ut ab omnibus servarentur canones, tum provinciis illis, & Metropolitis jus dicere, ac de omnibus ferme causis ibidem supremam ferre sententiam, intactis tamen & integris Metropolitarum ipsorum juribus. Dixi, de omnibus ferme causis; nam neutiquam poterat de omnibus absolute: majores enim & graviores sibi Pontifex reservabat. Primus hujusmodi Vicarius ex historia Ecclesiastica occurrit Archiepiscopus Thessalonicensis tempore Damasi Papæ: atque hæc videtur fuisse causa, inquit Bellarminus *de Romano Pontifice l.* 2. *cap.* 21. cur in Sardicensi Concilio *can.* 20. statueretur, ne Clerici extranei diu morarentur Thessalonicæ; cum enim ibi sederet Vicarius Papæ, eo confluebant ex tota Græcia Clerici, & sæpe diutius hærebant, quam oporteret. Varii deinde in variis regnis ac provinciis a diversis Pontificibus leguntur constituti Apostolici Vicarii, ac præsertim apud S. Gregorium *lib.* 4. *epist.* 52. legitur, ab ipso Vicarium Apostolicum electum fuisse Vigilium Episcopum Arelatensem per totas qua late patent Gallias, reservatis sibi gravioribus causis.

2. Nunc vero Vicarius Apostolicus is dicitur, qui mittitur vel a Pontifice immediate, vel a Sacra Congregatione Episcoporum cum Brevi, vel litteris, ad regendam aliquam diœcesim sive sede plena, sive vacante, cum tota jurisdictione Episcopali. Causa autem talis missionis est in multiplici differentia, prout late explicat Nicolius *in lucubrat. tom.* 2. *tit.* 28. potissima

vero triplex censetur: videlicet 1. cum Ecclesia diu vacat: 2. cum Episcopus est per ætatem gravem impeditus, & fere penitus inhabilis: 3. cum idem fuerit suspensus a jurisdictione. Juxta has tres diversas causas diversitas aliqua huic Vicario inesse solet, ut infra exponemus.

3. Placet proinde, ad Sacerdotes hujus Congregationis rite edocendos, de Vicario Apostolico in hac secunda ac recenti acceptione disserere. Ac primo loquemur de qualitate personæ in Vicarium Apostolicum eligendæ; deinde de ejusdem Vicarii potestate; tertio de ejusdem præeminentia; quarto de obligatione; postremo de provisione & emolumentis Vicarii Apostolici, ejusque officii cessatione.

§. II.

De qualitate personæ in Vicarium Apostolicum deputandæ.

4. DEputandus in Vicarium Apostolicum debet esse vir qualificatus, circumspectus, providus, bonæ conversationis & famæ, atque ea juris utriusque doctrina præditus, qua suo satis muneri facere, & diœcesi populoque sibi a Sede Apostolica commisso prospicere possit. Hinc litteræ Pontificiæ, quibus ejusmodi provincia illi demandatur, hæc habere solent: *de tuis fide, prudentia, integritate, ac doctrina plurimum in Domino confisi*: hæ siquidem dotes in eo prærequiruntur, qui ad sustinendas proprii Episcopi partes a Sede Apostolica deligitur. Quamvis vero de licentia & concessione Papæ possit ejusmodi Vicariatus committi etiam pure laico, ut firmant Pax Jordanus *num.* 101. Sbroz. *lib.* 1. *q.* 31. *n.* 13. Gemin. *in Cap.* 2. *de præb. in* 6. aliique, nihilominus is debet esse ad minimum Clericus primæ Tonsuræ: *indecorum* quippe est, *Vicarium* Episcopi (idem dic de Vicario Apostolico) *esse laicum, & viros Ecclesiasticos judicare: Can. In nova* 16. *q.* 7. Imo Illustrissimus Bassi Episcopus Anagninus in suo Tractatu *de Vicario Apostolico* docet, conveniens esse, ut deputandus in Vicarium Apostolicum sit Sacerdos; quia debet imperare Sacerdotibus, & non raro in Sacramentorum administratione manus apponere. Certe etsi inferior possit auctoritate delegata procedere contra majorem, *ex Cap. Sane, de offic. delegat.* quando tamen id necessarium non sit, decet, alium in dignitate, vel gradu parem substituere, arg. *ex Cap.* 2. *de major. & obed.*

5. Ætas etiam personæ deputandæ est attendenda: non debet quippe Vicarius Apostolicus esse minor annorum 25. inchoatorum; siquidem ea ætas requiritur in iis, quibus cura animarum imponitur, juxta *Cap. Licet, & Cap. Cum in cunctis, de elect. in* 6. & juxta Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* ubi habetur, neminem ad quascumque dignitates, quibus animarum cura subest, promoveri posse, nisi qui annum 25. ætatis suæ attigerit. Intelligas tamen, dummodo Pontifex sive expresse, sive tacite, super ætate non dispenset, prout potest, & facit, quando sciens personam ætate præscripta minorem, eam tamen in Vicarium Apostolicum designat.

6. Usus habet, ut deputatus in Vicarium Apostolicum, vel sit, vel in tali occa-

occasione fiat Protonotarius Apostolicus ; quinimo non raro factum est, ut Episcopus Titularis deputatus fuerit Vicarius Apostolicus in aliqua diœcesi tam in Pontificalibus, quam in spiritualibus, seu tota jurisdictione Episcopali.

§. III.

De potestate Vicarii Apostolici.

7. Potestas concedi solita Vicario Apostolico constat ex Brevi, seu litteris, quibus illi vel a Pontifice, vel a Sacra Congregatione talis provincia demandatur. Hanc maximam esse consuevisse asserit Corradus *de dispens. Apost. lib. 7. cap. 4. num. 66.* Eam tamen ut quis probe intelligat, distinguendum est inter Vicarium Apostolicum deputatum sede Episcopali vacante, & inter deputatum sede plena sive ob infirmitatem Episcopi, sive ob ejus amotionem ab administratione.

I.

8. Et si quidem Vicarius Apostolicus deputatus fuerit sede vacante, habet de jure facultatem quasi Episcopalem quo ad jurisdictionalia, exceptis nonnullis, quæ specialiter reservantur. Hinc potest exequi litteras, quæ dirigi solent Vicariis Episcopalibus, ac dare dimissorias post annum, & infra annum arctatis, ac si esset Vicarius Capitularis, nisi hoc ei specialiter prohibeatur, ex Nicolio *in lucubrat.* & ex Bassi *tit.* 2. Præterea habet de jure facultatem conferendi Beneficia liberæ collationis, ex Marchett. *part.* 2. *tit.* 32. Dixi, de jure; nam de stylo hodierno est, ut facultas dandi dimissorias, & conferendi Beneficia, illi auferatur in Brevi, seu litteris respective Sacræ Congregationis, prout innuit Monacellus *part.* 2. *tit.* 16. *formul.* 8. Quandoque tamen in Statu Ecclesiastico solum prohibentur dimissoriæ pro sacris Ordinibus; qua prohibitione interveniente, non potest Vicarius Apostolicus dimissorias concedere, ne illis quidem, qui obtinuerunt rescriptum a Sacra Congregatione: *Expectent ætatem*: etenim ii, ætate adveniente, debent iterum Sacræ Congregationi supplicationes porrigere, ex Bassi. Aliquando etiam Sacra Congregatio facultatem hujusmodi impertitur Vicario ad tempus limitatum, puta ad annum. Cæterum solent Vicarii Apostolici pro casuum contingentia hanc facultatem a Sacra Congregatione exposcere; quæ ubi intellexerit, in ordinandis concurrere una cum litteratura alia necessaria requisita, copiam facit Vicario Apostolico dandi tales dimissorias: ex eodem.

9. Pariter sede Episcopali vacante potest, imo debet Vicarius Apostolicus exequi litteras, vel Bullas, vel dispensationes matrimoniales directas Episcopo, vel ejus Vicario Generali, ex de Justis *de dispens. Matr. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 38. Potest etiam monitoria concedere pro revelatione bonorum, & jurium occultorum, & contra non revelantes devenire ad excommunicationem, ex Gavanto *in Man. verb. Excommunicatio.*

10. Demum, ne longus sim, Vicarius Apostolicus, ut dicebam, sede vacante omnia ea facere potest, quæ ipse Episcopus, Pontificalibus, collatione Beneficiorum, & aliis perpaucis exceptis. Dixi, exceptis Pontificalibus:

bus: quod est limitandum, nisi fuerit Episcopus Titularis, qui ea exercere possit: nam in tali hypothesi sicut potest alteri Episcopo impertiri licentiam exercendi in ea diœcesi Pontificalia, ut notat Bassi; ita eadem facultate potest ipsemet uti. Dixi etiam, excepta collatione Beneficiorum; nam, ut supra diximus, de stylo Curiæ id eis interdicitur in litteris, quibus tale officium demandatur. Volunt tamen nonnulli, spectare ad Vicarium Apostolicum erectionem Beneficiorum cum reservatione juris patronatus; quamvis alii, & melius censeant, eam ad ipsum spectare, quando id habeat expressum in facultatibus, prout exprimi consuevit: quemadmodum etiam aliquando exprimitur, ad ipsum pertinere collationem Parochialium in mensibus Ordinarii, ex Nicolio. Illud certum est, penes ipsum Vicarium Apostolicum esse, facere concursum, & eligere magis idoneum, & fidem mittere ad Datarium, ex decreto Sacræ Congregationis apud Nicolium: quamvis in aliqua hypothesi, ut infra dicam, hæc facultas in controversiam vocetur.

11. Dixi ad extremum, aliis perpaucis exceptis. Nam in primis non satis constat, utrum de facto competat Vicario Apostolico facultas concedendi Indulgentias 40. dierum, prout solent Episcopi, quamvis nonnulli ex Vicariis Apostolicis ea facultate usi fuerint, ut refert prælaudatus Bassi. Deinde nequit vestes sacras ad usum Sacrificii benedicere; siquidem talis benedictio, non ad jurisdictionem, sed ad Ordinem Episcopalem pertinet, ex Tamburino *in Methodo*, contradicentibus aliis nonnullis. Tandem nequit a censuris absolvere, quas aliquis incurrerit propter læsam Ecclesiasticam libertatem, nec unire Beneficia simplicia pro augendis præbendis tenuibus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ex Sacra Congregatione Concilii apud Bassi.

II.

12. Quando autem Vicarius Apostolicus deputatus fuerit sede Episcopali plena, tunc etiam eamdem ferme ipse jurisdictionem habet, quam Episcopus, juxta superius dicta; sed cavere debet, ne se intromittat in causis tam civilibus, quam criminalibus concernentibus personam Episcopi, nisi id sibi fuerit a Curia Romana demandatum, ex S. Concilii Congregatione 1640. Præterea, si visitet diœcesim, & secum veniat Episcopus, quemadmodum hic nequibit se ingerere in visitatione, sed solum Pontificalia exercere, ita, ne Clerus eo casu gravetur duplicibus expensis, Episcopus & Vicarius simul non poterunt secum ducere plures, quam quinque personas in totum, ex Sacra Congregatione apud Nicolium.

13. Dubitatum olim fuit, an in concursu ad Parochialia prælectio dignioris pertineat ad Vicarium Apostolicum, vel potius ad Episcopum, quando huic præservatum fuerit jus conferendi Beneficia? Cui dubitationi respondit Sacra Congregatio *de anno 1628. in Aletin. 19. Junii*, pertinere ad Vicarium Apostolicum; & quidem etiamsi Parochialis vacaret in mense Episcopi, *in Bisinianen. de anno* 1653. apud Nicolium.

14. Dubitatur etiam, an, sede plena, & existente in diœcesi Episcopo, possit Vicarius Apostolicus dispensare in votis, juramentis, impedimentis canonicis &c.? Videtur enim, non posse: quia ex una parte illi ea dumtaxat com-

committuntur, quæ ſunt meræ juriſdictionis: diſpenſatio autem non importat meram juriſdictionem, ſed inſuper gratiam, & liberalitatem: ex alia vero parte non urget neceſſitas, cum facilis ſit recurſus ad Epiſcopum, ſive is fuerit ætate provectus, ſive debilis & infirmus, ac propterea non eſt ex urgenti neceſſitate præſumendus conſenſus Apoſtolicus ad diſpenſationes. Nihilominus cenſeo, Vicarium Apoſtolicum habere ejuſmodi facultatem diſpenſandi, etiam exiſtente Epiſcopo in diœceſi; nam in litteris Apoſtolicis, quibus illi Vicariatus demandatur, expreſſe apponitur clauſula, qua tribuitur poteſtas exercendi ea omnia, quæ ratione juriſdictionis competunt Epiſcopo, etiamſi talia forent, quæ magis ſpecificam & expreſſam exigerent commiſſionem. Cum autem diſpenſatio pertineat ad juriſdictionem, & quatenus ſapit gratiam ac liberalitatem, fortaſſe exigat ſpecialem commiſſionem; hæc commiſſio intelligitur facta a Sede Apoſtolica tali Vicario per talem clauſulam. Unde non ſolum in caſibus frequenter occurrentibus, & quando urget neceſſitas, poterit Vicarius Apoſtolicus diſpenſare ex præſumpta Superioris voluntate: ſed etiam extra has circumſtantias, ex expreſſa ſibi facta conceſſione a Sede Apoſtolica.

§. IV.

De præeminentialibus Vicarii Apoſtolici.

15. EAs præeminentias Vicarius Apoſtolicus de jure ſibi vendicat, quæ proxime accedunt ad Epiſcopales. Propterea quo ad ſeſſionem in Choro tenere debet primum locum, non tamen in Solio Epiſcopali, ex decreto Sacræ Congr. 28. *Auguſti* 1589. Limites, niſi eſſet ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, & interveniret in habitu Canonicali; nam tunc ſedere deberet poſt primam Dignitatem Capituli, ex Gratian. *diſcep.* 106. *num.* 1. apud Baſſi. Hinc ipſe præcedit omnibus Magiſtratibus, quando non ſint de majoribus & perpetuis, ex Panimoll. *deciſ.* 1. *adnotat.* 5. *n.* 7. non tamen præcedit Gubernatoribus civitatum, quando ii fuerint Prælati, ex Barboſa *de Jure Eccl. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 42. Conſuetudo etiam invaluit, ut locus in quo ſedet Vicarius Apoſtolicus, aliquibus honorificentiæ ſignis diſtinguatur; puta, ornetur tapete, & pulvinari, ex Baſſi *tit.* 5. Non tamen is poteſt ſibi Baldachinum erigere in Cathedrali, vel alibi, ex Pace Jordano.

16. Quo ad aſſociationem, Sacra Congregatio *die* 28. *Auguſti* 1589. decrevit, non eſſe a Vicario Apoſtolico cogendos Canonicos, ut illum comitentur ab Eccleſia ad palatium redeuntem, vel inde ad Eccleſiam venientem: talis quippe aſſociatio voluntariæ eſt officioſitatis, non autem neceſſariæ obſervantiæ, niſi erga Epiſcopum Pontificaliter incedentem. Item indebita eſt illi aſſiſtentia Canonicorum; ſiquidem hoc eſt proprium privilegium Epiſcoporum, ex Pellegrin. *ſect.* 6. *n.* 9. *&* 10. Quinimo neque illi eſt debita aſſiſtentia duorum Clericorum, ſeu Cappellanorum cum Cottis, quando celebrat, etiamſi fuerit Protonotarius Apoſtolicus; neque etiam exigere poteſt, ut quatuor, vel plures candelæ accendantur, quando ipſe ad Aras operatur,

ex

ex Barbosa *de Jure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 35. Addit Gavantus *part.* 2. *tit.* 6. constare ex decretis Congr. Card. super negotia Episcop. 22. *&* 28. *Augusti* 1589. non deferendum illi inter Missarum solemnia librum Evangeliorum osculandum. Ex quibus apparet, Vicario Apostolico majorem quidem reverentiam deberi, quam Vicario Episcopali, aut Capitulari, non eamdem tamen omnino, quæ debetur Episcopo.

17. Quo ad alias functiones, in distributione Candelarum, Palmarum, & adoratione Crucis, Vicarius Apostolicus præfertur ipsis Dignitatibus, & Capitulo, argum. ex paritate Vicarii Generalis. In supplicationibus publicis præcedit Canonicis, & Dignitatibus; non tamen præcedit Canonicis, & Dignitatibus, quando ii incedant sacris vestibus induti, ex Pignatel. *cons.* 64. *n.* 15. *&* 16. non obstante contraria alicubi existente consuetudine. Thurificatio, ex communiori opinione, & recentioribus declarationibus Sac. Rituum Congregationis, non debetur Vicario Apostolico, nisi duplici ductu, etiamsi incedat cum Rocheto, & habitu Protonotarii, seclusa immemorabili consuetudine, ex Barbosa *in Collect. Bullar. v. Episcopus.* Accedenti ad aliquam Ecclesiam sive sæcularem, sive Regularem, Aqua lustralis porrigenda ei est per simplicem contactum aspersorii, non autem per hujus traditionem, quo se ipsum signet & alios aspergat, ex Bassi: quemadmodum, eodem teste, nequit Vicarius Apostolicus Sacris operaturus permittere, ut sibi præparetur Abacum, seu Credentia, more Episcoporum, cum pelvi, ac manutergio. Item nequit uti palmaria, vulgo *Bugia*, ex Monacello *Form. tom.* 1. *tit.* 2. *form.* 4. *num.* 28. Demum advertendum, non competere Vicario Apostolico facere functiones Episcopales, sive absente, sive impedito Episcopo, sive etiam sede vacante; sed hoc spectare ad primam Dignitatem, & successive ad alios seniores de Capitulo: sicuti etiam non pertinet ad ipsum alias Ecclesiasticas functiones peragere, puta benedicere Candelas &c. Ipsius tamen est sedulam navare operam, ut hæc omnia rite & ad præscriptum sacrarum legum apposite fiant.

§. V.

De obligationibus Vicarii Apostolici.

18. TOta Vicarii Apostolici obligatio hæc tria complectitur, residentiam, vigilantiam, judicium. Et primo quidem Vicarius Apostolicus tenetur residere in ea diœcesi, cui præficitur, ita ut nequeat ad longum tempus ab ea discedere sive accessurus ad Urbem, sive a Principibus vocatus, sine licentia Sacræ Congregationis, ut pluries resolutum testatur Nicolius *v. Vicarius Apostolicus*. Per hoc tamen non prohibetur, quominus id possit ad modicum tempus, & ex urgente ac magna causa, ac non nimis frequenter; siquidem in his circumstantiis lex universaliter lata benignam admittit interpretationem: etenim, ut habetur *in reg.* 90. *In omnibus, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est*. Quo casu posset ipse alium sibi substituere cum simili, vel limitata facultate & potestate. Hæc quippe facultas alium sibi substituendi, expresse illi conceditur in Brevi, seu litteris Apostolicis suæ deputatio-

tationis. Ex occasione autem residentiæ in diœcesi sibi commissa, si Vicarius Apostolicus fuerit alibi Canonicus, non amittit fructus sui Canonicatus; imo solet illi concedi Indultum percipiendi in absentia distributiones, cum aliis etiam privilegiis, puta optandi domos Canonicales per Procuratorem &c. ex Bassi, qui testatur ita secum præclare actum a Sacra Congregatione.

19. Deinde tenetur Vicarius Apostolicus sedulo invigilare, ut morum integritas in diœcesi, ac legum Canonicarum reverentia & custodia vigeat. Quare illud sibi propositum esse debet, quod olim Innocentius III. scripsit Vicario Apostolico Constantinopoli existenti, prout habetur *tit. de consuet. Cap. 4.* scilicet: *Quanto de benignitate Sedis Apostolicæ locum obtines celsiorem, tanto tibi est sollicitius procurandum, ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram, vel ad sinistram, quod non minus re, quam nomine vices Apostolicas gerere videaris*. Propterea suas esse partes intelliget, dare operam, ut cæteris ipse religione ac vitæ sanctitate antecedat; ut sacri ritus & Ecclesiasticæ cæremoniæ a Clericis, aliisque, ad quos spectat, exacte observentur; ut non desit Episcopus qui Sacramentum Confirmationis suo tempore populo administret; ut omnia demum composite fiant, quæ ad pastoralem curam, & sollicitudinem pertinent: hæc quippe tota ipsius industriæ ac diligentiæ a Sede Apostolica demandata est. Qua in re obversari illi debet exemplum S. Petri Thomasii Episcopi primum Pactensis, ac deinde Patriarchæ Constantinopolitani, qui Vicarius ac Nuncius Sedis Apostolicæ per omnes qua late patent Orientales regiones, mirum est, quas ubique locorum res gesserit ad Fidei Catholicæ amplificationem, & Schismaticorum reconciliationem; adeo ut Græcus Imperator Pontifici Maximo gratias egerit per hæc expressa verba: *Quia misistis nobis sapientem virum & prudentem, de quo Imperium nostrum multum est consolatum, & omnes Romæi, & Latini propter doctrinam suam in meliorem vitam sunt mutati, & confirmati*: uti refert Henschenius *in Vita*.

20. Postremo tenetur Vicarius Apostolicus judicare; est quippe Judex ordinarius habens fundatam intentionem in exercitio ordinariæ jurisdictionis sibi quasi Episcopo competentis; & idcirco potest statuta condere, atque ad ea statuta observanda cogere intentatis pœnis, & illorum transgressores punire, ex litteris Apostolicis §. *Cum eisdem facultate, auctoritate &c.* Quamvis autem ex eisdem Apostolicis litteris possit multas pecuniarias injungere, nequit tamen eas sibi applicare, sed deponendæ erunt apud probum & idoneum virum, & in pios usus arbitrio ipsius Vicarii erogandæ. Nec solum per se ipsum potest causas tum criminales, tum civiles, etiam per appellationem devolutas cognoscere, sed etiam aliis earumdem cognitionem committere. Imo causæ ipsæ matrimoniales, quamvis sint de arduis, cum in iis agatur de statu hominis, a Vicario Apostolico cognoscuntur & terminantur. Neque obstat dispositio Tridentini eas removens ab examine illius, qui sit inferior Episcopo; nam id intelligendum non est de Vicario Generali Episcopi, ut inquit Sbroz. *q.* 43. *n.* 7. & a fortiori intelligendum non est de Vicario Apostolico, sed de aliis inferioribus Prælatis. Quo ad pœnas vero infligendas, etsi am-

 plissi-

pliſſima illi tradatur poteſtas a Sede Apoſtolica, ita ut deponere, excommunicare, ſuſpendere, & interdicere valeat; tamen exiſtimo, ad realem & actualem Clerici delinquentis degradationem eum devenire nequaquam poſſe, niſi fuerit Epiſcopus Titularis: ſiquidem realis degradatio videtur ſpectare ad Ordinem Epiſcopalem, & certe per ipſum eam Epiſcopum fieri vult ſancta Tridentina Synodus *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *de ref.* quod pariter aliqui tradunt de degradatione, ſeu depoſitione verbali, apud Sbroz. *lib.* 2. *q.* 167. Illud vero eſt ſedulo curandum, ne per inflictas pœnas publicetur peccatum quod eſt ſecretum; nam, ut optime ajebat S. Auguſtinus *ſerm.* 17. *de verbis Domini*, *Corripienda ſunt ſecretius, quæ ſecretius peccantur... Curare volo, non accuſare. Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus: nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus &c.* Sapientiſſimi hujus Antiſtitis exemplum norma ſit Vicario Apoſtolico ad ſuas dirigendas in populum & Clerum animadverſiones.

§. VI.

De proviſione & emolumentis Vicarii Apoſtolici.

21. CUm ex Apoſtolo 1. *Cor. cap.* 9. ſatis conſtet, æquum eſſe, ut qui pro Evangelio laborant, iidem ex Evangelio vivant, ideſt ex ſua vinea, ſcilicet Eccleſia, & ex ſuo grege, nempe Chriſtianorum bonis, ſumptus & alimoniam accipiant; propterea Vicario Apoſtolico, qui uni particulari diœceſi ſuam navat operam, ex eadem ſolet congrua aſſignari ſuſtentatio. Et quidem in litteris Sacræ Congregationis ea illi quantitas regulariter attribuitur, quæ ducentorum ſcutorum monetæ Romanæ ſummam in ſingulos annos expleat, ultra expenſas pro acceſſu & receſſu, aliaque emolumenta ordinaria & extraordinaria. En verba litterarum Sac. Congregationis: *Volumus autem, quod pro tua, & familiæ tuæ ſuſtentatione, ex redditibus Eccleſiæ prædictæ proviſio annua ducentorum ſcutorum monetæ Romanæ perſolvatur, & ejus rata de quadrimeſtri in quadrimeſtre anticipata ſolutione, ultra expenſas pro acceſſu & receſſu, aliaque emolumenta ordinaria, & extraordinaria, licita, ſolita, & conſueta, ita ut ſi iis ad quos ſpectat in ſolutionibus, vel aliqua earum defecerint ſuo tempore, lapſis decem diebus, ex fructibus menſæ Epiſcopalis pro deficiente portione, quæ tibi debebitur, propria auctoritate capere & exigere libere & licite poſſis & valeas, ſimulque viaticum pro expenſis acceſſus & receſſus, cum habitatione congrua in palatio Epiſcopali pro tempore officii habere debeas.* Quæ quidem verba licet adeo ſint clara, ut elucidatione non egeant, aliquæ tamen ex his naſcuntur difficultates, quæ breviter ſunt enodandæ.

22. Dubitatur enim primo, quouſque ſe debeat extendere ſumma eroganda pro acceſſu & receſſu? ℞. id metiendum ex locorum diſtantia, unde ſcilicet, & quo ire debeat Vicarius Apoſtolicus. Hinc aliquando ei dantur ſcuta vigintiquinque pro acceſſu, & totidem pro receſſu, ex Pellegrin. *tit. de Vic.*

Vic. Apostolic. p. 1. sect. 6. n. 32. aliquando datur summa usque ad centum, ut constat *ex Brundusina* 18. *Januarii* 1613. & in specie pro accessu a Metropolitana Taurinensi ad Civitatem Auximanam, testatur Illustrissimus Bassi, sibi fuisse impertita scuta octoginta ex redditibus ejusdem Episcopalis mensæ, triginta vero pro accessu a Civitate Auximana ad Anagninam.

23. Dubitatur 2. an assignata provisio incipiat Vicario Apostolico currere a data litterarum Sacræ Congregationis, vel ab ingressu in civitatem, quando inchoatur exercitium jurisdictionis? ℟. Incipit currere a die ingressus in civitatem. Ita *in Brundusina* 10. *Junii* 1611. Et ratio est; quia pro accessu & viatico aliud sufficiens honorarium subsidium illi tribuitur; atque idcirco non est causa, ob quam ulterior merces sit eidem impertienda.

24. Dubitatur 3. an, stante paupertate mensæ Episcopalis, quæ non sufficiat congruæ tum Episcopi vel infirmi, vel suspensi, tum Vicarii Apostolici sustentationi, minuenda sit Vicario Apostolico ducentorum scutorum assignata provisio? ℟. Esse minuendam, docet Bassi; & ita secum actum fuisse testatur, cum Ferentinæ diœcesi Vicarii Apostolici munere ipse præesset. Verum id puto pendere ex variis circumstantiis; nam merces correspondere debet operæ ac labori, & personales operas locanti justa danda est pensio. Cum itaque, attentis circumstantiis, summa scutorum ducentorum possit esse pensio taxative justa ac proportionata Vicarii Apostolici, ita ut minor sit infra justum pretium, sequitur, quod assignata provisio in tali casu non sit semper minuenda, sed aliunde supplenda, quando ex mensa Episcopali tota extrahi nequeat, & ex alia parte Vicarii labor atque opera totam requirat.

25. Dubitatur 4. an simoniam, vel turpe lucrum sapiat acceptio pecuniæ facta a Vicario pro administratione sui officii? ℟. Licet jurisdictionem Ecclesiasticam vendere, vel locare, prohibitum sit *in Cap. Præterea &c. ne Prælati vices suas &c.* aliisque juribus, & consequenter nefas sit administrationem Ecclesiasticæ jurisdictionis comparare constituto pretio; nihilominus datio pecuniæ, quæ fit Vicario post commissum illi officium loco salarii ac stipendii, non est illicita, ut expendit Fagnanus *in Cap. Quoniam, ne Prælati vices suas &c.* Ratio est; quia non datur illi in pretium administrationis Ecclesiasticæ jurisdictionis, sed in mercedem sui laboris & operæ, quam locat Vicarius Sedi Apostolicæ, vel Episcopo respective.

26. Dubitatur 5. an possit Vicarius Apostolicus ea etiam emolumenta accipere, quæ proveniunt ex decretis, aliisque jurisdictionalibus actibus? ℟. Quæ de jure, vel legitima consuetudine debentur Judici, aut Prælato lustranti diœcesim, aut visitanti Ecclesias &c. eadem debentur Vicario Apostolico, quando hæc præstiterit: nam Sacra Congregatio, præter certum stipendium, ei attribuit alia etiam emolumenta *ordinaria, & extraordinaria, licita, solita, & consueta*. Cavendum tamen ei est, ne quidquam exigat ratione sigilli; est quippe id illi vetitum, ut constat apud Nicolium *in Flosc. v. Vicarius Apostolicus.* Cavendum etiam est, ne quidquam exigat ratione licentiæ, vel quasi dispensationis, quam dederit subditis in ordine ad præceptorum observationem, vel excusationem, ut verbi gratia laborandi in die festo propter occurrentem ne-

 cessi-

cessitatem, vel comedendi cibos prohibitos in aliquo die, & similia, sive hæc fiant per proprium actum jurisdictionis, sive per authenticam approbationem, ut sic dicam, causæ excusantis. Nam, ut recte docet Suarez *de Simon. cap.* 19. *n.* 11. quomodocumque hæc fiant, sunt actus spirituales pastoralis officii, & ideo nullo modo vendi possunt, nec pro iis pretium accipere fas est. Videatur tamen idem Suarez *de Simon. cap.* 20. *num.* 12. ubi explicat, an, & quatenus licite aliquid in his exigi possit pro officialibus, & expensis eorum, & laboribus in scribendo, expediendo &c. Verum illud Concilii Cabillonensis saluberrimum monitum Vicarius Apostolicus semper præ oculis habeat: *Animarum salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet.*

27. Dubitabis 6. utrum ex redditibus sui Vicariatus teneatur in pauperes eleemosynas aliquas erogare? ℞. Non solum thesaurizabit sibi thesauros in cœlo Vicarius Apostolicus, sed magnum etiam in commissæ sibi diœcesis regimine commodum sentiet ex eleemosynis; nam egenorum commiseratio, atque eleemosynarum largitio, omnium illi amorem atque existimationem conciliabit. Cæterum ex redditibus, qui illi obveniunt tanquam merces, vel stipendium Vicariatus, non habet obligationem erogandi superfluum in causas pias; nam tales redditus, licet in aliquo sensu latiori, saltem ratione personæ Clericalis, dicantur subinde Ecclesiastici, tamen proprie tales non sunt, sed sunt quasi patrimoniales, quorum libera dispositio ac plenum dominium residet penes ipsum Clericum, ut ex communi recte docent Navarr. *de red. Eccl. q.* 1. Major *in* 4. *d.* 24. *quæst.* 17. Covar. *in Cap. Cum in officiis, de testament.* aliique contra Innocent. *Cap. Quia nos, de testam. &c.* ac propterea, nisi charitas aliud exegerit, poterit superfluum talium redituum in suos usus Vicarius expendere: charitas autem aliter exiget non solum in extrema & gravi necessitate pauperum, sed etiam in communi & ordinaria, saltem sub veniali, ex Layman *de Charit. cap.* 6.

§. VII.

De expiratione Vicariatus Apostolici.

28. Officium & jurisdictio Vicarii Apostolici expirat variis modis, ac primo quidem per mortem naturalem ejusdem Vicarii; mors enim omnia solvit, ex Pirhing *ad tit. de officio Vicar. n.* 68. Non tamen per mortem illius, aut quamcumque aliam amotionem, proprie vacat Vicariatus; cum iste non sit Beneficium, ex Layman *in Cap. Statutum, de rescript. num.* 5. ubi etiam sciendum, quod, si moriatur Vicarius Apostolicus durante officio, non subjacet spolio, prout rescripsit Sacr. Congr. Episc. & Regular. *in Brundusin.* 22. *Maji* 1612. *Non si può fare per mercedi decorose di Vicario Apostolico spoglio a chi non possedeva Beneficio alcuno, nè faceva negozj illeciti, & in ogni caso si devono sempre detrarre li debiti del defunto.*

29. Secundo expirat per renunciationem expressam factam ab ipso Vicario; nam per voluntariam ac legitimam cessionem non solum cadit jus in re cum possessione, sed etiam purum jus ad rem, ex *Cap. Si electio* 26. *de elect. in* 6.

in 6. Dixi, per renunciationem expressam; nam dubium est, an expiret per renunciationem tacitam: puta, si e diœcesi discedat, in qua constitutus erat Vicarius, animo non redeundi? In qua quidem controversia verius existimarim, Vicariatum per tacitam hanc renunciationem expirare. Ratio mihi est; quia Vicarius Apostolicus quamdam habet similitudinem, seu affinitatem cum Legato Apostolico: Legati autem Apostolici munus expirat, si ipse a provincia sibi commissa egressus fuerit animo non redeundi, argum. *l. 3. ff. de officio Præsidis*, Fagnanus *in Cap. Præsentata, de testib.* Neque obstaret, si discederet absque ulla revocatione facta a Romana Curia; nam quamvis haud improbabiliter hanc revocationem aliqui Doctores exigant, nihilominus contrarium docet *loc. cit.* Fagnanus de Legato, idemque nos contendimus de Vicario Apostolico.

30. Tertio tandem expirat Vicariatus Apostolicus per revocationem factam a constituente, nempe a Sacra Congregatione. Hæc autem revocatio ex multis causis fieri consuevit. Ac primo, si cesset finis, ob quem constitutus fuerat in ea diœcesi Vicarius Apostolicus: videlicet, si Ecclesiæ fuerit provisum de novo Pastore, si Episcopo fuerit restitutum regimen, ablata suspensio, & facta reintegratio ad curam sui Episcopatus, si Episcopus ex ea qua detinebatur infirmitate convaluerit &c. Secundo, si desit modus sustentandi Vicarium: puta, si redditus Episcopatus sint adeo tenues, ut non sufficiant ad congruum Vicarii salarium suppeditandum, & simul ad Episcopi, & alia Episcopatus onera recte compositeque sustinenda. Tertio demum, si Vicarius ipse aut fiat, aut reperiatur ad tale munus inidoneus: quod contingeret, si ipse committeret sordes in exercitio jurisdictionis, si non tueretur immunitatem, libertatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam, si negligens esset in cura Ecclesiæ, cui præest, ac postremo si efficeretur infensus, aut minus gratus civitati, ac diœcesi, cui præficitur. Notandum tamen est diligenter, necesse esse, ut revocatio denuncietur ac intimetur Vicario, ad hoc ut ejus officium & jurisdictio expiret, ex Ventrigl. Pirhing, Pace Jordano, aliisque cum communi; nec satis esse, quod novus Episcopus eum removeat: nam deputatus cum is non fuerit ab Episcopo, pariter nec ab eodem removeri potest; sed opus est, ut Sacræ Congregationis interveniat auctoritas.

31. Ad extremum duo sunt, quæ de Vicario Apostolico prætermissa nequaquam velim. Alterum est, quod ejus officium durat etiam vacante Sede Apostolica, prout declaravit Sacra Congregatio apud Nicolium *in lucubrationibus*, nec Capitulum potest deputare novum Vicarium, quando moritur Episcopus, cui fuerit datus Vicarius Apostolicus: solet tamen Sacra Congregatio ex abundanti Capitulis, occurrente casu, prohibere electionem Vicarii Capitularis, prout observat Nicolius *loc. cit. v. Vicarius Apostolicus*.

32. Alterum est, quod usus constituendi Vicarios Apostolicos per varias diœceses ac regiones, sicuti olim quando illis delegabantur vices Pontificiæ, cum reservatione tamen majorum causarum, plane ostendebat, ad Apostolicam Sedem summum judicium totius Ecclesiæ pertinere, ut recte docet Bellarminus *de Summo Pontifice l. 2. cap. 20.* ita hodie, quando illis per Pontificem,

cem, aut Sacram Congregationem committuntur vices Episcopales, manifeste declarat, penes Romanum Pontificem esse Apostolatum, seu universalem erga omnes Fideles jurisdictionem, cujus partem his, vel illis, prout conveniens Ecclesiæ cujuscumque status exegerit, ipse impertitur. Quare talis usus dat Pontificiæ auctoritatis locupletissimum testimonium.

33. Hæc breviter dicebam de Vicario Apostolico, ut Sacerdotes Congregationis Casuum in Domo Professa Romana Soc. Jesu pro mea tenuitate instruerem, illosque hanc etiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ partem edocerem: sub censura &c. salvo &c.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



DE

DE VICARIIS
BASILICARUM URBIS
PARS SECUNDA.

PROŒMIUM.



Elatus olim Illustrissimo, ac Reverendissimo D. D. Aloysio Matthæi (deinde S. R. E. Cardinali) Vicariatus Basilicæ Vaticanæ, fuit in causa ut de hac materia a quovis, quem sciam, hactenus intacta ipsemet scribere mihi arrogaverim. Quod igitur in obsequium tanti Principis factum est, id Lector benevolus non respuet, imo gratum quemadmodum spero habebit, ut quæ absolutiori studio elucubrata censentur, eadem politiori suo judicio tradantur.

§. I.

Vicarius Basilicarum Urbis quis dicatur, & sit?

1. Vicarius Basilicarum Urbis is dicitur, & est, qui in una aliqua ex tribus præcipuis Urbis Basilicis, videlicet S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, ac S. Mariæ Majoris, Archipresbyteri ejusdem respectivè Basilicæ vices gerit, ac personam repræsentat. Pro quo sciendum est, praeclara inter earum Basilicarum ornamenta illud in primis censeri, quod iisdem præsit Archipresbyter ex Eminentissimo ac Sacro Cardinalium Collegio assumptus. Nec recens est talis prærogativæ usus, sed antiquior omni hominum memoria. Nam, si Lateranensem Basilicam spectemus, * Archipresbyteratus dignitatem in ea primus ex Cardinalibus adeptus est, Bonifacio VIII. sedente, Gerardus Episcopus Sabinensis, gente Blanca, patria Parmensis, a Nicolao III. Sacro Cardinalium Collegio adscriptus. Si Vaticanam, edocemur, dignitatem Archipresbyteralem *anno* 1035. a Benedicto Papa IX. institutam fuisse, nec alios ad eam assumi consuevisse, quam S. R. E. Cardinales, quos inter Ursus, Ursi filius, primus, & antiquior Archipresbyter Cardinalis in ordine recensetur a Grimaldo ejusdem Basilicæ Beneficiato, & Chronista. Si demum Basilicam S. Mariæ Majoris, hæc primum Cardinalem Archipresbyterum, quantum assequimur, habuit Matthæum Cardinalem sub Eugenio III. *de anno* 1153. consequentibus vero temporibus, præter B. Nicolaum Cardinalem Albergati, habuit splendidissimum Ecclesiæ lumen S. Carolum Borromæum Cardinalem S. Pra-

* *Ex Cohellio de Card. cap. 58.*

S. Praxedis, qui suis virtutibus, ac sanctitate adeo excelluit, ut Basilicæ hujusce decora in immensum extulerit.

2. Jam vero Cardinales Basilicarum Archipresbyteri, cum gravioribus ipsi distineantur occupationibus, vices suas committunt alicui e numero Romanæ Curiæ Prælatorum, qui aliquando est etiam Episcopus Titularis, aut Patriarcha, prout nuper vidimus in Basilica Vaticana amplissimum tunc Patriarcham Antiochenum, nunc Eminentissimum Card. Joachimum Portocarrero, Cardinalis Archipresbyteri vices ac partes explere. Nec voluntarie dumtaxat, sed ex obligatione Cardinales Archipresbyteri constituunt sibi Vicarium; nam Alex. VII. expresse id mandat *in sua Constitutione* 33. *Pastoralis officii &c.* ubi ait: *Vicarios deputent Prælatos graves & probos*. Hic igitur Prælatus, cui ab Archipresbytero sua demandatur provincia, dicitur, & est Basilicæ Vicarius, de quo hic loqui instituimus.

3. De Vicariis Archipresbyterorum in genere agit Sbrozzius qui floruit circa *annum* 1592. & apud illum Ferret. *consil.* 327. *num.* 3. Parisius &c. De Vicariis autem Archipresbyterorum Basilicarum in specie nonnulla affert Cohellius *in sua Notitia Cardinalatus cap.* 61. §. *Habet etiam &c.* ubi docet, ejusmodi Vicarios habere jurisdictionem ordinariam. Ex triplici enim genere Vicariorum, quorum alii constituuntur a jure, alii ab eodem Superiore a quo creantur Judices ordinarii, cujus vicem gerunt, aut locum tenent, alii constituuntur ab aliquo officiali in locum sui ipsius; ex hoc, inquam, triplici genere, Vicarii non solum primi, sed etiam secundi generis, quales sunt Vicarii Basilicarum, habent jurisdictionem ordinariam ex concessione & permissione ipsius juris & Principis, sicut olim etiam jurisdictionem ordinariam habebat Legatus, & Vicarius Proconsulis. Vicarii autem tertii generis regulariter non habent jurisdictionem ordinariam, sed delegatam; ut observat Azor. *part.* 3. *Instit. Moral. lib.* 13. *cap.* 13.

§. II.

A quo, quomodo, & quales constituendi sint Vicarii Basilicarum.

4. Constituitur & deputatur Basilicæ Vicarius ab ejusdem Basilicæ Archipresbytero, qui ad id habet a Summo Pontifice facultatem, ut constat ex Bulla Sixti V. 170. *Cum ex debito &c.* edita in favorem Basilicæ Vaticanæ, ubi legitur: *Tuumque & dictæ Basilicæ Vicarium per te nunc forsan deputatum, & pro tempore a te deputandum*. Propterea scripsit Cohellius, dum ageret de Archipresbytero S. Mariæ Majoris: *Habet etiam Eminentissimus hic Card. Archipresbyter, quemadmodum alii Patriarchalium Basilicarum, facultatem eligendi sibi Vicarium e numero Romanæ Curiæ Prælatorum*. Quod jam olim fixum ac certum supposuerat Paulus III. *in sua Constitutione* 35. incipiente *Cum dilectus filius Alexander &c.* ubi commemorat, id veluti suo jure factum fuisse a præfato Cardinali, inquiens: *Ipseque Alexander Cardinalis & Archipresbyter in dicta Basilica Venerabilem Fratrem nostrum Franciscum Sfondratum Vicarium suum constituerit, & deputaverit*. Confirmat id ipsum

tum

tum citata Bulla Alex. VII. *Pastoralis officii &c.* tum praxis hodierna, qua videmus, Vicarios Basilicarum ab Eminentissimis respectivè Archipresbyteris huic muneri præfici ac deputari. Advertas tamen cum Card. de Luca *in Miscel. disc.* 23. *num.* 12. quod ii Vicarii, quamvis a Cardinali sint constituti, non censentur tamen ejus Cardinalis familiares in ordine ad regulas Cancellariæ pro reservationibus Apostolicis, & pro jure Cardinalium in nominationibus.

5. Licet a Cardinali Archipresbytero constituatur ejusmodi Vicarius, ut diximus, nihilominus id intelligas regulariter; nam quandoque ab ipso Papa, sive audito, sive etiam non audito Cardinali Archipresbytero, constituitur: prout de facto per litteras in forma Brevis nonnulli a Papa constituti reperiuntur Basilicarum Vicarii.

6. Modus constituendi ejusmodi Vicarium est regulariter per litteras patentes Cardinalis Archipresbyteri, in quibus nulla est a jure præscripta stabilis ac certa verborum forma. Hinc variæ circumferuntur harum litterarum formæ, quas infra annectam. Omnes tamen substantiam habent mandati, & potestatis Vicario commissæ.

7. Dixi, regulariter; nam aliquando fit talis constitutio per Breve Pontificium, aut etiam per solum verbum ipsius Archipresbyteri: non enim ad constituendum Vicarium necessaria est scriptura, ut firmant cum Sbroz. *lib.* 1. *q.* 64. Pirhing, Pax Jordanus, aliique, nisi forte quando in contentione judiciali probandus esset Vicariatus, tunc enim scriptura publica & solemnis requireretur; siquidem mandatum Principis probari nequit, nisi per scripturam, juxta *L. Si quis adserat, C. de mandatis Principum*. Excipe ab hac generali regula duos casus, in quibus sine scriptura adhuc haberetur Vicariatus probatio: horum alter est, si præsens sit Cardinalis Archipresbyter, qui de commisso a se Vicariatu huic determinatæ personæ testetur: alter est, si Vicarius sit Episcopus; nam tunc ratione dignitatis standum esset ejus dicto quo ad ea quæ veniunt ex generali commissione, secus quo ad ea quæ speciale mandatum requirunt, ex Leuren. *q.* 35.

8. Forma autem, qua in scriptis constituitur ejusmodi Vicarius, est tenoris sequentis, videlicet

I.

Annibal Miseratione Divina Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ, Card. S. Clementis, S. R. E. Camerarius, & Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Archipresbyter.

Dilecto nobis in Christo Illustrissimo & Reverendissimo Domino Aloysio Matthæi Cameræ Apostolicæ Clerico salutem in Domino. Cum Vicariatus Sacrosanctæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe vacaverit, & vacet, cujus collatio, provisio, & omnimoda dispositio ad nos ratione Archipresbyteratus dictæ Basilicæ pertinet & spectat, te Illustrissimum & Reverendissimum Dominum

minum Aloysium Matthæi, de cujus prudentia, virtute, & probitate valde confidimus, vigore præsentium in Vicarium præfatæ Basilicæ cum omnibus honoribus, oneribus, juribus, facultate, & emolumentis solitis & consuetis, ut supra, eligimus, & deputamus: mandantes Reverendissimo Capitulo, & Clero, ut te pro tali in omnibus admittant, recipiant, & recognoscant. In quorum fidem &c. Datum Suriani &c.

II.

Venerabili Fratri Joachimo Ferdinando Patriarchæ Antiocheno.

CLEMENS PP. XII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Eximia Fraternitatis tuæ in Nos, & Apostolicam Sedem merita, aliaque insignium virtutum dona, quibus te ab illarum largitore Altissimo multipliciter decoratum esse novimus, in causa sunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut nobis innotuit, Venerabilis Frater noster Annibal Episcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis Albanus nuncupatus, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Archipresbyter, officium Vicarii ejusdem Basilicæ tibi in locum bonæ memoriæ Joannis Francisci Nicolai, dum vixit, Archiepiscopi Myrensis, & ejusdem Basilicæ Vicarii nuper defuncti demandaverit, Nos sperantes, te officium hujusmodi ex animi nostri sententia administraturum esse, teque a quibusvis &c. te in prædicto officio Vicarii dictæ Basilicæ, de consensu memorati Annibalis Cardinalis Episcopi, & Archipresbyteri prædictæ Basilicæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium ad tui vitam, cum facultatibus, auctoritatibus, prærogativis, & privilegiis, salariis, juribus, ac honoribus, & oneribus solitis ac consuetis, confirmamus, &, quatenus opus sit, ejusdem Basilicæ Vicarium auctoritate ac tenore præsentium, quo ad vixeris, de novo facimus, constituimus, ac deputamus: mandantes propterea dilectis filiis Capitulo & Canonicis memoratæ Basilicæ, cæterisque ad quos spectat, ac spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per præsentes Vicariatus officium, illiusque liberum exercitium, juxta earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant, tibique in omnibus ad dictum officium spectantibus faveant, pareant, & assistant respective, & tua salubria monita ac mandata hujusmodi suscipiant & efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam, sive pœnam, quam tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari: Non obstantibus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die 30. Decembris 1737. Pontificatus nostri anno octavo.

9. Qualis vero sit deputandus in Vicarium, explicuit Alex. VII. in sua Constitutione incipiente *Pastoralis officii*, per hæc verba: *Vicarios deputent (Archipresbyteri) Prælatos graves & probos, qui non sint Canonici ejusdem, aut alterius Ecclesiæ, nec ad aliquam residentiam obligati, ac tali doctrina, & pietate præditos, ut Ecclesiæ jura tueri, & causas ac judicia per se ipsos*

ipsos cognoscere & judicare valeant. Ex quibus liquet, Vicarium debere esse Prælatum, ac præterea virum gravitate, probitate, ac doctrina præditum.

§. III.

De officio, & obligatione Vicarii Basilicarum.

10. Officium Vicarii Basilicarum est præesse, curam gerere, ac deservire Basilicæ in iis, quæ pertinent ad Archipresbyterum, cujus ipse est Vicarius; nam assumitur, ut vices gerat ipsius Archipresbyteri, & ut ipse Archipresbyter se excusare possit ab obligatione assistendi, seu inserviendi. Hinc, si Vicarius omitteret assistentiam, & servitium, quod requirunt Constitutiones Basilicæ ab Archipresbytero, teneretur huic ad damnum, & interesse, prout firmant de coadjutore respectu coadjuti Garcias *p.* 4. *cap.* 5. *n.* 56. & Castrop. *tract.* 13. *disp.* 1. *p.* 10. quinimo idem Vicarius cogi posset ad serviendum, si retento Vicariatu servitium omitteret; nam ipse se obligavit, seu consensit tali obligationi, & congruam pro servitio mercedem recipit. Hæc autem coactio facienda esset per judicem censuris, aliisque juris remediis.

11. Hinc etiam tenetur Vicarius invigilare, ut in Basilica omnia rite compositeque fiant, quæ ad Divinum cultum pertinent; videlicet, ut ordinatus sit accessus, ac recessus a Choro, ut servetur congrua canendi ac modulandi ratio, ut sufficiens sit ministrorum numerus, nec appareat defectus notabilis ministrorum, ut silentium ac modestia Ecclesiasticis personis ac locis debita respective observetur, ne in Choro litteræ, librique, aut alia scripta legantur, ex Pauli V. Constitutione. Item sollicite providere debet, ne unquam in Basilica omittatur Chorus *ex Clementin.* 1. *de celebr. Missar.* ita ut graviter ipse peccaret, si Chorus absque justa ac rationabili causa omitteretur. Ratio est manifesta; quia ad Prælatum & Superiorem communitatis spectat curare, ut obligationes communitatis executioni mandentur, siquidem ipsi commissum est regimen communitatis: cum autem Vicarius, ex Constitutione Alex. VII. *Pastoralis officii*, sit Superior illius Ecclesiasticæ communitatis, & Præfectus Chori, nec ipse solus hanc obligationem recitandi Officium Divinum in Choro exequi possit, sequitur, obligatum esse diligentiam adhibere, ut alii exequantur.

12. His tanquam certis præmissis, quæres 1. quandonam, & quoties Vicarius Choro interesse debeat? ℞. Intererit tunc, & quoties juxta Basilicæ constitutiones interesse debet Archipresbyter; ipse enim partes, & onera ipsius sustinet. Archipresbyter autem ex citata Alex. VII. Constitutione, tenetur Choro interesse omnibus diebus festis, ac præterea omnibus illis diebus solemnioribus, quibus omnes & singuli tum Canonici, tum Beneficiati, tum Clerici interesse obligantur. Quare his omnibus diebus Chorum adire debet Vicarius.

13. Quæres 2. an, quando Archipresbyter est infirmus, aut alias legitime impeditus a Choro, tunc adhuc Vicarius teneatur interesse? ℞. rem posse considerari in concreto, & in abstracto. Si res consideretur in concreto, ea pendet a peculiaribus singularum Basilicarum constitutionibus, necnon a diu-

turna & legitima in illis consuetudine, itidemque a contractu inito inter ipsum Archipresbyterum, & Vicarium; etenim si Archipresbyter relative ad dictas constitutiones & consuetudines id exegerit, & Vicarius huic obligationi consenserit, ea utique ipse tenebitur. Cæterum, si res consideretur in abstracto, ac mere de jure, tunc si pro eo casu Vicarius abesset, non propterea Archipresbyter amitteret distributiones; nam non debet ipse esse deterioris conditionis ex eo, quod Vicarium habeat: unde sicuti illi distributiones deberentur, quando non habens Vicarium abesset a Choro ob infirmitatem, *ex Cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.* ita eædem illi debentur, quando habens Vicarium, ob eamdem causam absit, etiamsi Vicarius non assistat & intersit. Quod ulterius suadetur; quia habere Vicarium, non est onus, sed privilegium Archipresbyteri: cum autem nemini debeat esse nocivum, nec retorqueri in ejus damnum, quod in ejus favorem concessum est, juxta *Cap. Quod ob gratiam, de reg. jur. in 6.* sequitur, quod Archipresbyter non sit privandus jure potiundi distributionibus in casu infirmitatis, ex eo quod habeat Vicarium.

14. Quæres 3. an Vicarius excludendus sit a Choro, nec admittendus ad inserviendum Ecclesiæ, quando forte Archipresbyter esset juste excommunicatus? ℞. distinguendum esse: nam vel Vicarius constitutus est a Pontifice per Breve, uti aliquando fieri consuevit; vel constitutus est solum ab Archipresbytero? Si fuerit primo modo constitutus, non est ullatenus excludendus; siquidem Vicariatum non gerit ex potestate accepta ab Archipresbytero, sed a Papa. Si autem secundo modo, tunc excludendus esset; siquidem ipse repræsentat Archipresbyterum a quo habet potestatem, & cujus potestas pro eo tempore cessat quo ad exercitium. Id tamen intelligas, quando Archipresbyter non solum esset juste excommunicatus, sed etiam nominatim denunciatus; etenim nominatim non denunciatus retinet suam potestatem etiam quo ad exercitium, juxta *Extravagantem* Martini V.

15. Quæres 4. an Vicarius teneatur ad personalem residentiam in Urbe? ℞. advertendum primo esse, Vicariatum ejusmodi, non esse Beneficium, & licet sit Dignitas, quandoquidem habet præeminentiam cum jurisdictione, non esse tamen Dignitatem per se stabilem, atque idcirco, si qua in ipso requiritur residentia, hanc non importare effectum absolutæ incompatibilitatis cum aliis Dignitatibus, officiis, ac Beneficiis &c. advertendum secundo, residentiam in loco officii, vel Beneficii, expostulari ad effectum personaliter deserviendi ipsi officio, vel Beneficio, ut recte expendit Leurenius *in foro Benef. p. 1. q. 363.* ita ut finis residentiæ sit actuale ipsum ac personale servitium. Hoc posito, Vicarius Basilicarum tenetur residere in Urbe, ita, ut juridice privari possit Vicariatu, si non resideat, imo censeatur illi tacite renunciare, si ab Urbe discedat, animo non redeundi. Prima pars probatur; quia obligatus ad finem, obligatur ad ea quæ sunt ad finem: cum autem Vicarius ex contractu, vel quasi contractu inito cum Archipresbytero, teneatur ad deserviendum personaliter Basilicæ, consequens est, ut teneatur ad residendum in Urbe, utpote medium necessarium ad personale servitium Basilicæ. Altera pars probatur; quia, Vicario non deserviente, damnum emergit tum servitio Eccle-

Ecclesiæ, tum Archipresbytero: unde sicuti ab Archipresbytero potest obligari ad interesse pro sua indemnitate, ita a competenti Judice Vicariatu privari potest pro retinendo servitio Basilicæ. Tertia pars etiam probatur; quia, ut constat *ex Cap. Præsentata, de testibus*, ille cui mandata est jurisdictio, si de loco recedat ubi erat exercenda, & habeat animum, vel obligationem non redeundi, amittit jurisdictionem, seu censetur illi tacite renunciare.

16. Quæres 5. an peccet Vicarius non residendo per longum tempus in Urbe? ℟. distinguendum esse inter casum in quo ipse resarciat Archipresbytero damnum illi emergens, & casum in quo tale damnum ipse non resarciat. In secundo hoc casu, certum videtur, ipsum peccare; quia non stat contractui, cum damno tertii. In primo autem casu potest esse dubium; quia ex una parte non videtur peccare: quandoquidem tota obligatio assistendi Choro, & consequenter residendi in Urbe, non illi nascitur ex titulo Beneficii, sed præcise ex stipendio, quod accipit ab Archipresbytero: ergo, si cedat huic stipendio, refundendo illud in Archipresbyterum, excludit a se totam obligationem: ex alia parte videtur peccare; quia omittere ea quæ sibi competunt ratione proprii muneris, est per se grave peccatum: cum autem munus Vicarii, qua talis, sit assistere Choro, & consequenter residere in Urbe, erit peccatum per se grave hoc omittere per longum tempus. Cæterum existimo, inspiciendum esse, utrum ex ipsius diuturna absentia grave patiatur detrimentum servitium Ecclesiæ, & cultus Divinus, necne? Si grave detrimentum patiatur, peccabit; quia ad ipsum spectat, non præcise ratione stipendii, sed etiam ratione officii quod sustinet, providere, ne Ecclesiæ, seu Basilicæ servitium, grave detrimentum patiatur: quod si hoc ex sua culpa evenerit, illi imputabitur ad peccatum: unde in tali casu, non residendo, peccabit per se graviter. Secus dicendum, si aut nullum Basilicæ servitium patiatur detrimentum, aut valde leve.

17. Quæres 6. an Vicarius Basilicæ possit sibi assumere dies recreationis, & abesse ab Urbe, sicuti potest Archipresbyter? ℟. si sermo sit in abstracto, & attento jure communi, affirmative, ita tamen ut Vicarius non possit habere tres menses, & Archipresbyter tres menses alios, sed iidem tres menses inter utrumque sint consumendi; ut nimirum eodem trimestri, quo abest Vicarius, abesse possit Archipresbyter, vel si abfuit Vicarius per totum Septembrem, & medium Octobris, Archipresbyter possit abesse sesquimensi alio, v. g. Novembri, & medio Octobri. Ratio assertionis est; quia privilegium conciliare concessum est ob servitium continuum totius anni, quod ex quadam æquitate temperandum est, interposita trium mensium recreatione: adeoque etiam Vicarius toto anno assistens, & præstans servitium, eo privilegio frui debet. Ratio limitationis est; quia aliter prorogaretur privilegium contra mentem Concilii. Dixi, si sermo sit in abstracto; nam, si sermo sit in concreto, usus Vaticanæ Basilicæ fert, ut Vicarius semper, ac toto anno debeat Communibus interesse.

18. Quæres 7. an Vicarius Basilicæ ex vi Vicariatus teneatur ad recitationem Horarum Canonicarum? ℟. Etiamsi Vicarius teneatur statis temporibus Cho-

Choro interesse, ibique Divina Officia recitare loco Archipresbyteri, non tenetur tamen ad Horas recitandas ex vi solius Vicariatus, quando Choro non interfit, & fit extra illum. Ratio est; quia Vicariatus non est Beneficium, cum non fit jus percipiendi fructus annuos collatum in perpetuum &c.

19. Quæres 8. an Vicarius, qui ratione Ordinis tenetur ad Horas Canonicas, possit recitare in Choro partem Officii juxta ritum Basilicæ, & aliam partem extra Chorum juxta communem ritum Romanum? R. Sciendum est 1. Basilicam Vaticanam adhuc uti Psalterio priscæ Romanæ editionis, quo ante S. Pium V. utebatur Roma dumtaxat, ejusque districtus; estque illud, quod, teste Card. Bona *de Sacr. Liturg. lib.2. cap.3.* extabat ante S. Hieronymum pars antiquissimæ illius versionis, quæ Fidem Ecclesiæ nascentis in Occidentalibus regionibus nutriverat.

20. Sciendum est 2. Vicarium Basilicarum esse respective addictum ritui suæ Basilicæ; quia addictus sive stabiliter, sive ad tempus alicui Ecclesiæ, aut alicui cœtui, intelligitur addictus ritui quem profitetur illa Ecclesia, vel ille cœtus, ut colligitur ex Bellarmino *lib.1. cap.18. de bonis operibus*: nam licet probabile sit, exemptum a recitatione Breviarii juxta formam communem Breviarii Romani, posse privatim recitare juxta formam communem Breviarii Romani, ut constat ex Sa *v.Hora num.6.* Cajetano *in Sum. v.Hora §.2.* Suarez *lib.4. cap.23. num.9.* Lessio, Bonac. aliisque, nihilominus probabilius est oppositum, ut constat ex eodem Suarez, Lessio, Valentia, Garcia, aliisque apud Castropal. *tom.2. disp.2. p.2. num.3. in fin.* Cum autem Vicarius Basilicæ fit temporaliter addictus suæ Basilicæ, sequitur, ut pro tempore Vicariatus censeatur addictus ritui quem profitetur sua Basilica.

21. His præmissis, ajo, Vicarium Basilicæ non solum in Choro, sed etiam extra illum, quando privatim recitat ex obligatione Ordinis Sacri, teneri recitare juxta ritum suæ Basilicæ, ut supra dictum est, & consequenter Vicarium Basilicæ Vaticanæ teneri etiam extra Chorum uti Psalterio antiquissimæ illius versionis: non esse tamen arguendum de peccato Vicarium ejusdem Basilicæ Vaticanæ, si privatim ex rationabili causa aliquoties utatur Psalterio communi, quamvis partem Officii, pnta Matutinum, recitaverit in Choro ex Psalterio antiquæ versionis.

22. Prima assertionis pars probatur; quia licet ritus Basilicarum Urbis, etiam Vaticanæ, sint quidem aliqualiter diversi a ritu communi Romano, non ita tamen sunt diversi, ut specifice, sed solum numerice a communi Romano differant, juxta ea quæ docet Cardinalis Bona *lib.1. Liturg. cap.7.* & consequenter satisfaciat suo oneri quo ad substantiam, qui obligatus recitare juxta ritum Basilicæ, recitet juxta ritum communem Romanum. Nihilominus quædam deordinatio in hac materia est, quod pars non se conformet suo toti; atque idcirco Vicarius, qui est pars Ecclesiastici illius cœtus, debet huic se accommodare, & servare ritum talis cœtus etiam extra Chorum, sicuti etiam extra Chorum addicti huic Basilicæ servant ritum Basilicæ.

23. Altera pars probatur; nam, si Vicarius ex rationabili fine, & aliquoties utatur Psalterio communi Romano extra Chorum, non propterea statim

tim arguendus est de peccato, siquidem etiam sic retinet formulam legitimam precandi quo ad substantiam: hæc enim non tam ex veteri, aut Romana communi versione, quam ex sensu verborum, approbato idiomate, & legitima dispositione constat.

24. Dixi, ex rationabili fine, & aliquoties; nam, nullo intercedente bono fine, non evitaretur veniale propter deordinationem; item, si hoc fieret, non aliquoties, sed passim, sine delectu, & communiter, non excusaretur saltem a veniali: nam licet nonnulli cum Emmanuele Sa *v. Hor. Can. n. 6.* velint, obstrictum orare more suæ peculiaris Ecclesiæ, posse extra Chorum orare juxta morem communem Romanæ Ecclesiæ, nisi obstet præceptum aliquod speciale, uti obstat præceptum S. Caroli respectu Ambrosianorum; nihilominus non id facile permittendum propter deordinationem & difformitatem partis cum suo toto; præsertim cum illa frequentia & consuetudo sapiat quemdam contemptum sui peculiaris & approbati ritus.

25. Dixi etiam, quamvis partem Officii recitaverit in Choro ex Psalterio antiquæ versionis; nam utraque versio approbata ac legitima est respectu Vicarii Basilicæ Vaticanæ, nec est deordinatio culpabilis, si raro, & cum rationabili causa id fiat.

§. IV.

De potestate Vicarii Basilicarum Urbis.

26. POtestas Vicarii Basilicarum metienda est ex potestate quam habent earumdem respective Archipresbyteri. Hæc autem olim erat amplissima; nam Archipresbyter Vaticanæ ex Pauli III. Constitutione 35. incipiente *Cum dilectus &c.* habebat jurisdictionem cognoscendi omnes causas tam civiles, quam criminales (citra tamen pœnam sanguinis, & corporis afflictionem) inter Canonicos, Capitulum, & Beneficiatos, Clericos, & Cappellanos ex una parte, & quascumque alias personas, loca, Collegia, vel Universitates quantumcumque privilegiatas ex alia, vel inter ipsosmet motas, & movendas super quibuscumque rebus tam active, quam passive, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, ac manu regia, absque terminis substantialibus, & alicujus telæ judiciariæ observatione, sine confectione registri, & quacumque appellatione etiam non frivola remota, cum facultate in Curia, & extra citandi, & inhibendi, juramenta personarum dicti Capituli relaxandi ad effectum agendi, quibuscumque non obstantibus.

27. Præterea ex Sixti V. Constitutione 110. incipiente *Cum ex debito &c.* hæc eadem jurisdictio confirmatur, & ex parte ampliatur; nam datur facultas summarie, & appellatione postposita etiam non frivola procedendi, causas ab aliis judicibus resumendi, singulis diebus in honorem Dei non feriatis procedendi, commissiones manu Papæ non signatas non attendendi, & alia ejusmodi.

28. Item ex eadem Sixti V. Constitutione confirmatur privilegium & aucto-

auctoritas per Paulum III. & Pium IV. emanata super collatione Beneficiorum, ita ut possit Archipresbyter, teste Cohellio, conferre Beneficia in Vaticana Basilica vacantia, exceptis iis, quæ ex Cancellariæ regulis ad Apostolicam Sedem sunt reservata.

29. Ex eadem pariter Constitutione datur Archipresbytero potestas ordinaria, & quasi Episcopalis in ea Basilica, per hæc formalia verba: *Dantes etiam tibi facultatem exercendi munia Pontificalia in Basilica prædicta, ac ordinariam etiam in spiritualibus jurisdictionem super Canonicis, Beneficiatis, Clericis, ac ministris prædictis, ita ut a te, vel de tua licentia tantum, nec alias, a quocumque Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, per te deputando, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri. Tuque, & Antistites hujusmodi eos promovere, absque nostra, vel Successorum nostrorum, aut Vicarii, vel cujusvis alterius ordinarii licentia, dimissoriis, aut examine, licite possitis, ac debeatis.*

30. Accedit ex eadem Constitutione alia satis ampla facultas super Collegio Fabricæ præfatæ Basilicæ, ita ut in eo Archipresbyter superioritatem teneat, causas interesse dictæ Fabricæ concernentes cognoscat, officiales reformet &c. Ex quibus apparet, amplissimam olim fuisse Archipresbyteri Basilicæ Vaticanæ potestatem. Non desunt, qui validis rationum momentis suffulti censeant, in eumdem Basilicæ Vaticanæ Archipresbyterum derivatam esse auctoritatem, quam olim obtinebat Episcopus Portuensis. Is quippe ex Constitutione Joannis XIX. quæ extat apud Ughellium *tom.* 1. *Italiæ Sacræ*, jurisdictionem, & Ecclesiastica judicia exercebat in tota Civitate Leonina, imo ea omnia Ecclesiastica officia, quæ Pontifex impeditus ibidem exequi non valeret, ad Portuensem spectabant Episcopum: *Necnon*, inquit Joannes XIX. *cuncta sacra officia, seu mysteria, quæ nos & Successores nostri facere debemus, si ægritudine, vel aliqua cura impediti facere non possumus, tam in supradicta Ecclesia S. Petri, & monasteriis suis, quam per totam Civitatem Leoninam, per vos, vestrosque successores fieri, Apostolica auctoritate decernimus.*

31. Nunc vero per varios Pontifices aliquantulum restricta est hæc auctoritas Archipresbyteri; nam judicialis potestas olim illi collata a Paulo III. & Sixto V. ferme sublata est per Decretum Innocent. XII. quo hic Pontifex redegit tribunalia ad jus commune, sive ad judices ordinarios Romanæ Curiæ. Idem tamen ibidem declarat: *Quod per præsentem ordinationem non censeatur ullo modo adempta Cardinalibus Archipresbyteris .... eorumque Vicariis, aliisque deputatis, facultas, seu iurisdictio in his, quæ concernunt servitium Ecclesiæ, seu loci pii, circa disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem dumtaxat.* Quare adhuc aliqua ex parte personam judicis Archipresbyter gerit, videlicet *circa disciplinam Ecclesiasticam & morum correctionem*: unde ad ipsum spectat cognitio & correctio minorum quorumdam delictorum, ac jurgiorum inter Clericos Basilicæ, eaque correctio intelligenda est de correctione, quæ fit verbis, monitionibus, ac præceptis, ut colligitur ex Fagnano *in Cap. Ad hæc, de Archidiac.* imo poterit modicam pœnam imponere, v. g. suspendere ad modicum tempus, ut *loc. cit.* notat idem Fagnanus: similiter poterit excessus,

quo-

quorum cognitio, & correctio ad ipsum spectat, punire multa pecuniaria, idque non solum quando Constitutiones Basilicæ pœnam aliquam pecuniariam pro delicto, vel hanc, aut illam, sed etiam quando nullam determinant, nec solum pro coercenda contumacia, sed etiam directe pro excessu, definitivam pronunciando sententiam: ex Leuren. *de Archidiac. quæst.* 149. Accedit, non improbabile esse, quod Archipresbyter Basilicæ Vaticanæ, utpote habens ex privilegio Sixti V. jurisdictionem ordinariam in spiritualibus pro foro etiam externo, possit ferre censuras, & in specie excommunicare delinquentes Basilicæ Clericos, & ministros. De hoc tamen nihil statuo: imo sapientissimo Censori improbabile hoc visum est.

32. Quo ad Beneficiorum collationem Urbanus VIII. in sua septima Constitutione post alios Pontifices, uti testatur Card. de Lauræa, reservavit Canonicatus, Dignitates, & majora Beneficia: quod ideo factum censet Gonzalez *gloss.* 13. *num.* 26. quia *Archipresbyteri, & Capitula Patriarchalium habent certa privilegia & indulta a diversis Pontificibus concessa conferendi Beneficia illarum Ecclesiarum; unde, ne possint conferre Dignitates, & Canonicatus, seu alia majora Beneficia, fuit inducta dicta reservatio.* Adhuc tamen Archipresbyter quædam Beneficia conferre solet.

33. Quamobrem de præsenti Archipresbyteri Vaticanæ potestas, præter superioritatem Fabricæ, extenditur ad rectam Basilicæ gubernationem in iis quæ concernunt servitium Dei, disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem; item ad collationem aliquorum Beneficiorum, & ad ordinariam in spiritualibus jurisdictionem in Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & ministros, cum facultate exercendi Pontificalia, promovendi ad sacros Ordines, dandi dimissorias &c. Hæc eadem, sed limitate competunt Archipresbytero Lateranensi, ac S. Mariæ Majoris. Dixi, limitate; siquidem facultatem hi non habent promovendi ad sacros Ordines, dandi dimissorias, nec sunt Ordinarii in spiritualibus respectu ministrorum suæ respectivæ Basilicæ.

34. Archipresbyteri potestas communicatur Vicario ab ipso jure; nam leges Pontificiæ conferentes potestatem Archipresbytero, expresse diriguntur tum ad Archipresbyterum, tum ad ipsius Vicarium, ut patet ex Constitutione Sixtina habente hæc formalia verba: *Ad te, quamdiu Archipresbyteratum prædictum obtinueris, tuumque & dictæ Basilicæ Vicarium.* Quare, statim ac Prælatus deputatur in Vicarium, omnis in eum Archipresbyteri potestas derivatur, exceptis iis, quæ expresse, vel ex praxi Archipresbyter sibi reservat, quæque requirunt speciale mandatum, vel quæ Archipresbyter potest sive ut delegatus Papæ, sive ut pars Capituli, sive ex speciali privilegio. Neque obstat, quod eadem potestas & jurisdictio nequeat esse penes duos; sicuti ejusdem rei possessio & dominium nequit esse in solidum penes duos: id quippe repugnaret, quando eadem potestas eodem modo esset penes duos; secus vero, quando in altero est principaliter & independenter, in altero vero est accessorie & dependenter, prout contingit in casu nostro, in quo Archipresbyter potestatem habet principaliter & independenter, Vicarius autem accessorie & dependenter ab Archipresbytero constituente.

35. Ex quibus omnibus liquido constat, potestatem Vicarii Basilicarum non esse exigui momenti; nam in primis ipse cum potestate præest Basilicæ quo ad ejus Divina Officia, & servitium Ecclesiasticum; præest ejusdem Clero ac ministris quo ad disciplinam, & morum correctionem; præest Choro tanquam Chori Præfectus; & in Basilica Vaticana præest Basilicæ Clero & ministris tanquam Ordinarius in spiritualibus: in quo valde differt a Vicariis aliarum Basilicarum; hi quippe, ut dixi, non sunt Ordinarii, seu non pollent auctoritate quasi Episcopali, respectu Cleri, & ministrorum earumdem, cum peculiare id sit Vaticanæ Basilicæ, ut potiatur exemptione, & Archipresbyter ipsius jurisdictionem spiritualem obtineat in personas illi adscriptas; adeo ut hæc Basilica vel habeat propriam qualitatem nullius, ut nonnulli contendunt, vel saltem habeat impropriam, & ad instar. His præmissis, agendo potissimum de Vicario Vaticanæ Basilicæ, ac præscindendo ab aliis, in quos tamen plura quæ dixero, recte congruere non inficiar, quæstiones aliquas enodabo.

I.

36. Quæres 1. an Vicarius Basilicæ possit interesse Capitulo, quando a Canonicis fiat? ℟. non solum posse, sed etiam teneri, non habere tamen in eo jus suffragii. Probo; quia ex Constitutione Alexandri VII. *Pastoralis officii &c.* expresse Vicario præcipitur ejusmodi interessentia. En verba: *Singulisque Capitulis, & Congregationibus Capitularibus intersint*. Addidi, non ipsi competere jus suffragii; quia non est pars Capituli, siquidem non est Canonicus, nec Archipresbyter; & quamvis vices gerat Archipresbyteri, hic tamen non solet jus suffragii in sua absentia committere alicui qui non sit membrum Capituli, etenim si extraneo, puta suo Vicario, committeret, hunc non teneretur Capitulum excipere, *ex Cap.46. de elect.*

37. Quæres 2. an, si Capitularium vota sint paria in Capitulo, possit Vicarius assentiendo uni parti majorem partem efficere? ℟. negative; quia, cum ipse non sit de numero & nomine Capitularium, non habet votum in Capitulo, ut diximus, & consequenter nequit accessu suo majoritatem illorum complere. Excipe, nisi aliter per constitutiones particulares cautum, vel consuetudine introductum fuerit.

38. Quæres 3. an possit cogere Canonicos, Beneficiatos, & Clericos in Sacerdotio constitutos, ut Missam celebrent omnibus diebus Dominicis, & festis de præcepto? ℟. Vicarium Basilicæ Vaticanæ id posse; siquidem expresse hæc facultas illi conceditur ab ejusdem Basilicæ constitutionibus *num.45.* coactio autem facienda esset, indicta pœna amittendi quotidianas distributiones illius diei, quæ accrescerent aliis eodem die celebrantibus, & communicantibus, ex constitutionibus Basilicæ *ibidem*.

39. Quæres 4. an possit multare ac procedere contra eos sive Canonicos, sive Beneficiatos, sive Clericos, qui absque licentia, antequam Hora finiatur, e Choro exierint? ℟. affirmative; & multa vel erit amissio illius Horæ, vel alia arbitrio ejusdem Vicarii. Idem dicendum contra eos, qui, finita Hora Cano-

Canonica, seu non finita Hora Officii B. Virginis, quando in Choro recitatur, ab eodem Choro discesserint, ex Basilicæ constitutionibus *num.*21. & 22.

40. Quæres 5. an, & quomodo possit procedere contra absentes per longum tempus a Choro absque debita licentia? ℟. posse, tum inhærendo Constitutioni Nicolaii III. quæ decernit, absentem per annum continuum absque licentia sive Archipresbyteri, sive Vicarii, esse ipso jure privatum præbenda, tum inhærendo dispositioni Concilii Tridentini *sess.*24. *cap.*12. *de ref.* qua sancitur, Canonicum absentem sine justa causa ac licentia ultra tres menses in anno &c. privandum esse eo anno omnibus fructibus quos labente eodem anno lucratus fuerit. Ita enim expresse cautum est per ejusdem Basilicæ constitutiones *num.*26.

41. Quæres 6. an Vicarius possit Canonicis, Beneficiatis, & Clericis concedere, ut per tres menses absint? ℟. Quamvis ex Concilio Tridentino concessum sit Canonicis, ut possint per tres menses in singulos annos abesse, nec ad talem absentiam, ut notat Barbosa *alleg.*53. *num.*118. in rigore requiratur allegatio causæ, vel petitio licentiæ Superioris; nihilominus sive ex constitutionibus Basilicæ, sive ex consuetudine, sive ex eo quod tot solum Canonici eodem tempore abesse possunt, quot judicaverit arbitrio suo Archipresbyter, vel Vicarius, merito solent Canonici, vel Beneficiati, vel Clerici discessuri Vicarium convenire, ab eoque licentiam petere, qui illam impertit, ita tamen ut absentia non prorogetur ultra tres menses, nisi occurrentibus causis a jure communi, vel Constitutionibus Apostolicis concessis, & ita ut pro tempore absentiæ, sive id fuerit trium mensium, sive citra tres menses, absentes non lucrentur distributiones, sed solum fructus grossos: perceptio siquidem distributionum non potest concedi cuiquam absenti neque ab Archipresbytero, neque a Capitulo, neque ab utroque simul, ex constitutionibus *num.*27.

II.

42. Quæres 7. an Vicarius possit corrigere non servantes in Choro, in Sacristia &c. debitam modestiam, silentium, & Clericalem gravitatem? ℟. Quamvis Innocentius XII. ut diximus, ademerit Archipresbyteris Basilicarum cognitionem judicialem causarum ad forum externum spectantium, reliquit tamen iisdem jurisdictionem circa disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem. Hinc Archipresbyter Vaticanæ Basilicæ, utpote habens jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, posset aliquorum excessus, vel delicta minora, modo, ac pœnis supra relatis, &, quod non ausim statuere, etiam censuris corrigere, & coercere. Hæc tamen potestas non est complete etiam in Vicario sine speciali mandato; causæ quippe criminales computantur inter graviora quæ indigent speciali mandato. Potest nihilominus Vicarius sine speciali commissione corrigere culpas aliquas leviores circa modestiam, silentium, cantum Ecclesiasticum &c. ideoque etiam potest pœnas aliquas leves, v.g. multas pecuniarias, suspensionem temporalem ab officio, & similes injungere; nam omnis jurisdictio, præsertim ordinaria, annexam habere debet potestatem ali-

quam coercitivam, saltem modicam, ne alioquin sit inefficax, juxta *l. ult. ff. de offic. ejus cui mandata est jurisd.*

43. Quæres 8. an possit extrajudicialiter terminare omnes lites, quæstiones, & controversias, quas inter ipsos Beneficiatos, aut aliquem ipsorum ex una parte, & Capitulum, seu aliquem de Capitulo ex altera, interdum oriri contigerit? ℟. affirmative. Habetur hæc Vicarii facultas expressa in constitutionibus Basilicæ *n.* 14. *tit. de Beneficiat.* Nec eam Innocentianæ restrictioni, aut revocationi subesse dixeris; siquidem Innocentiana revocatio non comprehendit terminationem litium extrajudicialiter, ex bono & æquo, ad arbitrium superioris, aut Prælati.

44. Quæres 9. an Vicarius possit corrigere, ac proportionata aliqua pœna punire Mansionarios, aliosque inferiores servientes Ecclesiæ, quando in officio delinquant? ℟. Archipresbytero, ejusque Vicario potestatem competere circa ea quæ concernunt servitium Ecclesiæ, seu loci pii, ut constat ex citata Bulla Innoc. XII. Quare tum Archipresbyter, tum ejus Vicarius possunt servientes Ecclesiæ sive Clericos, sive sæculares, metu pœnarum, puta amotionis ab officio, alicujus multæ &c. in officio continere, ac delinquentes de facto punire.

45. Quæres 10. an possit Vicarius Sacristiæ supellectilem visitare, recognoscere, &, ut de opportunis provideatur, præcipere? ℟. hanc potestatem, ut constat ex Basilicæ Vaticanæ constitutionibus *tit. de Sacrist. n.* 1. competere Archipresbytero; ideoque non est dubium, ex speciali saltem ipsius commissione competere etiam Vicario: qui curabit diligenter, ut vestimenta, & alia requisita ad servitium Altaris & Chori, munda sint & nitida; tum quia id præcipitur Prælatis Ecclesiarum *in Cap. Vestimenta, de Consecrat. dist.* 11. tum quia nimis videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis; tum quia ii Prælati commendatione dignissimi sunt, qui Nepotianum apud S. Hieronymum *in epist. ad Heliodorum* imitantur, cui ex testimonio ejusdem S. Doctoris magna erat sollicitudo, *si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa ... si Sacrarium mundum, si vasa luculenta &c.*

46. Quæres 11. an possit Vicarius disponere, quæ pars supellectilis sacræ, quo tempore, & quibus personis inservire debeat? ℟. id competere Archipresbytero, ut habetur ex constitut. *num.* 2. *tit. de Sacristia*, & ex ejus commissione Vicario: propterea dabit ipse operam, & invigilabit, ut solemnioribus diebus nobiliora adhibeantur paramenta, & coloris convenientis Officio & Missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ; nam inobservantia colorum præsertim in Basilica esse non posset, nisi cum irreverentia Divini cultus, & scandalo populorum, ut bene observat Clericatus *de Miss. decis.* 50. qui ægre id sine peccato fieri posse non sine fundamento existimat.

47. Quæres 12. an Vicarius possit prohibere, ne fiant quæ indecentia, vel scandalosa sive in sacris functionibus, sive in Ecclesia, ac tali Ecclesia ipse judicaverit, puta deambulationes, colloquia, strepitus, contractus, placita, & alia hujusmodi? ℟. censuisse Sacram Congregationem, prout observat Novar.

var. *part. 2. tit. de Eccl. venerat.* quod spectet ad Episcopum removere ab Ecclesiis indecentia & scandalosa, arbitrio suo. Cum autem tum Archipresbyter, tum ejus Vicarius habeant in Basilica Vaticana potestatem quasi Episcopalem, ad ipsos etiam spectabit ejusmodi indecentia ab ea Ecclesia arcere: præsertim cum severissime Concilia, & Patres exigant reverentiam in Ecclesiis; sacri vero Canones *Cap. Decet, de imm. Eccl. in 6.* mandent, ut ibidem *cessent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia... Sint quæcumque alia, quæ Divinum possunt turbare Officium, aut oculos Divinæ Majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea.*

III.

48. Quæres 13. quæ, & quanta sit potestas Vicarii in ordine ad Sacramentorum administrationem, absolutionem, ac dispensationem? ℞. Meminisse oportet, quod supra diximus, Archipresbyterum Vaticanæ Basilicæ habere ex Sixti V. Constitutione jurisdictionem etiam in spiritualibus relate ad Canonicos, Beneficiatos, & Clericos ejus sacrosanctæ Basilicæ. Hoc posito, Vicarius habet in præfatas personas jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut omnia ferme in eas possit, quæ possunt Episcopi circa suos subditos, exceptis fortasse iis, quæ ad externam disciplinam Ecclesiasticam communem omnibus Clericis sæcularibus & Regularibus, & quæ ad crimina graviora, & publice scandalosa punienda pertinent, ut colligitur ex Abb. *in Cap. Quanto, de off. ordin.* Layman *de jurisd. ordin. conclus.* 117. unde Vicarius, quantum spectat ad potestatem jurisdictionis, potest, si habeat Ordinem vel Presbyteratus, vel Episcopatus respective, omnia Sacramenta, quorum tales personæ capaces sint, ministrare, cum iisdem dispensare &c. & insuper hanc potestatem aliis delegare, cum ipse sit Ordinarius, ut dictum est.

49. Quæres 14. an Vicarius possit in specie conferre, seu ministrare Sacramentum Confirmationis, quando ipse sit Episcopus, vel alteri Episcopo id delegare? ℞. quemlibet particularem Episcopum non posse licite Sacramentum Confirmationis ministrare, nisi suis subditis, & in loco propriæ jurisdictionis. Quare Vicarius habens jurisdictionem quasi Episcopalem poterit quidem, si fuerit Episcopus, hoc Sacramentum conferre, sed solum personis sibi subditis, nempe Canonicis, Beneficiatis, Clericis, ac ministris ejus Basilicæ, & in eadem Basilica. Dixi, Canonicis, Beneficiatis &c. nam, utrum alii existentes in Civitate Leonina pertineant ad jurisdictionem Archipresbyteri, & Vicarii Basilicæ Vaticanæ, quæstio est a me non tractanda, sed sapientiori calamo ac judicio relinquenda. Cæterum controversiam omnem diremit, perpetuumque illi silentium provide indixit Benedictus XIV. *in sua Constit.* 59. *Bullarii tom.* 3. uti videri potest §. 10. *& tribus sequentibus*, ubi vigore *specialis concessionis & peculiaris privilegii* statuit, *ut singulis annis infra Octavam Natalitiæ Solemnitatis SS. Apostolorum Petri & Pauli principalium hujusce Almæ Urbis Patronorum, singulis videlicet septem diebus dictam Solemnitatem immediate sequentibus, in prædicta Vaticana Basilica* Cardinalis ejusdem Archipresbyter *per se ipsum, si ipse Episcopali gaudeat charactere, sin minus, vel etiamsi ipse aliquo impedimento detineatur, per suum Vicarium Episcopum,*

aut

aut per alium Antistitem de gremio Capituli, vel, his deficientibus, etiam per alium quemlibet Antistitem ab ipso deputandum, omnibus & singulis non solum Vaticanæ Basilicæ inservientibus, atque ipsius Archipresbyteri jurisdictioni, ut præfertur, subjectis, & non solum ex Civitate Leonina nuncupata, aut ex Septimiano prædictis, sed etiam ex cæteris Urbis regionibus quibuscumque, & alias undecumque in hunc finem confluentibus, Sacramentum Confirmationis perpetuis futuris temporibus administrare & conferre libere & licite possit & valeat.

50. Quæres 15. an Vicarius, si fuerit Sacerdos, possit Canonicos, Beneficiatos &c. ab omnibus peccatis, & censuris a jure specialiter non reservatis absolvere, vel, si non fuerit ipse Sacerdos, alteri Sacerdoti idoneo eos absolvendi potestatem committere? ℞. affirmative. Ratio est; quia ipse habet in foro conscientiæ ordinariam jurisdictionem circa tales personas: unde sicuti Regulares ob eam causam possunt absolvere suos subditos &c. ita etiam Vicarius Basilicæ Vaticanæ Canonicos ejusdem &c. Beneficiatos &c.

51. Quæres 16. an Vicarius possit dispensare cum Canonicis, Beneficiatis, & Clericis Basilicæ circa vota, & leges Ecclesiasticas, sicuti potest Episcopus cum suis subditis? ℞. distinguendum esse inter ea quæ Episcopi possunt jure ordinario, quatenus Episcopi sunt, & ea quæ possunt Episcopi jure speciali, quatenus delegati Sedis Apostolicæ sunt. Hoc posito, Vicarius ex speciali commissione Archipresbyteri potest dispensare cum prædictis circa ea quæ pertinent ad potestatem ordinariam Episcopi, quia habet jurisdictionem quasi Episcopalem: non potest circa ea quæ pertinent ad illius potestatem delegatam; quia jurisdictio, quæ eo titulo competit Episcopis, non est Episcopalis, sed Apostolica, eaque non est in Vicario, aut Archipresbytero. Dixi, ex speciali commissione Archipresbyteri; quia dispensatio æquiparatur restitutioni in integrum, quæ in generali mandato non continetur, juxta *l. Illud. §. Si satis ff. de minoribus*. Limites, ut possit Vicarius sine speciali commissione in casibus frequenter occurrentibus, item in casu quo Archipresbyter valde remotus distet, item in casibus, in quibus constitutiones Basilicæ hujusmodi potestatem Vicario concedunt.

52. Quæres 17. an Vicarius possit dispensare in interstitiis ad Ordines suscipiendos juxta Tridentinum? ℞. Vicarium Basilicæ Vaticanæ id posse cum Canonicis, Beneficiatis, & Clericis Basilicæ. Ratio est; quia hanc potestatem dispensandi super interstitiis competere etiam Vicario Episcopi docent Sbroz. *de Vic. Ep. l. 2. q.43.* Barbosa *de Potest. Ep. p. 2. alleg.* 18. Antonellus *de Sac. Ord. cap. 3. &c.* consequenter eadem etiam competit Vicario Archipresbyteri habentis jurisdictionem quasi Episcopalem: neque obstat, Concilium Tridentinum id remittere arbitrio Episcopi; nam Vicarius sub Episcopi, vel quasi Episcopi nomine continetur, nisi expresse excludatur.

53. Quæres 18. an Vicarius possit dare dimissorias ad Ordines Clericis, & aliis ministris Basilicæ? ℞. certum esse, id posse Archipresbyterum Vaticanæ, ut expresse habetur ex citata Constitutione Sixti V. & ex praxi ipsa constat: num vero talis facultas communicetur Vicario sine speciali mandato & commissione Archipresbyteri, opinor, negative respondendum esse, ex paritate Vi-

Vicarii Generalis Episcopi, qui easdem sine speciali commissione Episcopi nequit concedere, prout firmant Pirhing *n.* 48. *de Vic.* Pax Jordanus *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 129. Ventriglia, Pignatellus, aliique apud Leuren. *de Vic. q.* 170. Limitarem hoc tamen, ut non procederet, quando Archipresbyter degeret in remotis: quandonam vero Archipresbyter, seu Episcopus judicetur degere in remotis, Pax Jordanus putat, relinquendum esse arbitrio boni viri; & hæc sanior videtur sententia. Ex hucusque dictis facile unicuique constabit, eam Vicario Basilicæ præsertim Vaticanæ inesse potestatem, ut, non exigui, sed magni momenti existimandum sit Vicarii hujusce munus ac personam sustinere.

§. V.

De præeminentia Vicarii Basilicarum.

54. Non solum potestas, sed etiam quæ eam subsequitur præeminentia Vicarium Basilicarum commendat. Et quidem, ut ex more speciatim loquar de Vicario Vaticanæ, quanta hic polleat præeminentia, ex eo vel maxime colligitur, quod præsit (sicuti etiam aliarum Basilicarum Vicarii) Clero nobilissimo, ac numerosissimo; siquidem viri ex primariis familiis, doctrina cæterisque dotibus præcellentes, cœtum hunc Clericalem constituunt. Numerus vero bene magnus in suas diversas partes distribuitur; nam Canonici sunt triginta, Beneficiati sex & viginti, Clerici itidem sex & viginti, Cappellani, Cantores, Seminarii Alumni, & Camilli quamplures, ita ut Clerus iste solus amplior numero sit, quam olim tempore S. Cornelii Papæ esset Clerus totius Urbis, qui cæteroquin appellabatur numerosissimus. Accedit, quamplures ex his esse dignitate sive Patriarchali, sive Archiepiscopali, sive Episcopali conspicuos. Quare magni profecto facienda est præeminentia illius, qui hujusmodi Clericali cœtui cum potestate præsit; si enim eo major censenda est præfectura, quo numerosiores, ac præstantiores ii sunt, in quos ea demandatur, pronum est colligere, præstantissimam hanc esse Vicarii Basilicarum, utpote quia Vicarius numerosissimi ac nobilissimi Cleri rector & moderator est.

55. Præeminentiam hanc plura, ut par est, comitantur debitæ honorificentiæ argumenta. Qua in re prænotandum est cum Card. de Luca *de Præem. disc.* 41. Patriarchales Basilicas Urbis esse Romani Pontificis Cathedrales, in iis Prælatum atque Episcopum esse Romanum Pontificem, Cardinalem vero Archipresbyterum esse primum Canonicum, seu primam Dignitatem, cujus vices ac personam gerit Vicarius. Hoc prænotato, prima Dignitas, seu Cardinalis Archipresbyter præcedit omnes Canonicos &c. & primum occupat locum in Choro &c. Huic succedunt in habitu Prælatitio Archiepiscopi, & Episcopi, qui sint Canonici. Hos subsequuntur habitu Canonicali cæteri Canonici etiam Prælati. Cum autem Vicarius locum Archipresbyteri teneat, ejus personam repræsentet, eique in jurisdictione associetur, etiam ipse præcedit omnes Canonicos (intellige quo ad sessionem in Choro, & similia, puta quo ad incessum in Processionibus &c.)

uti

uti eorum superior ac præses ; imo id ipsum habet præsente Archipresbytero, quia constituit unum caput moraliter cum Archipresbytero , & , ut ajebat Pignatellus *consult.* 64. apud Leurenium *de Vicario Episcopi* , *est superior etiam in præsentia Episcopi , licet non exerceat jurisdictionem , est electus ad jurisdictionem exercendam , habet gradum , titulum , atque ideo præcedentiam respectu cæterorum* . Jam vero

56. Quæres 1. an Vicarius omnes prorsus prærogativas , atque honorificentias recipere debeat , quas recipit Archipresbyter ? ℞. cum Sbroz. *l.* 1. *q.* 24. *de Vicario* , negative ; nam , ut optime ajebat Franc. *in Cap. Non putamus* , *de consuet. in* 6. *si conceditur aliquid Principi ratione suæ dignitatis , illud non extenditur ad ejus Vicarium* . Unde , licet Vicarius repræsentet personam Archipresbyteri & auctoritatem , non tamen hinc sequitur , quod in omnibus sit honorandus sicut Archipresbyter ; cum adhuc fons scaturiens sit major , quam rivulus inde proveniens .

57. Quæres 2. an Vicarius possit exercere omnes illas functiones solemniores sive Pontificales , sive mere Sacerdotales , si fuerit in Ordine Episcopali , aut Sacerdotali respective , quas de jure potest , aut debet exercere Archipresbyter ? ℞. Videbitur fortasse alicui , respondendum esse negative , ex paritate Vicarii Generalis Episcopi , qui non potest , absente Episcopo , vel impedito , exercere functiones Episcopales , sed hoc spectat ad primam Dignitatem , & aliis successive de Capitulo ; prout sæpius definitum fuit a Sacra Rituum Congregatione , ac præsertim in *Brundusina* 5. *Februarii* 1614. & in *Alatrin.* 22. *Januarii* 1618. apud Pacem Jordanum . Nihilominus respondendum est affirmative : nam Vicarius Basilicarum substitutus est in locum primæ Dignitatis , seu Archipresbyteri , tanquam temporalis coadjutor ipsius in iis quæ pertinent ad cultum Divinum , præsidentiam Chori , & functiones Ecclesiasticas , ut colligitur ex cit. Constitut. Alexandri VII. *Pastoralis officii &c.* Certum autem est apud Canonistas ex Leuren. *de Coadjut. q.* 397. *Coadjutori Dignitatum competere functiones coadjuti* ; quia ille sicut sedet in stallo Dignitatis , ita debet facere functiones spectantes ad Dignitatem coadjutam . Cum igitur Vicarius Basilicarum sit Archipresbyteri , seu primæ Dignitatis temporalis coadjutor , & sedeat in ipsius stallo , pertinent ad ipsum functiones solemniores spectantes ad Archipresbyterum : unde ad Vicarium pertinet Missam Conventualem , aut Pontificalem celebrare , aut Sanctissimum Sacramentum , aut sacras Reliquias paratum deferre &c.

58. Neque obstat paritas Vicarii Generalis Episcopi in contrarium allata ; nam disparitas optime traditur ex allegatis a Card. de Luca *de Præm. disc.* 41. etenim functiones istæ solemniores , si non fiant ab Episcopo, pertinent privative ad Capitulum , & sunt exercendæ ab eo qui principatum habet in Capitulo ratione qualitatis Capitularis , non autem ob aliam extrinsecam & accidentalem qualitatem . Cum itaque Vicarius Generalis non habeat primatum in Capitulo ratione qualitatis Capitularis , propterea ad ipsum non spectant tales functiones pro casu , quo ab Episcopo non fiant . Similiter eædem solemniores functiones in Basilicis quando non fiant a Papa qui est earum Episcopus , privative

tive

tive pertinent ad Capitulum, exercendæ per Archipresbyterum, qui est primus ratione qualitatis Capitularis, & consequenter, eo absente, ad suum coadjutorem in Choro, nempe ad suum Vicarium. Unde Vicarius Generalis Episcopi has functiones in defectu Episcopi exercere non potest; tum quia non est Episcopus metipse; tum quia, non est coadjutor primi de Capitulo. At in Basilicis Vicarius quamvis non sit Episcopus metipse, nempe Rom. Pontifex; est tamen temporalis coadjutor primi de Capitulo, nempe Archipresbyteri, atque idcirco ad ipsum spectant solemniores functiones.

59. Quæres 3. an Vicarius Basilicarum ex vi talis Vicariatus censendus sit in Dignitate Ecclesiastica constitutus? ℞. Dignitas Ecclesiastica est in duplici differentia. Altera proprie talis, ac per se stans; altera improprie talis, ac jure alieno. Utraque consistit in præeminentia cum jurisdictione conjuncta, & ex eadem proveniente. Jam vero Vicarius Basilicarum habet Dignitatem Ecclesiasticam hujus secundi generis; siquidem habet præeminentiam, seu prærogativam ortam ex jurisdictione Archipresbyteri, quem ipse repræsentat, cujus auctoritatem exercet, & a cujus nutu dependet: unde non habet Dignitatem per se stantem, ac jure proprio sibi competentem, sed temporalem, ac sibi competentem jure alieno.

60. Quæres 4. an vi hujus Vicariatus possit Vicarius expedire commissiones Apostolicas directas constituto in Dignitate Ecclesiastica? ℞. affirmative; quia sicuti Vicarius Generalis Episcopi, quamvis in eo sit Dignitas competens jure alieno, nec per se stans, adhuc tamen in eo est Dignitas sufficiens ad talem effectum exequendi commissiones Apostolicas, ita similiter dicendum de Vicario Basilicæ præsertim Vaticanæ, in quo est vere Dignitas, seu præeminentia cum jurisdictione etiam in spiritualibus; unde quamvis hæc Dignitas non per se stet, nec jure proprio, sed jure alieno, adhuc tamen est sufficiens ad prædictum effectum.

61. Quæres 5. an Dignitas Vicariatus Basilicæ sit compatibilis cum alia Dignitate? ℞. ex Constitutione Alexandri VII. *Pastoralis officii &c.* non esse actu compatibilem cum Canonicatu ejusdem, aut alterius Basilicæ, vel Ecclesiæ, nec cum alia quacumque Dignitate habente onus residendi; etenim sic expresse ibi cautum est per hæc verba: *Vicarios deputent Prælatos graves, & probos, qui non sint Canonici ejusdem, aut alterius Ecclesiæ, nec ad aliquam residentiam obligati*. Cæterum Vicariatus hujusmodi compatibilis est cum Episcopatu, Archiepiscopatu, imo & Patriarchatu Titulari, non autem cum Cardinalatu; tum quia ex cit. Constitutione Vicarius debet esse Prælatus juxta consuetam Curiæ Rom. significationem; tum quia Cardinales non solent alteri Cardinali subesse ac deservire. Advertas tamen, Vicariatum esse incompatibilem cum alia Dignitate, vel Canonicatu residentiali, non eo sensu, ut, plene obtenta ea alia Dignitate, ipso jure ille amittatur, sed eo sensu, ut simul cum ea alia retineri non possit.

62. Quæres 6. an Vicario paranda sit in Choro sedes cum tapetis, & pulvinari? ℞. praxim esse, ut ita fiat absente Archipresbytero: unde, licet id non competat Vicario Generali Episcopi juxta decisionem Sacræ

Congregationis in *Meritonens.* apud Leuren. *q. 61.* competit tamen Vicario Basilicarum.

§. VI.

De honorario stipendio Vicarii Basilicarum.

63. Cum æquum nequaquam sit, ut quis militet suis stipendiis, propterea Alexander VII. in sua citata Constitutione *Pastoralis officii &c.* decrevit, Vicario Basilicarum suum dandum esse stipendium; quod licet non taxaverit, noluit tamen, illud esse infra medietatem unius Canonicatus. En verba: *Congruo per Archipresbyteros prædictos eisdem constituto salario, quod non sit minus dimidia portione Archipresbyterali, per Camerarios, & Depositarios Capituli singulis mensibus, statutisque temporibus, prædictis Vicariis integre, & sine diminutione solvendo.* Hinc

64. Quæres 1. an Vicarius Vaticanæ, utpote qui habet jurisdictionem spiritualem, possit licite ac sine simonia recipere tale stipendium? ℟. Videbitur fortasse, quod non; quia *in Cap. Præterea, & Cap. Quoniam, Ne Prælati vices suas &c.* prohibitum est vendere, vel locare jurisdictionem Ecclesiasticam: in casu autem Archipresbyter locaret quodammodo jurisdictionem suam Ecclesiasticam: consequenter &c. Nihilominus dicendum, quod sic; nam licet commissio officii jurisdictionem complectentis, aut ejus respectiva acceptio pro pecunia sit illicita, attamen datio, & receptio pecuniæ, officio jam commisso, loco salarii, non est illicita, *ex Can. Charitatem, & Can. Quicumque 12. q. 2.* locat siquidem Vicarius operas suas Archipresbytero, & accipit mercedem laboris sui.

65. Quæres 2. an diminuendum sit salarium, & punctari debeat Vicarius, si aliquando ipse Choro non intersit? ℟. negative: sed tunc punctari debet Archipresbyter. Ratio primæ partis est; quia Alexander VII. vult, *integre, & sine diminutione* dari assignatum stipendium Vicario. Neque obstat, quod datum ob causam retineri non possit causa non subsecuta; nam stipendium medietatis Canonicatus assignatum Vicario, non datur principaliter ob interessentiam Choro, sed in sustentationem illius qui in Vicarium est constitutus. Ratio secundæ partis est; quia Vicariatus Basilicarum est quædam species coadjutoriæ temporalis: sicuti igitur coadjutoria hoc habet, ut distributiones, quas coadjutor acquirit absente coadjuto, cedant in utilitatem coadjuti, quas vero ipse amittit non interessendo, cedant in damnum ipsius coadjuti; ita similiter res procedit in tali Vicariatu.

66. Quæres 3. an Vicarius mortuo Archipresbytero consequi debeat stipendium pro toto tempore, quo vixit Archipresbyter? ℟. affirmative: nam juxta Alexandri VII. Constitutionem per Camerarios & Depositarios Capituli solvendum Vicario est singulis mensibus suum stipendium, quamdiu vixerit Archipresbyter cujus ipse est Vicarius: ergo si non fuerit solutum, Archipresbytero mortuo, adhuc est illi a Capitulo solvendum; siquidem acquisivit jus ad illud. Neque obstat, quod fructus civiles, quorum ante obitum Beneficiati adhuc non vene-

venerat dies solutionis, uti pendentes spectent ad successorem, & non ad ejus hæredes; unde similiter non spectent ad Vicarium fructus civiles sui servitii, quorum ante obitum Archipresbyteri adhuc non venerat dies solutionis; non obstat id, inquam: nam fructus Vicarii dietim debentur tanquam merces operæ diurnæ, quamvis ratione commodioris exactionis destinati sint ad certum tempus, puta ad finem mensis; & per consequens ad ipsum spectant usque ad diem obitus Archipresbyteri, cui ipse Vicariatum præstitit.

§. VII.

De expiratione talis Vicariatus.

67. Vicarii Basilicarum officium ac potestas multipliciter potest expirare ac desinere. Nam primo expirat ac desinit per mortem naturalem ipsius Vicarii; mors enim omnia solvit. Deinde per renunciationem vel expressam, vel tacitam, factam ab ipso Vicario; unde si ipse Roma abiret non rediturus, intelligeretur tacite renunciasse. Tertio per promotionem ejusdem ad Episcopatum residentialem, vel per susceptionem Canonicatus ejusdem, aut alterius Ecclesiæ, vel per promotionem ad Cardinalatum; nam, ut diximus, Alexander VII. non vult ejusmodi Vicarium esse Canonicum, aut obtinere aliud Beneficium residentiale; Cardinales vero non solent alterius Cardinalis esse officiales. Postremo per mortem naturalem ipsius Archipresbyteri, nisi fuerit Vicarius per Breve, seu litteras Apostolicas constitutus; tunc enim attendendæ essent ejusmodi Apostolicæ litteræ quo ad terminum Vicariatus. Non memini de expiratione per revocationem factam ab Archipresbytero; nam quamvis hoc etiam modo possit expirare Vicariatus, & possit Archipresbyter, quando non intercesserit Breve Pontificium, loco movere suum Vicarium, hoc tamen non solet fieri, nec Prælato gravi ac probo, qualis esse debet, atque esse præsumitur Vicarius ejusmodi, hæc inurenda est nota. His præmissis

68. Quæres 1. an, mortuo Archipresbytero, expiret ipso jure Vicarius ab eo constitutus, vel opus sit aliqua declaratione Capituli? ℟. expirare ipso facto, seu jure, nec opus esse alia declaratione. Ita Pax Jordan. in simili, & Felin. *in Cap. Ex parte, de rescript.* Et quidem ita expirat pro eo casu, ut nequeat perficere causas, aut negotia, quæ vivente Archipresbytero ipse inceperat, ex Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. q. 14.* aliisque communiter.

69. Quæres 2. an Vicarius, si esset per Breve Apostolicum constitutus his verbis, *durante vita præsentis Archipresbyteri ad nostrum beneplacitum*, cessaret ab officio per mortem Archipresbyteri, vel adhuc in eo perseveraret? ℟. non carere probabilitate, quod ex illis verbis prorogaretur Vicariatus ultra vitam Archipresbyteri; quia videtur talis esse sensus: *Constituimus te Vicarium durante vita Archipresbyteri, & ulterius ad nostrum beneplacitum.* Cæterum probabilius censeo, quod non prorogetur ultra vitam Archipresbyteri; quia illa verba *ad nostrum beneplacitum*, non videntur extensiva Vicariatus ultra vitam Archipresbyteri, sed potius restrictiva, & facere hunc sensum: *Ad*

beneplacitum nostrum constituimus te Vicarium durante vita Archipresbyter i; idest: *Volumus, esse Vicariatum tuum dependentem toto eo tempore a voluntate nostra*. Ita Castropal. *de privileg. punct.* 16. §. 5. aliique. Unde, si Vicarius esset per Breve Pontificium constitutus præfatis verbis, cessaret ab officio, secuta morte Archipresbyteri:

70. Quæres 3., an si Vicarius promoveretur ad Episcopatum residentialem, statim cessaret ejus officium, vel contra posset ipse factus Episcopus retinere Vicariatum, dum se præparat & expectat commodam opportunitatem transferendi se ad suam Ecclesiam? R. non statim cessare; nam nullo prorsus jure id cavetur, ut supra innuebam. Neque obstat Constitutio citata Alexandri VII. nam per eam Pontifex solum interdicit simultaneitatem Vicariatus, & Episcopatus residentialis, quatenus residentia Vicariatus impediret residentiam Episcopatus, & viceversa: cum autem in casu non haberetur tale inconveniens, cessaret finis extrinsecus, propter quem solum lata est lex, & consequenter non cessaret statim Vicariatus; sed eo tempore, quo Vicarius Romæ se præparat ad suam Ecclesiam Episcopalem, posset Vicariatum retinere. Hæc scribebam ad majorem Dei gloriam, & ut nobilissimo Principi, eidemque Prælato spectatissimo Aloysio Matthæi Romano obsequerer, eique maxima quæque apprecarer.

§. VIII.

Elenchus omnium, qui reperiuntur descripti, Vaticanæ Basilicæ Vicariorum.

71. UT Illustrissimo Vaticanæ Basilicæ Vicario, in cujus gratiam hæc scribo, pro viribus serviam, placet elenchum Opusculo annectere, qui doceat, quotquot hactenus extiterint ejus Basilicæ Vicarii; est quippe voluptas non exigua præclaros eos viros nosse, qui nobis in eodem officio ac munere antecesserint. En igitur quotquot e Vaticanæ Basilicæ Tabulario acceperim.

R. P. D. qui fuerunt Vicarii nostræ Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ, ut apparet in nostris Protocollis Instrumentorum, & Litteris patentalibus.

1507. Beltrandus de Cotestabilibus Eminentissimo Domino Hippolyto Cardinali Estensi Archipresbytero sub Alexandro Papa VI. per acta Demetrii Guaselli, die prima Aprilis.

1532. 3. Aprilis Marius de Vulterris Episcopus Cavallicen. & Canonicus Eminentissimo Domino Lucido Cardinali Alimbrandini ex Comitum familia &c. Archipresbytero, per acta Francisci Spinæ Notarii.

1567. 14. Augusti Antinus Marchesanus J. U. D. & utriusque Signaturæ Referendarius Cardinali Farnesio Archipresbytero, per acta Tegeroni.

1568. 3. Octobris Antonius Elius Patriarcha Hierosolymitanus eodem Archipresbytero, & per eadem acta.

1585. 19.

1585. 19. Maji Paulus Sanvitalis Alexandro Cardinali Farnesio Archipresbytero, per acta Fabii Jannutii Not.

1589. 8. Martii Hieronymus Maffeus J. U. D. & utriusque Signaturæ Referendarius Eminentissimo D. Evangelista Pallotta Cardinali Archipresbytero, deinde die 16. Decembris 1590. fuit creatus Canonicus, per acta &c.

1594. 24. Octobris Paulus Alvarius Archiepiscopus Ragusinus prædicto Eminentissimo Pallotta Archipresbytero, per acta Gargarii.

1598. 18. Octobris Antonius Victorius Romanus utriusque Signaturæ Referendarius eodem prædicto Archipresbytero, per acta Gargarii.

1610. 20. Martii Antonius Seneca Episcopus Anagninus eodem Archipresbytero, & per eadem acta &c.

1619. 23. Junii Franciscus Sacratus Archiepiscopus Damascenus, & Sacræ Rotæ Auditor, Eminentissimo Cardinali Pallotta Archipresbytero Episcopo Tusculano, per acta Gargarii.

1621. 21. Martii R. P. D. Faustus Caffarellus Advocatus Consistorialis, & Signaturæ Justitiæ Referendarius, Eminentissimo Cardinali Scipione Burghesio Archipresbytero, per acta Gargarii.

1627. 10. Decembris Erasinus Paravicinus Episcopus Alexandrinus eodem Eminentissimo Cardinali Archipresbytero, & per eadem acta &c.

1632. 5. Julii Prosper Caffarellus, eodem Archipresbytero, per acta &c.

1645. 17. Martii Joannes Baptista Scannarolus Episcopus Sidonien. per litteras patentales Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini Archipresbyteri, obiit die 11. Septembris 1664.

1664. 8. Februarii Sigismundus Spada, ut supra &c.

1665. R. P. D. Joseph Maria Suarez Episcopus Vasionen. obiit 7. Decembris 1677.

1678. R. P. D. Franciscus Felicaja Vicarius &c.

1683. 20. Maji R. P. D. Joannes Franciscus Albanus Urbinas, utriusque Signaturæ Referendarius, per literas patentales Eminentissimi Caroli Cardinalis Barberini Archipresbyteri, qui Albanus fuit postea Canonicus, Cardinalis, & Pontifex Clemens XI.

1689. 20. Decembris Joannes Dominicus Parracianus, utriusque Signaturæ Referendarius, ab eodem Archipresbytero per litteras paten. electus, dein fuit Cardinalis, & Almæ Urbis Vicarius.

1692. 3. Augusti Marcus Antonius Buratti Canonicus ab eodem electus &c.

1700. 4. Decembris Bartholomæus Spada ab eodem ut supra electus &c.

1704. Et ab Eminentissimo Francisco Cardinali Nerlio Archipresbytero confirmatus.

1706. 19. Julii R. P. D. Fr. Joannes Franciscus de Nicolais Episcopus Beriten. per litteras patentales prædicti Eminentissimi Nerlii.

1708. 9. Aprilis confirmatio prædicti Reverendissimi Domini de Nicolais in Vicarium nostræ Basilicæ, per litteras paten. in forma Brevis Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI. ad nostrum, & Sedis Apostolicæ

licæ beneplacitum, obiit die 29. Decembris 1737. & sepultus in Ecclesia S. Francisci ad Ripas.

1737. 30. Decembris Illustrissimus & Reverendissimus D. Joachimus Ferdinandus de Almanara Patriarcha Antiochenus, electus Vicarius, & per litteras Apostolicas confirmatus ad ejus vitam &c. die prima Januarii 1738. venit ad Basilicam.

1743. 27. Septembris Litteræ patentales Eminentissimi Annibalis Cardinalis Albani, Basilicæ Vaticanæ Archipresbyteri, declaratoriæ deputationis Illustrissimi & Reverendissimi Domini Aloysii Matthæi * Reverendæ Cameræ Apostolicæ Clerici, in Vicarium ejusdem Basilicæ &c.

APPENDIX.

Vacuum ab impressione spatium, quod supererat, opportune me admonuit, ut Constitutionem Alexandrinam quo ad Eminentissimos Archipresbyteros, & Illustrissimos Vicarios, quam sæpius in Opusculo citavi, ipsam ad Opusculi calcem aut totam, aut ferme totam exhiberem. En igitur illam ex Bullario *tom. 5.*

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii Nobis a Domino commissi ratio postulat, ut in his, quæ ad promovendum in quibuscumque Ecclesiis, & præsertim hujus Almæ Urbis nostræ primariis, Divinum cultum pertinent, auctoritatis nostræ partes peculiari sollicitudine interponamus. Quoniam igitur natura comparatum est, ut minores majorum exempla sequantur, ac proinde speremus in Domino fore, ut Chori servitio in Patriarchalibus Sancti Joannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatæ ejusdem Urbis Ecclesiis, sive Basilicis adstricti ferventius Divinis intersint, si primas Dignitates in Ecclesiis, seu Basilicis hujusmodi obtinentes cæteris præsentia sua præluserint; idcirco de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis super negotiis Visitationis Apostolicæ a Nobis institutæ consilio, Dilectis Filiis nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus trium Ecclesiarum, sive Basilicarum prædictarum Archipresbyteris, nunc, & pro tempore existentibus, Apostolica auctoritate tenore præsentium serio injungimus, ut ipsi in Ecclesiis, sive Basilicis hujusmodi, in quibus Archipresbyteri Dignitatem respective obtinent, & pro tempore obtinebunt, Divinis Officiis interesse studeant, & Vicarios deputent Prælatos graves, & pro-

* *Familia Matthæi Romana, olim de Paparesc his, teste Panvinio, dicebatur. Ex ea, ab eodem, aliisque Scriptoribus, prodiisse fertur Innocent. II. qui sedit anno Domini 1130. usque ad 1143. & obiit Romæ in Patriarchio Lateranensi, optime de Ecclesia meritus.*

probos, qui non sint Canonici ejusdem, aut alterius Ecclesiæ, nec ad aliquam residentiam obligati, ac tali doctrina & pietate præditos, ut Ecclesiæ jura tueri, & causas, ac judicia per se ipsos cognoscere, & terminare valeant, singulisque Capitulis, & Congregationibus Capitularibus intersint, congruo per Archipresbyteros prædictos eisdem constituto salario, quod non sit minus dimidia portione Archipresbyterali, per Camerarios, & Depositarium Capituli singulis mensibus, statutisque temporibus, prædictis Vicariis integre, & sine diminutione solvendo: onere tamen injuncto, ut Divinis Officiis diebus festis de præcepto, & aliis earumdem Basilicarum respective solemnioribus interesse, ac munus Præfecti in Choro exercere omnino teneantur. Quod si prædictis diebus Officio Divino non interfuerint, punctetur portio eisdem Vicariis ut supra assignata, in duplum ejus, quo multaretur quilibet Canonicus, & multa interessentibus eo ipso accrescat.

Decernentes &c.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.



DE

DE VICARIO GENERALI EPISCOPI

PARS TERTIA.

PROŒMIUM.



T suus in hac materia de Vicariis ordo servetur, huc transtuli brevem quandam institutionem de triplici Vicario, quam provecta jam senectute conscripsi. Exile quidem ac jejunum illa est opus, fateor, at non ita exile ac jejunum, ut primis saltem elementis hujus officii candidatos non imbuat. Profecto hoc saltem illud præstabit, ut uberiora & pleniora cognoscendi famem acuat, & eos Auctores patefaciat, qui volentes iter aggredi, solide ac tuto manuducant. Qualecumque sit, ecce illud.

§. I.

De nomine, & quidditate Vicarii.

1. PRimo quæres, quid nominis, & rei sit Vicarius Episcopi? ℞. Nomine Vicarii in genere, veniunt omnes, qui vices alterius gerunt, sive Vicarii fuerint Ecclesiastici, sive sæculares sæcularium. Nomine vero Vicarii in specie, venit persona Ecclesiastica, munus alterius in Ecclesia, vel in re spirituali, loco alterius, gerens. Vicarius ejusmodi est in duplici differentia. Nam alter est Vicarius natus, seu legitimus, cui Vicariatus a Lege, vel Canone competit; qualis olim erat respectu Episcopi Archidiaconus: quia tamen ex Archidiaconis nonnulli cœperunt sua abuti potestate, factum est circa sæculum decimum tertium, ut eorum officium ferme fuerit quo ad jurisdictionem extinctum. Alter est Vicarius datus, seu dativus, qui nempe officium ab homine, sive Superiore eum sibi substituente accepit. Porro hic etiam multipliciter subdividitur. Nam alius est qui gerit vices Parochi, seu Beneficiatorum in cura animarum, sive in iis quæ ad forum internum conscientiæ attinent; & dicitur Vicarius in Divinis. Alius est, qui gerit vices Capituli, sede Episcopali vacante; & dicitur Vicarius Capitularis. Alius est, qui gerit vices Episcopi in rerum Ecclesiasticarum, & proventuum cura; & is dicitur Vicarius Episcopi in temporalibus; a Tridentino vero appellatur Œconomus. Alius est, qui gerit vices Episcopi in iis quæ concernunt exercitium Ordinis; isque dici-

dicitur Vicarius in Pontificalibus, seu Suffraganeus. Alius est, qui gerit vices Episcopi in iis, quæ concernunt exercitium jurisdictionis contentiosæ; & vocatur Vicarius in spiritualibus: qui si fuerit designatus, non per totam diœcesim, sed tantum pro parte illius extra civitatem residentiæ Episcopi, dicitur Vicarius Foraneus; si vero fuerit designatus per totam diœcesim in eodem cum Episcopo tribunali, vocatur, & est Vicarius Generalis, ut constat ex Tridentino *Sess.* 13. *cap.* 1. 2. 3. *&* 4. *de ref.* & ex Brevibus Apostolicis, cum aliqua committuntur Episcopis, seu eorum Vicariis; ibi enim Vicarii in spiritualibus constituti per totam diœcesim, censentur esse Vicarii Generales. Prætermitto alias Vicariorum species, in quas hæc Vicarii nomenclatura distribui posset. Unum non omittam, nempe Vicarii nomine aliquando eum dici, qui alicui succedit in dignitate, seu officio. Quo in sensu Pontifex appellari solet Sancti Petri Vicarius, ex Gonzalez *hoc tit.* non quia eo inferior sit, sed quia ejus successor. Jam vero in hac tertia Parte nobis de Vicario in spiritualibus per totam diœcesim, seu de Vicario Generali sermo erit, non vero de aliis; ita tamen, ut ea solum attingamus, quæ magis ad praxim conducunt, quæque magis usui esse possint.

2. Quæres 2. qualis Vicarius veniat appellatione Vicarii, quando absolute quis dicitur Vicarius? ℟. ex Leurenio *quæst.* 9. & ex Sbrozzio *lib.* 1. *quæst.* 48. citante Felinum, & Decium, appellatione Vicarii venire Vicarium Generalem. Is quippe ad universitatem causarum Episcopi per totam diœcesim constitutus cum sit, solus implet nomenclaturam, seu vim hujus vocabuli *Vicarius*; ac propterea, quidquid sit ex errore vulgi, solus in jure Vicarius Generalis intelligitur nomine Vicarii absolute prolato.

3. Quæres 3. an, & quatenus Officialis Episcopi differat a Vicario Generali? ℟. Sunt qui putent, Officialem Episcopi differre a Vicario Generali: sunt etiam, qui negent hanc differentiam. Conciliantur tamen distinctione tam negantes, quam asserentes. Nam Officialis Episcopi alius est principalis ad universitatem causarum per totam diœcesim; alius est particularis ad particulares quasdam causas constitutus, puta ad matrimoniales, ad decimales &c. Prior idem est, ac Vicarius Generalis; ideoque a Tridentino Vicarius Generalis vocatur Officialis: secundus vero valde differt a Vicario Generali, & est mere delegatus. Ubi notes, stylum Curiæ esse, ut litteræ, quando mittuntur ad provincias citra montes sitas, inscribantur *Vicario in spiritualibus*, seu *Vicario Generali*: quando autem mittuntur ad provincias ultra montes sitas, inscribantur regulariter *Officiali Episcopi*; quo nomine intelligitur Vicarius Generalis.

4. Quæres 4. utrum jurisdictio Vicarii Generalis delegata sit, vel ordinaria taliter, ut etiam Vicarius Generalis veniat nomine Ordinarii? ℟. jurisdictionem Vicarii Generalis esse ordinariam (non delegatam) respectu eorum, quæ potest intuitu Vicariatus. Ita communiter cum Barbosa *de officio, & potestate Episcopi alleg.* 54. *num.* 26. *&* 37. contra Goffredum, Scotum, & alios paucos. Ratio est; quia jurisdictio, quæ competit vi officii, & quæ cum ipso officio defertur ex dispositione juris, est ordinaria, *l.* 5. *ff. de jurisdict.* Cum

autem jurisdictio, quæ competit Vicario Generali intuitu Vicariatus, ei deferatur cum officio ex dispositione juris, non ex concessione speciali Episcopi, qui solum designat personam, *ex Cap.2.de off.Vic.in 6.* sequitur &c. Dixi, respectu eorum, quæ potest intuitu Vicariatus; nam respectu eorum, quæ potest intuitu specialis mandati, distinguendum est: si enim hæc jurisdictio committatur in prima commissione generali Vicariatus, erit etiam ipsa ordinaria; si vero postea seorsim ac separatim per speciale mandatum committatur, ea erit delegata, ut fuse cum pluribus Canonistis probat Sanchez *lib.3.de Matrim. dis.29. num.8.* Hinc idem Sanchez infert, quoties in aliquo decreto mentio fit ordinarii, nisi subjecta materia aliud poscat, intelligi non tantum Episcopum, sed etiam omnes habentes jurisdictionem ordinariam, ideoque etiam Vicarium Generalem tum in iis, quæ potest intuitu Vicariatus, tum etiam in iis, quæ potest ex vi specialis commissionis factæ ab Episcopo in prima commissione Vicariatus; unde matrimoniis cum possit assistere Parochus, vel ordinarius, juxta Tridentinum *sess.24. cap.1. de ref. matr.* poterit assistere Vicarius Generalis tanquam ordinarius, ut infra dicemus.

5. Quæres 5. an extet species aliqua, seu imago ejusmodi Vicariorum Generalium ante sæculum decimum tertium Ecclesiæ? ℞. extare imaginem quamdam talium Vicariorum tam in Ecclesia Græca, quam in Latina, ante sæculum decimum tertium a Partu Virginis. Nam in Ecclesia Græca S. Gregorius Nazianzenus, ex eremo abductus, parenti suo Episcopo Nazianzeno Vicariam in Episcopatu operam contulit, ut refert Thomassinus. Item S. Joannes Chrysostomus, cum Diaconus solummodo esset, concreditam sibi Antiochenæ Ecclesiæ curam, absente Episcopo Flaviano, gessit; qui dein factus Presbyter, Episcopalibus obeundis vicibus Episcopum levare cœpit. In Ecclesia vero Latina Vicarius Sancti Ambrosii fuit B.Simplicianus, ejusdem deinde in Episcopatu successor. Item Valerii Episcopi Hipponensis Vicarius fuit S. Augustinus, eo tantum consilio ordinatus a Valerio, ut haberet in quem vices suas, & sollicitudinis magnam partem conferret. Dixi, extare imaginem quamdam talium Vicariorum, non tamen omnimodam eorum realitatem: nam enumerati tum Græci, tum Latini Vicarii, jurisdictionem suam ac potestatem accipiebant a concessione Episcopi, non vero a lege aliqua, quæ tunc lata esset, prout nunc est *in tit. de off. Vic. in 6.*

§. II.

De constitutione, & creatione Vicarii.

6. PRimo quæres, ad quem spectet constitutio, seu creatio Vicarii Generalis sede Episcopali plena? ℞. spectare ex jure ordinario, ac recepta consuetudine, ad ipsum Episcopum, qui vel per litteras patentes, vel etiam sine illis designat personam idoneam in Vicarium Generalem; quamvis, ut bene observat Monacellus *in suo Form. pract. tit.1. num.30.* expediens sit, ut Episcopus designationem hanc faciat per litteras patentes, non quia scriptura sit necessaria ad ejusmodi designationem, sed ad probationem in casu quo a partibus

tibus designati auctoritas in dubium revocaretur. Dixi, ex jure ordinario; nam de jure extraordinario, in casu videlicet aliquo extraordinario, puta, in quo Episcopus esset absens, ac degens in remotis, atque insuper Vicarius illius, quem ipse constituerat, interea moreretur, posset a Capitulo constitui Vicarius, penes quem esset jurisdictionis Episcopalis exercitium, seu administratio, ut docet Leurenius *quæst.25. de Vic.* Similiter in aliquo alio extraordinario casu solet a Papa in aliqua diœcesi constitui Vicarius Generalis; ut videre est apud Pignatellum *tom.10. cons.129. num.6.* Sed hæc extraordinaria sunt.

7. Quæres 2. an solus Episcopus sine consensu, vel consilio Capituli, possit Vicarium Generalem designare? ℞. Quamvis olim necesse esset adhiberi consensum Capituli in designatione Vicarii Generalis, ut satis indicat Sbrozzius *lib.2. quæst.55. num.11.* hodie tamen solus Episcopus Vicarium facit. Ita Abbas *in Cap. Tua nobis h.t.* Hostiensis *in Sum. h.t. v. Sed nunquam &c.* Idque approbat communis praxis, & consuetudo, quæ in talibus est servanda, *Cap. Ea noscitur, de his, quæ fiunt &c.*

8. Quæres 3. an Episcopus teneatur constituere Vicarium Generalem in sua diœcesi? ℞. Episcopus, regulariter loquendo, tenetur constituere Vicarium Generalem. Ita Anacletus citans Abbatem *in Cap. Quoniam, de officio ordinarii.* Id ipsum tradunt alii plures Doctores, quos copiose allegat Barbosa *de off. & potest. Episcop. alleg.54. num.125.* Ratio est; quia propter multitudinem negotiorum Episcopus, etiamsi diligentissimus sit, regulariter non sufficit ad omnia negotia se solo expedienda.

9. Dixi, regulariter loquendo: nam, si Episcopus velit causas per se tractare, simulque sufficiat ad eas se solo expediendas, puta, quia Episcopatus exiguus sit, non posset ipse cogi ad constituendum Vicarium Generalem, uti tenuit Rota Romana in una *Calaguritana fructuum* 18. *Martii* 1583. coram Bubalo; idque alias eadem Rota sæpius tenuit cum ferme communi Canonistarum.

10. Quæres 4. qualem debeat Episcopus constituere Vicarium Generalem? ℞. Utique debet constituere virum probum, & prudentem: hæ quippe dotes in gubernante potissimum requiruntur. Hinc bene ajebat S. Bernardus *serm.40. in Cantica*: ***Discretionem (quæ est pars prudentiæ) gubernanti maxime necessariam esse; nam discretio*** (inquiebat ipse) ***est moderatrix, & auriga virtutum, & morum; omni virtuti ordinem ponit: ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.*** Præterea debet constituere habentem has qualitates. I. quod sit Clericus, non tamen necessario in Sacris, sed saltem primæ Tonsuræ, *ex Can.22. caus.16. quæst.7.* Sit Clericus, dixi, at non conjugatus, quia Clericus conjugatus non plene gaudet privilegiis Clericalibus, ut cum Sbrozzio aliisque docet Pirhing; nec bigamus, etiamsi iste incederet in habitu, & Tonsura Clericali, siquidem bigamus etiam soluto matrimonio caret privilegiis Clericalibus, & habetur pro laico, ut cum aliis notat Pirhing; similiter nec sit Regularis ex Mendicantibus, nam Mendicantes omnino removentur ab hoc officio, ut constat *ex Clem. prima §. Ad Prioratus, de Regular.* Alii vero Regulares, etsi possint de licentia suorum Superiorum,

 non

non debent tamen adhiberi pro hoc officio, nisi gravis causa adsit eos adhibendi. II. quod annum vigesimum quintum saltem fuerit ingressus, *ex Cap. 7. §. Inferiora, de elect.* Atque hæc qualitas ita est in Vicario requisita, ut Episcopus super ætate sui Vicarii dispensare non possit, ne pro una quidem die, ut docent Pax Jordanus, Sbrozzius, aliique apud Leurenium *quæst.* 43. III. quod sit in Theologia, vel Jure Canonico Doctor, aut Licentiatus, vel saltem alias rerum & jurium peritus. Ubi notes, sub disjunctione hanc qualitatem graduationis Vicario inesse oportere: nam non est determinate necessarium, quod Vicarius Episcopi sit Doctor, aut Licentiatus sive in Theologia, sive in Jure Canonico, licet id asserant plures Summistæ; etenim Cardinalis de Luca *ad Trid. discur.* 31. *num.* 14. ait: *Tametsi nullibi cautum sit, quod Vicarius Episcopi debeat esse Doctor; Tridentinum enim sess.* 24. *cap.* 16. *requirens in Vicario Doctoratum, aut Licentiatum, loquitur tantum de Vicario Capituli, nihilque quo ad hoc disponit Concilium, aut Sacra Congregatio.* Fateor nihilominus, quod, si habeatur recursus, solita sit Sacra Congregatio Episcoporum mandare Episcopo, ut teneat Vicarium Doctorem, prout notat Pax Jordanus. Cæterum peritia jurium, & sacræ Theologiæ, saltem in ea parte, quæ ad mores pertinet, respective ad populum, & diœcesim, non solum ex jure positivo, sed etiam ex jure naturali videtur determinate necessaria Vicario Generali, ne se exponat gravi periculo errandi: unde optime ajebat Layman, promovendos esse ad Vicariatum, qui in utroque studio tum Theologiæ, tum Juris Canonici, versati, & exerciti sint.

11. Quæres 5. an in Vicarium constitui debeat originarius civitatis, seu diœcesis, & an possit constitui is, qui actualiter sit Parochus? ℞. ad primum, non defuisse, qui putaverint, in Vicarium constituendum esse originarium civitatis, aut diœcesis, non autem externum, quia originarii conversatio, & mores possunt esse magis cogniti Episcopo. Ita Sbrozzius *lib.* 1. *quæst.* 41. *num.* 1. citans alios nonnullos. Dicendum tamen est, Vicarium Generalem Episcopi regulariter non debere, nec posse poni originarium; ita enim statuitur a pluribus Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium decretis apud Pignatellum *tom.* 9. *consult.* 162. ex quibus unum sic habet: *Originarius civitatis, & diœcesis non potest esse Vicarius: nam propter consanguinitates, affinitates, familiaritates, & alias attinentias potest deviare a recto tramite justitiæ, vel certe se reddere partibus suspectum.* Dixi, regulariter; nam eadem Sacra Congregatio solet aliquando dispensare, ut Episcopus præsertim residens possit Vicarium constituere diœcesanum, sive donec Episcopus externum idoneum reperiat, sive propter mensæ Episcopalis tenuitatem. ℞. ad secundum negative, saltem ad longum tempus, nempe ultra bimestre alias concessum Parochis, ne resideant personaliter, & actualiter. Ita Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ gloss.* 6. *num.* 255. Garcias *de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 40. Pirhing *ad tit. de Cler. non residen. num.* 16. aliique apud Leurenium *quæst.* 54. contra Navarr. *consf.* 15. *de Cleric. non resid.* aliosque perpaucos.

§. III.

§. III.

De quantitate jurisdictionis, & potestate Vicarii Generalis.

12. PRimo quæres, quanta sit, & quousque se extendat jurisdictio, & potestas Vicarii Generalis? ℞. Jurisdictio, & potestas Vicarii Generalis, universim, & in genere loquendo, se extendit ad omnia, ad quæ se extendit potestas jurisdictionalis Episcopi, quatenus ordinarii, exceptis iis, quæ requirunt speciale mandatum: nam Vicarius Generalis constituit idem cum Episcopo tribunal, & in eodem tribunali cum Episcopo jus dicit; unde a Vicario, saltem in iis, quæ ipsi competunt ex officio Vicariatus, appellari nequit ad Episcopum, ne ab eodem appelletur ad eumdem, *ex Cap. Non putamus, de consuet. in 6.*

13. Quæres 2. quousque in specie se extendat talis potestas? ℞. Ex Begundellio *v. Episcopus*, apud recentem Canonistam Antonium Remy, Vicarius Generalis, ex officio sui Vicariatus, hæc potest in specie, nisi aliqua ex iis Episcopus sibi expresse reservaverit: nempe I. potest approbare Confessarios, instituere in Beneficiis legitime præsentatos, & electos confirmare, conferre Parochias digniori per viam concursus, Vicariis in Beneficiis unius congruam taxare: II. pœnas leviores infligere, si delicta non mereantur graviores, multas pecuniarias injungere applicandas fisco Episcopali, vel causis piis: III. exequi litteras Apostolicas ad se vel sub nomine proprio, vel sub nomine Officialis, aut Vicarii in spiritualibus directas, disponere quæ pertinent ad Monialium regimen, & clausuram, concedere licentiam ingrediendi eorum monasteria, explorare voluntatem tum ante susceptionem habitus, tum ante emissionem Professionis (hoc tamen Barbosa apud Pellizzarium *de Monial. cap. 3. sect. 1. num. 2.* negat, docens, ejusmodi explorationem faciendam esse ab Episcopo, non autem a Vicario Generali, nisi in casu quo Episcopus sit impeditus, aut illum deleget ad tale munus), quod examen etiam committere potest earum Confessariis, consentire in dispositionem, vel donationem Novitiorum de bonis suis intra ultimos duos menses ante Professionem: IV. interponere auctoritatem in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, cognoscere causas beneficiales civiliter motas, dispensare in denunciationibus matrimonialibus, dare licentiam transeundi ad matrimonium, si satis constet de morte conjugis: V. facere statuta totam diœcesim obligantia, non tamen in rebus perarduis, excommunicare suos subditos, suspendere, interdicere, consequenter etiam ab iis censuris absolvere, nisi ipso jure latæ sint, cogere etiam laicos per censuras ad impertiendum sibi brachium sæculare, ubi opus habet, interponere auctoritatem in erectione monasteriorum &c. Ita ex citatis supra Auctoribus, qui insuper notant, quod si Vicarius dubitet hic & nunc, an indigeat mandato speciali, & Episcopus præsens sit, debeat ad ipsum recurrere in negotiis magis arduis, quamvis in aliis negotiis, si dubitetur, utrum casus indigeat speciali mandato, præsumptio sit pro Vicario Generali, *ex Cap. 2. & final. hujus tit. in 6.* Dixi supra, nisi Episcopus aliqua sibi expresse reservaverit:

rit: potest enim Episcopus, teste Leurenio, quædam sibi reservare, quæ Vicario Generali competunt ratione officii; unde non raro diminuta est in Vicario Generali hæc sua potestas.

14. Quæres 3. quænam indigeant speciali mandato, ut possit Vicarius ea exequi? ℞. Speciale mandatum exigunt I. quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut est collatio Ordinum, confectio Chrismatis, consecratio Ecclesiarum, etiamsi Vicarius fuerit Episcopus Titularis, nisi simul fuerit Suffraganeus, seu Vicarius in Pontificalibus, nam alias tantum est Vicarius jurisdictionis: hinc etiam sine speciali mandato concedere nequit dimissorias extra casum, quo Episcopus in remotis agat, *ex Cap. Cum nullus 3. de temp. Ord. in 6.* II. causæ criminales graviores, *ex Cap. 2. h.t. in 6.* unde non potest Clericos deponere, privare Beneficiis, condemnare ad pœnas graviores &c. potest tamen inquirere de crimine in ordine ad emendationem delinquentis, ad removendum scandalum, ad referendum Episcopo, ad levem multam pecuniariam infligendam, vel compensationem damni illati, ex Layman *in Cap. Licet 2. h.t. in 6.* III. causæ beneficiales, quæ sunt meræ libertatis, & gratiæ, vel speciem alienationis habent, nempe conferre Beneficia, quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent, aut præsentare ad Beneficia, quæ sunt jurispatronatus Episcopalis, recipere resignationes Beneficiorum, erigere novam Parochiam, vel Beneficium, aut transferre Ecclesias vetustate collapsas ad Matricem, vel aliam Ecclesiam viciniorem, unire Beneficia, ea supprimere, dividere Ecclesias Parochiales, dare consensum in reservationem Jurispatronatus, ex Glossa magna *Cap. Cum olim 14. de maj. & obed.* IV. causæ arduæ, quales sunt, quæ a Sede Apostolica specialiter delegantur Episcopo, feudales, item visitare diœcesim, nisi impedito Episcopo, congregare Synodum diœcesanam, adire loco Episcopi Concilium Provinciale, aut Generale, ultimas voluntates etiam pias exequi, alienare res Ecclesiæ, pensionibus, collectis, vel subsidio charitativo onerare Clericos, vel Beneficia, exigere quartam decimarum, funeralium &c. adire hæreditatem lucrosam Ecclesiæ Cathedrali delatam, judicare in causa Episcopi, vel Ecclesiæ, procedere contra Canonicos, interesse electioni Prælatorum, cognoscere de hæresis crimine &c. V. actus jurisdictionis voluntariæ, & liberalis gratiæ, uti concedere Indulgentias, absolvere a casibus Episcopo in jure reservatis, dispensare in votis, juramentis, impedimentis canonicis, legibus, & statutis diœcesanis, observatione festorum, jejuniorum, saltem universaliter, irregularitatibus etiam ex delicto occulto provenientibus, commutare vota, vel pœnas, vel facere compositionem cum reis &c.

15. Hæc, & alia ejusmodi exequi non potest Vicarius Generalis ex vi Vicariatus Generalis, sed requiritur ad ea speciale mandatum, nisi consuetudine legitime præscripta in aliqua diœcesi, nonnullos ex recensitis casibus tractare, & exequi possit Vicarius eo ipso, quod Vicariatum obtinuerit. Hinc in aliquibus diœcesibus consuetudo invaluit, ut Vicarius possit dispensare particulariter in observatione festorum, jejuniorum, & aliis similibus frequentius occurrentibus, scientibus, & tolerantibus Episcopis, ex Layman *in Cap. fin. h.t.* Pirhing *n.59.* Wiestner *n.42.* Ex consuetudine pariter ubique fere recepta introdu-

troductum est, ut Vicarius cognoscere possit de causis matrimonialibus, quamvis istæ inter arduas numerentur.

16. Notandum tamen diligenter est, quod, ubi consuetudo aliquid ex recensitis Vicario non permittat, necessarium est speciale Episcopi mandatum, seu delegata ab ipso potestas, quæ non censetur tradita per hanc clausulam: *Committo tibi omnia, quæ potest Episcopus, etiamsi speciale mandatum requirant*: ex Molin. *de justit. & jur. tract.5. disp.*10. quia specialia non committuntur, nisi exprimantur, *ex Cap. Qui ad agendum, de procurat.in 6.& ex reg. juris in generali* 81. *in 6.* Præterea non intelligitur potestas facta ab Episcopo per eam alium clausulam, in qua, uno, vel altero casu in particulari expresso, addantur hæc verba: *Et omnia alia, quæ speciale mandatum requirunt*: *ex Cap. Sedes* 15. *de rescript.* posset tamen Vicarius in hoc casu alia etiam quæ requirunt speciale mandatum, specificatis similia, aut minora exequi, non vero majora: *ex Clem. II. de proc.* Ut igitur intelligatur facta Vicario ab Episcopo potestas ad ea, quæ requirunt speciale mandatum, opus est, ut illa specialiter exprimantur; quia specialia non committuntur, nisi exprimantur, *ex cit. Cap. Qui ad agendum* 4. *de procurat. in* 6. Videri tamen potest Schmalzgrueber *h.t. num.*24. docens, quomodo se explicare debeat Episcopus, ut censeri possit concessisse Vicario suo Generali ea, quæ speciale mandatum exigunt.

17. Quæres 4. an Vicarius Generalis possit saltem ex mandato speciali Episcopi declarare, seu denunciare excommunicatum, vel suspensum Regularem exemptum, qui delictum commiserit, cui fuerit in jure annexa censura? ℟. tunc posse, quando delictum commissum fuerit ita notorium, ut a Regulari nulla possit tergiversatione celari, vel excusari. Ita Ugolinus *cap.*29.§.10. Barbosa *de potest. Episcopi part.*3. *alleg.*105. apud Dianam *part.*3. *tract.*2. *resol.*35. Dixi, posse; nam licet Regularis exemptus non possit ab Episcopo censurari, nisi in casibus, in quibus Episcopo permittitur specialiter, v.g. si ille extremæ Unctionis, & Eucharistiæ Sacramenta absque licentia administret, aut matrimonia solemnizet, tamen potest illum delinquentem in materia, cui de jure communi annexa est censura, declarare tali censura innodatum, ad effectum, ut evitetur a populo diœcesis. Imo addit Felinus *in Cap. Non potest, de re judicata*, posse citari ad videndum declarari; quod tamen terminis habilibus intelligendum est.

18. Dixi, tunc posse, nempe quando daretur notorietas delicti, & non alias; quia sine tali notorietate requiritur causæ cognitio, quæ ad proprium Judicem delinquentis pertinet, & respectu Regularis exempti Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis, Judex incompetens est, ubi stet exemptio. Ita ex Zerola *in praxi Episc. part.*1. *v. Excommunicatio*, & ex Navarro *conf.*2. *de sent. excommunicationis*.

19. Dubitabis, an Vicarius Generalis saltem ex vi specialis mandati possit approbare Reliquias? ℟. certum esse ex Conc. Trident. *sess.*25. non posse adorari cultu publico Sanctorum Reliquias, nisi eas recognoverit, & approbaverit Episcopus. Nomine autem Episcopi comprehenditur aliquando Vicarius Generalis, & exprimitur nomen Episcopi ad excludendos alios inferiores Episcopis

ſcopis Prælatos, ut notant Pirhing, Layman, Garcias, aliique apud Leurenium *q.*147. Unde non excluditur in caſu Vicarius faciens idem tribunal cum Epiſcopo. Quidquid tamen de hoc ſit, negandum non videtur, id poſſe fieri a Vicario ex ſpeciali mandato.

20. Porro in recognoſcendis Reliquiis I. non debet Vicarius procedere temere, ac ſine accurata conſideratione. II. debet advertere, an Reliquia talis ſit, qualem deceat publico cultui, & venerationi exponi. III. an conſtet ſufficienter de identitate Reliquiæ, ſcilicet, quod ea ſit ejus Sancti, cujus eſſe dicitur; ita ut prudenter operari cenſeatur.

21. Quæres 5. quomodo practice ſe geret Vicarius in variis caſibus, qui poſſunt illi occurrere tum in materia matrimoniali, tum in judicio exercendo de re alia qualibet? ℞. Ut huic quæſtioni ad plenum ſatisfaciam, præfixa mihi brevitas non patitur: conabor tamen nonnulla in medium afferre, quæ uſui, & praxi apta eſſe poſſint tum ad cauſas matrimoniales, tum ad beneficiales, tum ad rem aliam quamlibet judicandam. Et primo quidem ſe ſe offert obligatio præmittendi matrimonio denunciationes. Qua in re

Not. I.

De cauſis matrimonialibus.

22. Monent communiter Canoniſtæ, non facilem eſſe debere Vicarium Generalem ad diſpenſandum in matrimonii denunciationibus, ſaltem abſque juſta & rationabili cauſa; ita ut graviter delinqueret, ſi facilem ſe in tali diſpenſatione exhiberet abſque juſta & rationabili cauſa; tum quia Concilia tam Lateranenſe, quam Tridentinum, utuntur verbis graviter præceptivis; tum quia non pauca, nec levia exinde mala poſſunt oriri, v.g. impedimenti dirimentis occultatio, nullitas matrimonii, illegitimitas prolis &c. Deinde ſi Vicarius noverit ex Parochi, vel aliorum denunciatione, volentes contrahere, irretitos eſſe aliquo impedimento dirimente, debet illis matrimonium interdicere, *ex Cap. final. de clandeſt. deſponſ.* Verum obſervat Monacellus *tom.* 1. *pag. mihi* 256. quod ſi denuncians non fuerit bonæ famæ, aut non integer, vel alio modo ſuſpectus, utpote quia non moveatur ad denunciandum pro exoneranda conſcientia, ſed ſe ingerat in cauſa, quia ſibi diſpliceat matrimonium, vel ſi demum varia, & inveriſimilia deponat; tunc, non obſtante, quod agatur de contrahendo matrimonio, poterit permittere, ut procedatur ad ulteriora, denunciantis depoſitione non attenta: id quod ipſe teſtatur ſæpius fuiſſe probatum a Sac. Concilii Congregatione.

23. Quod ſi Vicarius (ſequitur idem Monacellus) ex denunciatione teſtis non ſuſpecti noverit inter ſponſos impedimentum dirimens, & teſtis ille fuerit juratus, (nam teſti non jurato, ſicuti ex ſolo auditu, etiam hic non creditur, niſi quando agitur de probanda conſanguinitate, creditur enim juranti, ſe a duobus ſuis majoribus fide dignis id audiviſſe, *Cap. Ex quodam, de teſt.*) ſi, inquam, id noverit, tenetur per ſe loquendo inhibere matrimonium, etiamſi ſponſi proteſtentur de obtenta diſpenſatione a Sacra Pœnitentiaria pro foro

foro conscientiæ, quamvis recte notet Benedictus XIV. *in sua Instit.* 87. quod si Vicarius certioretur de ea dispensatione a viro fide digno, puta a Confessario, vel Parocho, qui possunt id clam testificari Vicario, tunc debebit Vicarius acquiescere, nec debebit ad matrimonium inhibendum procedere: quod etiam olim notaverat Clericatus.

24. Curabit etiam in praxi Vicarius, ut sponsi stent sponsalibus validis, nec legitime dissolutis. In quo notat doctor Davalos *lib.2. sui Directòrii cap.* 15. sponsos non esse judicialiter compellendos ad contrahendum matrimonium, sed potius monendos, quam cogendos; nam *similes coactiones*, inquit ipse, *solent difficiles exitus habere*. Parum dissimiliter hac in re loquitur Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disput.* 29. docet enim, Vicarium prudenter debere procedere absque strictissima coactione, ne consensus requisitus a matrimonio deficiat: quare, si sponsum ita obstinatum esse viderit, ut libere consentire matrimonio repugnet, monitione potius, quam exactissima coactione, utatur. Quare audiendi non sunt, qui cum Glossa docent, sponsos finaliter compellendos esse. Hoc tamen fatendum est (addit Sanchez), quando juramentum sponsalia firmavit, studiosius compellendum esse promittentem, ratione majoris vinculi.

25. Dubitabis, quid agere debeat Vicarius, quando noverit, filium familias contraxisse, insciis parentibus, sponsalia, animo contrahendi matrimonium inconsultis parentibus? ℟. Sciat Vicarius in tali casu esse recentiorem Canonistam, qui integro Opusculo contendit, talia sponsalia esse invalida, quia toties sponsalia sunt invalida, quoties præseferunt obligationem ad matrimonium illicitum: est autem illicitum matrimonium inconsultis parentibus ineundum: quare poterit Vicarius pro nullis habere ea sponsalia. Cæterum non facile recedat a stylo recepto suæ Curiæ Episcopalis.

26. Præterea meminerit Vicarius, se non posse licentiam dare transeundi ad secundas nuptias in casu indiciorum, & præsumptionis probabilis de morte prioris conjugis, sed tantum in casu indubitatæ certitudinis: ut bene monet ac docet cum aliis Layman, asserens, hanc esse communissimam, & pene omnium Doctorum sententiam. Profecto id probatur aperte *in Cap. In præsentia de Sponsal.* ubi Pontifex vetat, auctoritate Ecclesiæ permitti contractum matrimonialem, donec certus nuncius non habeatur de morte prioris conjugis.

27. Diligens etiam esse debet Vicarius in executione litterarum matrimonialium, seu dispensationum, quæ dantur a Sede Apostolica. Quare observat de Justis *pag. mihi* 115. oportere, ut Vicarius procedat pede, ut ajunt, plumbeo, & cum omni circumspectione; quia totum negotium, quando dispensatio ei delegatur, conscientiæ ipsius committitur: unde debet ipse omnes litterarum Apostolicarum clausulas considerare, & præsertim illam: *de præmissis te diligenter informes*: in qua notatu, ac scitu dignum est, ad verificationem hujus clausulæ non sufficere oratorum confessionem de impedimento, & de aliis in supplicatione narratis, sed oportere, ut delegatus ab aliis se informet: *ex Cap. Super eo &c. de eo, qui cognovit &c.* & ex Pyrrho Corrado *in praxi dispensationum lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 97.

28. Hujusmodi autem informatio petita ab aliis, quam a supplicantibus, est omnino necessaria, quamvis impedimentum, aliaque Pontifici notoria sint: licet enim notorium regulariter probatione non indigeat, tamen, quia in litteris Apostolicis ultra verbum, *te informes*, additur aliud, scilicet *diligenter*, & sic ista clausula non apponitur eo modo, quo jure inest, certum est, non importare simplicem monitionem, sed conditionem, & formam, quam delegatus tenetur omnino servare, & se diligenter informare, quamvis etiam alio modo de veritate precum sibi constaret: ut bene docet Sanchez *lib.*8. *disp.*34. *num.*26. cum aliis tum Theologis, tum Canonistis. Unde, si delegatus ante captas ejusmodi informationes, & ante verificationem precum dispensaret, hæc dispensatio nulla esset & irrita, ut probat de Justis *pag. mihi* 111. post Sanchez *disp. cit.*

29. Dubitabis, an, quando in dispensationibus, quæ dantur absque causa, apponitur hæc clausula: *ipsi ex certis rationabilibus causis eorum animum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari*: debeat delegatus petere, ea verificari? ℞. ex Sanchez *lib.*8.*de Matrim. disp.*35. eas rationabiles causas, quibus illi ducuntur, nequaquam esse probandas, nec delegatum aliquid vel ab impetrantibus dispensationem, vel ab aliis circa eas debere inquirere, ut colligitur aperte ex textu *leg. Quod venditor* 39. *ff. de dolo malo*: nec obstat clausula supradicta: *de præmissis te diligenter informes*: nam de stylo solum ponitur; aliter frustra concederetur dispensatio sine causa, si ex causæ generales essent verificandæ, ut *loco citato* expendit Sanchez.

30. Tandem adverto, pro verificatione precum non requiri ex necessitate formale testium examen, nec judicialem cognitionem; sed sufficere, ut delegatus se diligenter informet, dummodo informatio ab aliis, quam ab ipsis sponsis, sumatur.

31. Adverto etiam, quod, si delegatus, seu executor pronunciet, litteras non exequendas, easque subreptitias, vel obreptitias esse, vel si e contrario credens, dispensationem esse legitimam, dispensaret, & postea inveniret se deceptum, non poterit ulterius causam retractare, ut docent Pyrrhus Corradus, & de Justis *loc. cit.* sed si oratores voluerint, dispensationem ad suum effectum deduci, debebunt de novo supplicare ad Pontificem: siquidem delegatus pronunciando, protulit sententiam suam definitivam; ideoque, cum functus fuerit officio suo, totam jurisdictionem consumpsit. Excipit tamen Abbas cum Krimer *tom.*4. *num.*2225. si ejus sententia ideo nulla esset, quia non observavit formam mandati: etenim tum re ipsa non esset usus jurisdictione sua.

32. Ad extremum notet Vicarius, ut parce admodum permittat ea matrimonia, quæ vulgo dicuntur conscientiæ, & quando permittere voluerit, id non præstet, nisi servata ea forma, quam præscripsit Benedictus XIV. in suis Apostolicis litteris *Satis vobis*, *tom.*1. *ejus Bullarii n.*35. Dixi, parce admodum; nam ea permittenda non sunt, nisi detur causa proportionata, & sufficiens ad permittendum scandalum, quod nasci solet ex familiari consuetudine viri cum fœmina, latente inter ipsos inito matrimonio, ut docet Raynaudus

*tom.*2.

tom. 2. Heter. pag. mihi 185. Hæc autem proportionata causa (pergit citatus Auctor) non facile reperitur inter personas vel infimæ, vel mediæ conditionis. Addidi, quod id non præstet, nisi servata forma; quam præscripsit Benedictus XIV. Quare apud ipsum eam legat.

33. Praxis est, etiam post Tridentinum, ut matrimonia aliquando contrahantur per procuratorem, quæ quidem Theologi docent esse valida, etiamsi sponsus, vel sponsa non adstent coram Parocho, quin obstet, quod Parochus sit testis, & in casu testari nequeat, matrimonium esse initum inter has individualiter a se cognitas personas; nam testari potest de contractu exteriori coram se inito per procuratorem: quamvis, si tali modo contingat fieri matrimonium, consultum est, ut deinde Vicarius moneat, denuo illud contrahi per sponsum, & sponsam adstantes coram Parocho, aut ut coram eodem ratum habere declarent, ut docet Benedictus XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 23. *num.* 9. Hoc autem de consilio est, non autem de necessitate, ut *ibidem* docet laudatus Pontifex.

34. Demum noverit Vicarius, nullum esse matrimonium ejus, qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se conjungendi in matrimonium non adepto novo domicilio, seu quasi domicilio, nisi intervenerit licentia Parochi cujus interest; ut ex communi sensu Sacræ Congregationis docent communiter Theologi contra Pontium, & Emmanuelem Sa, qui volunt, Parochum idoneum ad conjungendum matrimonio contrahentes, esse Parochum etiam illius brevis habitationis in loco, ubi per accidens degant contrahentes, puta, contrahendi matrimonii causa, si tamen fuerint personæ cognitæ.

35. Quod si contrahere volentes fuerint vagi, noverit Vicarius, se non posse dare licentiam contrahendi, nisi constito prius de statu libero, causa apud Episcopum, vel apud se ipsum, non autem apud Parochum, acta, juxta Instructiones Sacræ Inquisitionis videndas apud de Justis *pag.* 287. & juxta Instructionem Clementis X. *anno* 1670. editam.

36. Porro cum ferme fiat, ut adversus sponsos, & sponsas tum de futuro, tum de præsenti, imo adversus alios quoslibet, etiam Clericos, mittantur ad Vicarium libelli, & litteræ sine nomine & subscriptione auctoris, vulgo *memoriali ciechi*; idcirco vir clarissimus Doctor Davalos *in suo Directorio lib.* 2. *cap.* 3. notat, & experientia edoctus monet, ut Vicarii ab hoc scopulo declinent, nempe a facilitate credulitatis, ac propterea, siquando clancularias has litteras ipsi acceperint, non statim eis credant, neque illico inquirant, sed caute, & quasi extra rem diligenter attendant, utrum in eis contenta veritati innitantur. Profecto sapiens quisque Judex delatoribus ita unam aurem præbet, ut semper alteram reo reservet absenti; nec imitatur Episcopum illum Corinthiorum, in quem acriter invehitur Sanctus Gregorius *Can. Si quid vero dist.* 86. propterea quod statim ac audiebat aliquem deliquisse, protinus, causa incognita, accendebatur ad vindictam. Hæc si præstiterit Vicarius, teste S. Bernardo ad Eugenium, inter perpaucos adnumerabitur, qui inter credere, & non credere, medium constituunt. Vide plura *loc. cit.*

ADDITIONES QUÆDAM

Pro eadem Praxi.

37. HActenus dictis visum est pro praxi quædam alia addere, quæ in causis matrimonialibus videntur usui esse aliquando posse. Et primo quidem do regulam cognoscendi gradus consanguinitatis, & affinitatis: pro qua noto, quod Theologi, & Canonistæ agentes de consanguinitate, utuntur his frequenter terminis, videlicet *Stipes*, *Linea*, *Gradus*. *Stipes* est illa persona, a qua cæteri per carnalem propagationem descendunt: v.g. Titius, qui est pater Antonii, & Bertæ, vocatur stipes utriusque, & cæterorum, qui ab iisdem descendunt. *Linea* est collectio personarum ab eo stipite descendentium; eaque duplex est, alia recta, alia transversalis: recta dicitur illa collectio personarum descendentium ab eodem stipite, quarum una generatur ab altera, & continet tum ascendentes, tum descendentes; transversalis est illa collectio personarum descendentium ab eodem stipite, quarum una non generatur ab altera: & quia tales personæ constituentes lineam transversalem possunt distare æqualiter ab eodem stipite, sicuti æqualiter distant duo germani fratres ab eodem communi stipite Titio, & possunt distare inæqualiter, sicuti inæqualiter distant ab eodem stipite Titio filius ejusdem, & fratris filius; hinc linea transversalis alia dicitur æqualis, alia dicitur inæqualis. *Gradus*, deducta metaphora a scalis, est illa distantia, quæ intercedit inter tales personas per ordinem ad stipitem a quo descendunt.

38. Quomodo autem fieri debeat computatio graduum ad dignoscendum, in quo gradu consanguinitatis unus sit propinquus alteri, triplex regula assignatur a sacris Canonibus & Doctoribus. Prima est pro linea recta, & est talis: *In hac linea tot sunt gradus, quot sunt personæ, seu quot factæ sunt generationes, dempto stipite*. Hinc filius est in primo gradu respectu patris, quia filius dempto patre primus est in linea, & una facta est generatio.

39. Pro linea transversali æquali hæc datur regula: *In hac linea tot gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus illa una distat a communi stipite, dempto ipso communi stipite*. Hinc frater est in primo gradu parentelæ cum altero fratre, quia frater distat uno gradu a communi stipite, seu a patre.

40. Tertia demum regula pro linea transversali inæquali hæc est: *In hac linea tot gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus illa persona, quæ est a stipite remotior, distat ab eodem stipite, dempto eodem communi stipite*. Ratio est; quia aliter persona remotior a stipite, esset propinquior suo collaterali, quam ipsi stipiti; quod est impossibile. Hinc Antonius filius Cæsaris est in secundo gradu parentelæ cum Berta filia filiæ Cæsaris; quia Berta, quæ est persona remotior a Cæsare stipite, distat duplici gradu ab eodem.

41. Hæc de consanguinitate. Quod vero attinet ad affinitatem, hæc est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens, nulla ex se præsupposita parentela. Ita S. Thomas *in 4. distinct. 11. quæst. unic. art. 1.* Ad cujus definitionis intelligentiam sciendum est, quod sicuti, spectata Latina dictione,

agri,

agri, & vineæ dicuntur affines, quando finis unius agri attingit fines alterius, & est illi conterminus; sic unus homo dicitur alteri affinis, quando parentela unius per copulam carnalem attingit parentelam alterius, ita ut quodammodo evadant conterminæ, & confines inter se duæ parentelæ: cum hoc tamen notatu, quod illi duo, nempe mas, & fœmina, per quorum copulam duæ distinctæ parentelæ attinguntur, non dicantur inter se affines, sed stipes, seu principium affinitatis: sicuti ille ultimus palmus terræ, per quem unus ager conjungitur immediate alteri agro, non dicitur propinquus, sed contiguus alteri agro, ex qua contiguitate resultat deinde propinquitas agrorum.

42. Rursus sciendum, quod copula illa, ex qua oritur affinitas, non est quælibet copula, sed est copula habens qualitates tales, ut de se apta sit generationi: nam tota ratio, cur ex copula oriatur affinitas, est, quia vir, & fœmina fiunt una caro, & sic consanguinei unius fiunt affines consanguineis alterius: quod non contingeret per copulam non habentem qualitates aptas de se generationi. Non est autem necessarium, ut talis copula sit licita, & maritalis: nam non solum ex jure Ecclesiastico, sed etiam ex jure naturali, per copulam illicitam oritur affinitas; ut constat ex Tridentino *sess.* 24. & ex ratione, quia etiam per copulam illicitam, de se aptam generationi, vir, & fœmina fiunt una caro.

43. Porro quamvis *in l. Non facile ff. de grad. & affinib.* nulli sint gradus affinitatis, tamen recte explicat Glossa, quod nulli sunt, proprie loquendo; siquidem gradus proprie sunt relate ad cognationem: quare improprie, seu minus proprie loquendo, dicuntur gradus etiam respectu affinitatis: ad quos cognoscendos hæc assignatur regula: *Quoto gradu consanguinitatis est quis conjunctus, vel distat ab uno ex illis, qui copulam inter se habuerunt, eodem gradu affinitatis est propinquus, vel distat ab altero ex illis, qui copulam inter se habuerunt*. Quapropter, si Titius & Berta ex. gr. habeant inter se copulam, filius Titii erit affinis Bertæ in primo gradu, quia ipse in primo gradu consanguinitatis distat a Titio.

RESOLUTIO
Duplicis Quæstionis.

44. DUplex quæstio circa duo impedimenta, notatu digna est a Vicario Generali. Prima quidem circa impedimentum publicæ honestatis, an tribunal Ecclesiasticum juste compellere possit illum, qui matrimonium invalidum contraxit cum sorore suæ sponsæ, ad matrimonium cum ipsa priori sponsa ineundum? ℞. posse, quando matrimonium non fuerit consummatum, tunc enim adesset etiam impedimentum affinitatis. Ratio responsionis est; quia ex illo matrimonio non consummato cum sorore suæ sponsæ, & invalido propter impedimentum publicæ honestatis, non oritur reciproce impedimentum publicæ honestatis cum priore sponsa, in præjudicium ejusdem sponsæ, cum qua prius contracta erant sponsalia; nam hoc impedimentum, ut Auctores loquuntur, non agit retro: unde, quamvis sponsus per matrimonium initum cum sorore spon-

sponsæ contraxerit impedimentum publicæ honestatis, vi cujus arcendus est a matrimonio contrahendo cum cæteris sponsæ prioris consanguineis, usque ad quartum gradum, non tamen contraxit impedimentum publicæ honestatis, quominus possit contrahere cum priori sponsa, in præjudicium priorum sponsalium. Ita enim expresse decrevit Bonifacius VIII. *Cap. unic. de sponsalib. in 6.* ubi sic: *Ex sponsalibus puris & certis .... oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum impedimentum justitiæ publicæ honestatis. Quare ille, qui sponsalia pure ac determinate cum aliqua muliere contraxerit, & postmodum cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum sponsalium vigore (quibus per publicæ honestatis justitiam ex secundis sponsalibus subsecutam minime derogatur) ad matrimonium contrahendum cum prima manet obligatus.* Hactenus Bonifacius VIII. Quare tribunal Ecclesiasticum poterit compellere hunc sponsum ad contrahendum cum priori sponsa, compellere (inquam) modo supradicto.

45. Altera quæstio est circa defectum præsentiæ Parochi: videlicet, utrum valeat matrimonium, quando adest quidem cum testibus Parochus in actu celebrationis matrimonii, videt aliquo modo contrahentes, sed ipsos specifice, & in individuo non cognoscit; ita ut progressu temporis nequeat testari: hic est, qui contraxit cum hac individua fœmina: hæc est, quæ contraxit cum hoc individuo viro? ℞. Quæstio hæc fuit acriter agitata nuperis temporibus, & præcipue in una *Carthaginen. de anno* 1752. atque in una *Ferrarien. de anno* 1762. Quamvis vero a Sacra Concilii Congregatione punctum hoc juris nunquam fuerit directe & formaliter decisum; tamen semper ex alio motivo validum pronunciatum est matrimonium illud, cui opponebatur, & de facto aderat defectus talis individualis cognitionis. Equidem semper ipse steti in ea sententia, quæ docet, cognitionem hanc specificam, & in individuo, personarum contrahentium, non requiri ad valorem matrimonii: id quod mihi persuasum est tum ab auctoritate, tum a ratione.

46. Et primo quidem ab auctoritate: nam Sanchez *de Matrimonio lib. 2. disp. 11. num. 23.* sic ait: *Tridentinum solum irritat matrimonium, quando ipsimet contractus non celebratur coram Parocho, & testibus*, non vero quando alia deficiunt necessaria ad probationem; *alias decretum maxime correctorium, extendendum valde esset*. Tunc autem intelligitur contractum matrimonii celebrari coram Parocho, & testibus, quando ita fiat coram ipsis, ut ipsi percipiant quid agatur. Ita ex Lessio *in Auctar. v. Matrimonium cas.* 15.

47. Raynaudus *tom. 2. Heteroclitorum pag. mihi* 184. refert matrimonium quoddam initum coram Parocho, cui contrahentes erant plane incogniti, & testes quoque erant inter se vicissim, & cum contrahentibus, & Parocho æque ignoti, & quidem in tenebris de nocte tale matrimonium fuisse initum, ita ut contrahentes identifice & in individuo nequaquam cognosci possent; refert (inquam) id factum, quod vocat mysterium iniquitatis, sed tamen vocat matrimonium substantialiter verum, quia supponitur adesse materia, & forma debita, nec deesse legitimum Sacerdotem, & testium numerum

rum in jure præscriptum. Quare ex sententia hujus Auctoris ad valorem matrimonii non est requisita identifica & individualis cognitio contrahentium respectu Parochi, ac testium.

48. Bordonus *tom. unic. var. consil. centur. unic. consil.* 12. docet, non obstare valori matrimonii, quod Parochus dicat, *se contrahentes non agnovisse, imo nec mulierem potuisse cognoscere, quia faciem coopertam tenebat; sufficit enim, quod intelligat: ejus enim formalis, & intellectualis præsentia refertur solum ad cognitionem facti, non personarum.*

49. Vir clarissimus, & ex officio matrimonii defensor, Cosmus Mathias Constantinus *tom. 4. vot.* 526. solide ac docte scribens in celebri causa *Carthaginen.* probat, Concilium Tridentinum requisivisse pro forma præsentiam Parochi, & testium, non tamen cognitionem contrahentium, ductus ex fundamento plurium resolutionum Sac. Congregationis Concilii huc spectantium, & ex eo quod matrimonium contrahi potest per procuratorem, non exhibito mandato, & per epistolam, quamvis Parochus epistolam non videat, ut de utroque casu firmat cum aliis Giribaldus *de Sacramento Matrimonii tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 54. & 55.

50. Deinde id mihi persuasum est ex ratione: nam toties matrimonium validum est, quoties adest debita materia, & forma, cum morali præsentia Parochi, & duorum testium: sed in casu, quo duo a jure habiles contrahant coram Parocho, & duobus testibus, non solum corpore, sed etiam animo præsentibus, nempe intelligentibus quid agatur, etiamsi tales contrahentes non cognoscantur identifice & in individuo a Parocho, & testibus, adhuc verificatur, quod adsit debita materia, & forma, cum præsentia morali Parochi, & testium: ergo &c.

51. Restat probanda minor propositio, cujus probatio in promptu est: nam præsentia moralis Parochi, requisita a Tridentino, non stat in eo quod Parochus identifice & individualiter cognoscat, sed in eo quod intelligat contrahi matrimonium, ita ut sit capax testandi de matrimonio contracto: non vero requiritur, quod sit capax testandi de matrimonio contracto inter hunc identifice virum, & hanc identifice fœminam; etenim ejusmodi attestatio est quidem finis intentus a decreto irritante Tridentini, non est autem id quod cadit sub tale decretum irritans. Ratio est; tum quia, ut ajebat Sanchez, aliter decretum maxime correctorium, esset valde extendendum, ad omnia nempe, quæ pertinent ad probationem; tum quia finis legis non cadit sub legem. Audiatur S. Thomas 1. 2. *quæstion.* 100. *art.* 9. *ad* 2. ibi: *Dicendum, quod intentio legislatoris est de duobus: de uno quidem, ad quod intendit per præceptum legis inducere, & hoc est virtus: aliud autem est, de quo intendit præceptum ferre, & hoc est, quod ducit, vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis: non enim idem est finis præcepti, & id de quo præceptum datur.* Hactenus S. Thomas: juxta cujus doctrinam, intentio Tridentini præcipientis de forma præsentiam moralem Parochi, ac testium, est de duobus: de uno quidem, ad quod intendit inducere, & hoc est idoneitas, & habilitas Parochi, ac testium, testandi, inter hunc individuum virum, & hanc individuam fœmi-

fœminam fuisse contractum matrimonium: aliud est, de quo intendit præceptum irritans ferre, & hoc est quod ducit, vel disponit ad eam idoneitatem, nempe præsentia moralis, qua Parochus, ac testes intelligant, seu advertant consensum inter duas personas sibi præsentes; hæc enim præsentia de se ducit, vel disponit ad eam idoneitatem. Quare decretum irritans Tridentini fertur quidem de præsentia morali Parochi, qua ipse possit testari, matrimonium fuisse contractum per verba de præsenti, non vero fertur de tali præsentia, qua Parochus sit capax testandi, fuisse contractum inter hunc identifice virum, & hanc identifice fœminam, quamvis præcipiendo præsentiam moralem de forma, intendat, seu habeat pro fine hanc attestationem, seu hanc specialem præsentiam, utpote quæ necessaria est ad probationem.

52. Nec quisquam opponat, quod Tridentinum intendens probationem matrimonii contracti inter hunc individuum virum, & hanc individuam fœminam, inutiliter præciperet de forma solam præsentiam moralem, qua Parochus, ac testes intelligant &c. siquidem non semper haberetur finis intentus per hanc solam præsentiam: non (inquam) id quisquam opponat; nam semper haberetur illud, quod est ad finem, seu quod ducit ac disponit ad finem, & per consequens utiliter de forma præcipitur præsentia Parochi, ac testium: ea ferme ratione, qua utiliter ab Ecclesia præcipitur in die festo abstinentia ab operibus servilibus ad finem dandi cultum Deo; siquidem talis abstinentia est medium de se utile ad talem finem, licet non semper habeat ea omnia, quæ sunt proxime necessaria ad talem finem.

53. Nec refert, quod præsentia moralis testium in aliis contractibus, puta in testamentis, includat cognitionem identificam agentium, puta testatoris: non refert id (inquam); nam, ut optime observat Diana coordinatus *tom. 2. tract. 6. resol. 90. cum matrimonii contractus sit cæteris favorabilior, non quæcumque cæterorum contractuum valorem impediunt, matrimonii impediunt valorem, nisi jure exprimatur de ipso matrimonio*. Hæc ille. Nullo autem jure exprimitur de ipso matrimonio, quod præsentia moralis Parochi, ac testium, includat in se cognitionem identificam agentium, & quod defectus talis cognitionis impediat valorem matrimonii. Consequenter &c.

54. Ex his, quantum ipse assequor, soluta manent, quæ ex qualitate testis, quam habet Parochus, deducunt docti cæteroquin viri contra hanc meam opinionem. Ad alia nunc procedamus.

55. Hærebit aliquando Vicarius Generalis, nesciens, quid factu opus sit, quando, contracto in facie Ecclesiæ, & bona fide matrimonio, deinde unus ex sponsis ipsum adit, dicens, se in suo matrimonio putativo deprehendisse impedimentum dirimens. In hoc autem casu noverit Vicarius, ex recentiori Canonica P. Adami Huth, hunc talem nequaquam posse propria auctoritate divertere, aut etiam alteri nubere, ut constat *ex Cap. Porro, de divortiis*: ibi enim Pontifex sub excommunicatione quemdam Comitem adigit, ut uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem dimiserat, iterum recipiat, ex eo *quod, si etiam parentela publica esset, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit. Quare ipsum ad eam recipiendam districte compellas*:

las : quam si recipere noluerit , eum , & supradictam (aliam nempe uxorem) *vinculo excommunicationis adstringas* . Hactenus Pontifex . Noverit etiam idem Vicarius , quod , si impedimentum , seu nullitas matrimonii non fuerit notoria , aut probationes incontinenti non fuerint allatæ , compellendus est ille talis ad redeundum etiam ad thori consortium per juris media , etiam per censuras . Id enim statuitur *in Cap. Litteras , de restit. spoliat.* ubi ratio redditur : *quia præsumitur contra eam , quæ sine judicio Ecclesiæ sua tantum temeritate recessit* . Quid vero ille talis , jussus redire , possit , vel debeat in foro conscientiæ facere , habetur *in cit. Cap. de restit. spoliat.* ibi : *Propterea melius videtur , quod , cum opponitur consanguinitas (præsertim in gradibus Divina lege prohibitis) , & probationes offeruntur incontinenti paratæ , in cæteris adjudicanda sit restitutio : sed ad majorem cautelam juramento recepto , quod talis objectio malitiose non fiat , sola quo ad commixtionem carnalem (maxime si fama consentit) est restitutio differenda , donec, auditis probationibus & discussis , causa sine diffugio terminetur ; cum utrique sit melius taliter expediri , quam sic manere taliter impeditos . Quod si non habeat probationes incontinenti paratas , sed dilationes expectat longiores (quia præsumitur* , ut supra) , *ad restitutionem plenariam Ecclesiastica debet censura compelli ; quam tamen ipsa thori negando consortium , debet humiliter tolerare , donec probationes offerat præparatas* . Hactenus *in cit. Cap.* Quare qui dicit , se deprehendisse impedimentum , redire quidem debet , ad mandatum Vicarii , si absit periculum incontinentiæ , ad suam habitationem ; neque petere tamen , neque reddere potest debitum , etiamsi impedimentum probare nequeat , & propterea forsan a Judice Ecclesiastico , seu Vicario , per censuras compellatur ad reddendum debitum , ut constat *ex cit. Cap.* in quo & sequens allegatur ratio : *quoniam omne , quod non est ex Fide , peccatum est , & quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam* : & concordat *Cap. Inquisitioni tuæ , de sent. excommunicat.* ibi : *Debet potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale* .

56. Hæc noverit in casu Vicarius Generalis , & deinde non procedat ad dissolutionem quo ad vinculum matrimonii contracti in facie Ecclesiæ , nisi plenam & perfectam habuerit probationem de impedimento dirimente ; quæ probatio regulariter fit per duos testes omni exceptione majores , arg. *Cap. 1. de cons. & aff.* Procedet tamen ad dissolutionem quo ad vinculum , si de eo impedimento notorie constet , etiam nemine accusante , per *Cap. Porro , de divortiis* . Imo , etsi de impedimento notorie non constet , existat tamen fama de illo , inquiret Vicarius , & quemcumque compellet ad testimonium de illo deponendum . Quod si post auditos testes , aliasque vias investigatas , maneat dubium , an impedimentum subsit , necne ? tunc sententiam ferat pro valore matrimonii : quæ sententia obligabit , secundum dicta , solum pro foro externo , non vero , dum aliter parti constat , pro foro interno .

57. Cæterum , si impedimentum , de quo agitur , fuerit dispensabile vel a Papa , vel ab Episcopo , expediens erit , ut dispensatio petatur etiam in dubio ,

bio, saltem ad cautelam; & sic consulendum parti. Hucusque de causis matrimonialibus. Pauca quædam nunc subdam de judiciis.

NOT. II.

Quo ad acceptionem personarum in judiciis.

58. Noverit Vicarius Generalis, certissimum esse, ut notat Sanchez *in conf. lib. 2. cap. 1. dub. 41.* in judiciis committi posse acceptionem personarum: habetur quippe *Proverb. cap. 18. Accipere personam in judicio, non est bonum.* Ad dignoscendum vero, quandonam in judicio committatur acceptio personarum, notandum est, alia esse determinate posita in jure, ut observentur a judicibus, puta, quod suscipiantur testes, quod fiant informationes &c. alia esse quæ in jure relinquuntur judicis arbitrio. Jam vero, si judex ex causa ad rem non pertinente, verbi gratia ex amicitia alterius partis, aut ex precibus, aut ex pretio relinquat ea, quæ in ipso jure posita sunt ut observentur a judice, committitur acceptio personarum. Si vero relinquat ea, quæ in jure posita sunt arbitrio judicis, distinguendum est: nam ea quæ sunt in arbitrio judicis, sunt in duplici differentia. Alia sunt illi concessa in ipsius favorem, puta, quod possit non audire causas in die festo &c. Et in his non habet locum acceptio personarum; sed habet judex plenam potestatem, & potest, secluso scandalo, audire causas amici in die festo, & non alterius. Patet hoc; quia hæc sunt mere gratuita, & in gratuitis non habet locum acceptio personarum. Alia vero relinquuntur arbitrio judicis, non in favorem ipsius, sed in favorem ipsarum causarum, puta, quod judex coarctet, vel ampliet terminos probationum &c. Et in his committitur acceptio personarum, puta, si judex tantum propter amicitiam proroget terminum alicui, & alteri id neget: quia hæc non sunt gratuita, nec committuntur liberæ voluntati judicis, sed ejus arbitrio prudentiali. Quare caveat Vicarius Generalis, ne in judicando quidpiam tale admittat, & præter peccatum incurrat non raro obligationem resarciendi damnum, quod parti forte obvenerit injuste.

59. Notat autem idem Sanchez *loc. cit.* committi etiam acceptionem personarum, si judex definiat causam aliquam posteriorem, priusquam definiat antiquiorem, quando justa causa id non exigat: item si dispenset cum uno, & non cum altero, vel relaxet pœnam uni, & non alteri, nulla existente causa disparitatis. Addit vero vir clarissimus Doctor Davalos *in Directorio Judicis Ecclesiastici part. 2. cap. 7.* favendum quidem esse orphanis, & pauperibus, sed eatenus, quatenus aliis injuriam non faciamus, *ex Cap. Ex tenore, de for. comp.* ubi omnes scribentes id notant.

Quo ad munerum acceptionem in judiciis.

60. Docent communiter Doctores apud Mazzottam *tom. 3. disp. 4. quæst. unic.* quod quamvis judex acceptare possit leviora munuscula, in quibus scilicet non est periculum corruptionis judicii, quæque ex urbanitate offeruntur, nec nisi inurbane recusari possunt, ut constat *ex Cap. Statutum, de resc. in 6.* ubi

ubi permittitur exculentum, vel poculentum, quod intra paucos dies proximos consumi potest; tamen; jure tum Canonico, tum Civili, tum naturali, ut notant Card. de Lugo, & alii, illicitum omnino est acceptare munera in ea quantitate, quæ de se apta est, & utplurimum inducit corruptionem judicii: ideoque peccat tum qui ea dat, sive sit ipsa pars litigans, sive alius pro ipsa, tum judex acceptans, etsi sibi persuadeat, se non ideo corrumpendum, cum saltem ex motivo gratitudinis illa reddant animum propensum danti, & inadvertenter trahant ad partialitatem, ut docet cit. de Lugo *n.* 131. Quare habendum est præ oculis illud *Exod. cap.* 23. *Munera excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*: & proinde judex, præsertim Ecclesiasticus, ab his accipiendis cavere debet. Dixi, præsertim Ecclesiasticus: etenim in illum, si fuerit delegatus Apostolicus, vel delegatus Ordinariorum, injungitur a jure Canonico restitutio integra, nulla ei remissione profutura, ut videre est apud Thesaurum *v. Munera cap.* 6.

Quo ad irrogandas pœnas in judiciis.

61. Exscribam ferme quæ in suo Directorio habet Doctor Davalos *p.* 2. *cap.* 10. ibi: *Omnes Præsules, & cæteros Ecclesiæ Judices pervigiles esse oportet &c. ut pœnæ pecuniariæ a foro Ecclesiastico penitus extirpentur. Nam iniquum quidem reputatur crimina pecunia redimere: & ita cavendum diligentissime censet Concilium Coloniense tit. de jurisd. Eccl. conten. cap.* 8. *& textus in Cap. Irrefragabili §. ult. de officio Ordinarii.* Quia tamen sunt alii textus in contrarium, qui videntur permittere contra delinquentes pœnas pecuniarias, eos interpretatur Panormitanus cum Covarr. *lib.* 2. *cap.* 9. ut procedant, quando, & ubi hæc pœna magis formidatur.

62. Verum citatus Doctor Davalos putat, eos textus procedere, & habere locum in foro Ecclesiastico, quando delicta habent tractum non permanentem, vel successivum, puta, quando delinquens non est assuetus delinquere, sed casu, vel semel tantum deliquit: secus autem in delictis perseverantiam, vel tractum successivum habentibus, veluti in concubinatu, vel quando quis in quolibet alio delicto delinquendi consuetudinem habet; quia tunc judex, non pecuniariis pœnis, sed corporalibus uti debet: siquidem geminans delictum non habet sperare veniam, ut docet Baldus in *l.* 3. *C. de Episc. audien.* Pœnarum vero qualitas irroganda hæc est.

63. Regulariter a pœna juris recedendum non est, quia facti quæstio in arbitrio est judicantis, pœnæ vero prosecutio legis auctoritati reservatur. Legis autem pœna deficiente, consuetudinarias pœnas judex subsequi adstringitur. Rursus, consuetudinaria pœna deficiente, de similibus ad similia procedendum erit. Postremo autem, supradictis pœnis deficientibus, & quæ jure scripto taxatæ non sunt, judicis arbitrio relinquitur, ut æquitate pensata procedat, juxta textum *in Cap. final. de transactionibus*. Ita ferme, immutatis dumtaxat aliquibus verbis, vel omissis, habet citatus Auctor Davalos.

64. Quamvis vero pœnas spirituales, idest excommunicationes, aliasque censuras possit Vicarius Generalis decernere, etiam sine speciali mandato, ut

supra diximus, & quidem etiam illas, quæ ad finem revelationis statuuntur, ut docent apud Leurenium Pirhing, Layman, Garcias, & Zerola *in Praxi v. Vicarius* §. 17. nihilominus præ oculis semper illud habeat, quod præscribit Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* scilicet, ut id faciat sobrie, magnaque adhibita circumspectione. Quare caveat, ne excommunicationem ferat sine justa, & sufficienti causa, aut sine jurisdictione in exemptos, aut cum jurisdictione impedita per censuram, aut cum jurisdictione suspensa per legitimam appellationem.

Quo ad exequendum mandatum Præsulis, & qualiter Vicarius obedire debeat.

65. Notat idem Doctor Davalos *cap.* 5. *sui Directorii* id, quod plerumque judicantes in gehennam perducere solet, videlicet obediendi facilitatem forte injustis aliquando Præsulum mandatis; quia, cum ab eis promoveantur, & ad eorum libitum etiam amoveri queant, injusta quæque aliquando adimplere non recusant.

66. Propterea ex cit. Auctore sciant, ac teneant Vicarii, quod, quamvis de jure naturali, & Divino, Prælatis, & superioribus obediendum sit sub peccati reatu, ut constat *Proverb. c.* 8. *& Cap.* 2. *de major. & obed.* verumtamen potius obediendum est Deo, quam alteri cuicumque injusta jubenti; & quod melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium, *ex Can. Nemo perit* 11. *q.* 3. Quare, ubi videant Vicarii aliquid illicitum sibi præcipi, libere dicant, id non licere.

67. Sciant tamen, ac teneant, in dubio justum præsumi præceptum superioris, *Cap. Ex tenore, de sent. excom.* ut ibi notant Doctores. Quare &c. Limites, nisi veritas præsumptionem elidat; veritati enim cedit præsumptio. Hæc breviter admonuisse sufficiat.

68. Dubitabis, an Judex Ecclesiasticus propendere potius debeat in benignitatem, quam in rigorem? ℞. afferendo id quod habet S. Ambrosius *Tract. in Psal.* 118. ubi postquam præmisisset ipsum etiam *Timorem Domini*, *nisi secundum scientiam sit*, *nihil prodesse*, *imo obesse plurimum*; paucis interjectis, *sunt etiam in nobis*, inquit, *qui habent timorem Dei*, *sed non secundum scientiam*, *statuentes duriora præcepta*, *quæ non possit humana conditio sustinere*. *Timor in eo est*, *quia videntur sibi consulere disciplinæ*, *opus virtutis exigere*: *sed inscitia in eo est*, *quia non compatiuntur naturæ*, *non æstimant possibilitatem*. Hactenus S. Ambrosius, quem non dedignetur magistrum Judex Ecclesiasticus.

§. IV.

De nonnullis pertinentibus ad rem beneficialem.

69. QUæres 1. quænam debeat Vicarius animadvertere in executione litterarum Apostolicarum Beneficia conferentium? ℞. ex Castropal. *disp.* 2. *de Benefic. p.* 31. debere animadvertere, & explorare, an orator expres-

expresserit in supplicatione conditiones omnes necessario exprimendas; quia, iis non expressis, impetratio subreptitia censetur.

70. Quæres 2. quænam potissimum sint hæ conditiones? ℞. dando ex iis præcipuas. I. nempe est ratione personæ impetrantis. II. est ratione qualitatis Beneficii, quod impetratur. III. ratione juris, quod in Beneficio impetrando alteri competit. Et quidem ex parte personæ impetrantis licet in supplicatione non sit facienda expressa mentio de ætate, de Clericatu, de idoneitate, tamen cum hæc de jure requirantur, debet diligenter advertere Vicarius, utrum ista insint, necne. Debet tamen in supplicatione narratum esse, an supplicans præhabeat aliud Beneficium, etiamsi tenue illud sit, item an præhabeat Dignitatem aliquam; quæ si narrata non fuerint, non valent litteræ beneficiales obtentæ, ut constat *ex Cap. Ad aures h. t.* aliisque juribus. Ex parte Beneficii impetrati narratum esse debet in supplicatione, aliter vitiatur gratia, narratum, inquam, esse debet, cujus qualitatis sit Beneficium, videlicet an sit Beneficium Curatum, an sit Beneficium juris patronatus, an sit Beneficium existens in Cathedrali: narratum etiam esse debet, cujus, & quanti valoris sit tale Beneficium, aliter gratia pariter vitiabitur; sic enim statuitur *in regulis Cancellariæ*: pariter narratum esse debet, an Beneficium habeat affectionem, & an habeat obligationem residentiæ, vel omnimode simplex sit. Quare sit cautus Vicarius in ejusmodi inspectionibus, priusquam exequatur litteras Apostolicas. Ex tertio capite meminerit Vicarius animadvertere, utrum omissa fuerit mentio aliqua necessaria ratione juris in Beneficio, puta, utrum supplicans omiserit exprimere, quod alter jus aliquod habeat in Beneficio sive per collationem, sive per electionem, sive per nominationem, aut præsentationem, quamvis adhuc illud Beneficium non acceptaverit; item utrum omiserit exprimere, quod alter habeat coloratam possessionem talis Beneficii; item an litigiosum sit tale Beneficium, & adhuc lis sub Judice sit. Verum hæc, & alia supradicta, notat Castropalaus cum Menochio, exprimenda esse, quando Beneficium impetratur a Pontifice, non vero quando impetratur ab Ordinario, qui certioratus supponitur de personis, de qualitate Beneficiorum, & de jure hujus, vel alterius Beneficii existentis in sua diœcesi.

71. Quæres 3. quæ conditiones servandæ sint in provisione Beneficiorum? ℞. hæc servanda esse: ut provisio fiat gratis, pura, libere, palam, certo, & absque ulla diminutione, & in perpetuum. Quod si Beneficium fuerit Parochiale, requiritur hæc præcipua conditio, ut fiat præhabito concursu, juxta normam Tridentini, dummodo tale Beneficium Parochiale non fuerit juris patronatus laici; tunc enim non præhabendus est concursus, sed proponatur edictum, & ille quem patronus præsentaverit, examinetur collegialiter ab Examinatoribus Synodalibus saltem tribus, & nisi idoneus præsentatus fuerit repertus, nullo modo ei Beneficium conferatur.

72. Quæres 4. a quonam constituendus sit Vicarius in Beneficio Parochiali vacante? ℞. constituendum esse ab Ordinario loci, in quo situm est Beneficium: & ita constituendus est, ut id fiat, cum primum Ecclesia Parochialis vacaverit: 2. item assignata congrua portione eidem Vicario: 3. constituto jam

Vica-

Vicario, proponendum est edictum, quo omnes Clerici volentes ad examen venire, vocentur, signato termino decem dierum a publicatione edicti: quem terminum, postquam ipse expiraverit, non est licitum prorogare, si de facto plures subscripti fuerint examinandi; secus e contra.

73. Quæres 5. an Episcopus licite, & valide possit committere Vicario Generali potestatem conferendi Beneficia vacatura, sive vacent per obitum, sive ex causa resignationis, vel alia quacumque? ℞. ex Castropalao affirmative. Ratio est 1. quia ex concessione talis potestatis non infertur, magis aperiri viam ad Beneficia vacatura conferenda contra Lateranense Concilium, quam ex potestate ipsius Episcopi: 2. quia Vicarius Generalis constituit idem tribunal cum Episcopo: 3. quia Vicarius Generalis est persona qualificata. Secus autem dicendum est de quavis alia persona particulari, quia tanta est excellentia hujus potestatis, ut non videatur posse alteri committi, quam personæ qualificatæ.

§. V.

De Dignitate Vicarii Generalis.

74. PRimo quæres, an Vicarius Generalis Episcopi sit constitutus in Dignitate Ecclesiastica? ℞. affirmative ex Azorio, Barbosa, Leurenio, aliisque. Nam ipse habet præeminentiam cum jurisdictione conjunctam, & ex eadem provenientem. Dignitas autem consistit in tali præeminentia ita conjuncta, ut bene docet Fagnan. *in Cap. Ad hæc, de præben.* Hinc nonnulli dicunt, Vicarium Generalem esse Prælatum. Alii vero nolunt, eum esse absolute Prælatum. Imo Card. de Luca *Miscell. discur. 1. n.* 21. negat, Vicario Generali congruere nomen Prælati, quia jurisdictio, quam ipse habet, non est nativa, sed dativa. Nihilominus aliqua saltem ratione, & lato quodam modo loquendi, Vicarius Generalis dici potest Prælatus.

75. Quæres 2. an Vicarius Generalis Dignitate præcedat omnes Canonicos Cathedralis, & in specie Archidiaconum? ℞. affirmative, spectato jure communi, & seclusa consuetudine in contrarium. Ratio est; quia præcedit omnes alios Prælatos Episcopo inferiores: siquidem locum tenet Episcopi, facitque cum eo idem tribunal. Ita Sbrozzius *lib.* 2. *q.* 25. citans immensam Auctorum turmam. Hinc ex decreto Congr. Sacr. Rituum Vicarius Generalis tam in Choro, quam extra Chorum, præcedit publice, & privatim omnes Dignitates, & Canonicos, etiam illos, qui in habitu Protonotarii incedunt. Ita quamplures apud Leuren. Notandum tamen, quod si Vicarius sit simul Canonicus, & interveniat Choro ut Canonicus, sedere debet in loco, in quo alias sederet, si Vicarius non esset: &, si Canonicus non sit, non debet Capitulo intervenire, etiam absente Episcopo, juxta dispositionem Tridentini *sess.* 25. *cap.* 6. *de ref.* Prædicta vero Vicarii præcedentia suas habet exceptiones videndas apud Leuren. *quæst.* 63.

76. Quæres 3. an Vicario Generali liber Evangeliorum in Missa osculandum tradi debeat? ℞. negative ex Ventriglia, qui etiam addit, neque item

id

id competere Vicario Apostolico, & ex Barbosa, qui docet, sic rescriptum fuisse a Sacra Congreg. Episcoporum Episcopo Melphitano 28. *Augusti* 1589. Ratio: quia id solum competit Episcopo, & celebranti, ut pariter rescripsit Sacra Congregatio 14. *Aprilis* 1592.

77. Quæres 4. an Vicarius, impedito Episcopo, possit exercere functiones Episcopales? ℟. Vicarium, absente, vel impedito Episcopo, non posse exercere functiones Episcopales, sed id spectare ad primam Dignitatem, & alios successive. Ita Pax Jord. *lib.* 12. *tit.* 1.

78. Quæres 5. quam sedem tenere debeat Vicarius non Canonicus? ℟. Debet sedere in Choro, & in Ecclesia in loco, quem illi consuetudo assignavit, nec debet illum pro libito mutare, ex Pignatell. apud Leuren. *q.* 64. Addo, si Episcopus mandet Vicario interesse Synodo Diœcesanæ (quod expedit mandari, ut notat Bened. XIV. *de Synod. lib.* 3. *cap.* 3.), tunc is sedere debet immediate post Episcopum ante Capitulum, nisi consuetudo det præcedentiam Capitulo, ex eodem *ibidem*.

§. VI.

De expiratione Vicarii Generalis.

79. JUrisdictio Vicarii Generalis expirat, seu finitur multipliciter: I. quidem per propriam renunciationem expressam, vel tacitam: tacita autem renunciatio intelligitur, si ipse Vicarius a diœcesi discedat animo non redeundi, ex Fagnan. *in Cap. Præsentata, de testibus num.* 10. II. expirat per mortem, renunciationem, depositionem, aut translationem Episcopi, cujus Vicarius est; adeo ut tunc extinguatur in Vicario omnis potestas etiam quo ad causas jam cœptas, ex Abb. *in Cap.* 30. *de officio delegati*. Ratio est; quia Episcopi, & Vicarii unum idemque tribunal est: unde vides, Vicarium differre etiam per hoc a Judice delegato; etenim hujus potestas non expirat morte delegantis negotio jam cœpto, *ex Cap.* 19. *&* 20. *de officio delegati*. Si vero Episcopus excommunicatus, suspensus, vel interdictus sit, tunc sicut Episcopi, ita & Vicarii jurisdictio suspenditur quo ad negotia jam cœpta; adeo ut, tali censura durante, omnia ejus acta irrita sint, arg. *Cap.* 2. *de consuet. in* 6. Quod si communiter ignoretur talis suspensio, renunciatio, mors &c. acta interim valebunt, *ex l. Barbarius de off. Prætoris*, Ecclesia, vel republica supplente jurisdictionem propter necessitatem, vel utilitatem publicam.

80. Expirat III. Jurisdictio Vicarii per revocationem factam ab Episcopo constituente, & ipsi legitime intimatam, ex comm. apud Barbosam *Juris Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 15. Dixi, ipsi legitime intimatam; nam, generaliter loquendo, non cessat jurisdictio judicis, donec certior reddatur de revocatione, *ex l. Si forte ff. de off. Præsidis*.

81. Dubitabis tamen 1. an, si Vicarius revocetur sua culpa, seu ob delictum suum depositione dignum, tunc talis revocatio debeat ipsi esse intimata? Respondet Azorius negative *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 45. *q.* 15. ubi dicit, id esse commune. Nihilominus probabiliter quoque, si non melius, & probabilius,


do-

docet Sbrozzius *lib.* 3. *q.* 33. cum Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *num.* 11. in hoc quoque casu necessariam esse intimationem.

82. Dubitabis 2. quænam potissimum sint causæ, ob quas a Vicario auferendus sit Vicariatus? ℞. ex Pignatell. *tom.* 9. *cons.* 162. eas multiplices esse: videlicet si constiterit de mala justitiæ administratione, de abusu censurarum, de extorta pecunia: item si is fuerit simoniacus, & simoniacum fecerit suum Episcopum, si scandalose vixerit, cum potissimum in Vicario Episcopi debeant mores esse inculpabiles.

83. Dubitabis 3. an expiret Vicariatus Generalis Episcopi per promotionem Vicarii ad alium Episcopatum? Resp. negative: sed poterit Vicarius, qui, durante hoc officio suo, creatus, & consecratus est Episcopus, creatione hac, & consecratione non obstantibus, retinere munus Vicarii Generalis interea temporis, dum se præparat, & expectat opportunitatem conferendi se ad suam Ecclesiam. Ratio est; quia nullo jure prohibetur, quominus Episcopus possit esse Vicarius alterius Episcopi. Imo Romæ admodum prudenter, ut observat Card. Petra *ad Const.* 1. *Pauli II. num.* 49. mos introductus est, ut in Vicarium Papæ eligatur Cardinalis, qui sit, vel fiat Episcopus: siquidem ipse munia Pontificalia vice Papæ Urbis Episcopi exercere debet; quamvis pro majori recto gubernio hujus Episcopatus Romani eligatur etiam Episcopus non Cardinalis, uti Vicesgerens Cardinalis Vicarii, qui obeat munera Pontificalia in casu impedimenti Cardinalis Vicarii. Porro nihil hic dicere visum est de Card. Vicario Urbis; sed videri possunt tum Card. Petra *tom.* 5. *pag.* 196. plura de eo referens, tum Card. de Luca *in Relat. Curiæ disc.* 4.

FINIS TERTIÆ PARTIS.



DE

DE VICARIO CAPITULARI

PARS QUARTA.

§. I.

Quis sit, a quo, & quando eligendus sit Vicarius Capitularis.



1. UBI primum jurisdictio Episcopalis devoluta fuerit ad Capitulum sive per mortem, sive per renunciationem, sive per translationem &c. Episcopi, tenetur Capitulum intra octo dies a die notæ vacationis eligere novum Vicarium, vel confirmare illum, qui sede plena fuit. Nam licet olim posset Capitulum toto tempore vacationis devolutam ad se jurisdictionem Episcopalem per se ipsum exercere; nihilominus hodie post Tridentinum *sess.24. cap. 16. de ref.* sancita est dispositio, quam diximus: & proinde tam Vicarius ille, qui de novo fuerit electus, quam alter, qui forte fuerit confirmatus, dicitur, & est Vicarius Capitularis, de quo nunc est sermo.

2. Notes tamen, quod intra illos octo dies non arctatur Capitulum ad Vicarium constituendum, vel confirmandum, sed potest successive intra eos octo dies expectare, & per se ipsum Episcopalem jurisdictionem exercere, ut cum Fagnano, Garcia, aliisque observat Layman *ad Cap. Romana, de officio Vic. in 6.* unde ad libitum Capituli est, tempus octidui restringere, dummodo non in fraudem; vel totum illud impendere, non tamen prorogare. Quod si intra tale temporis spatium Capitulum non constituerit, vel non confirmaverit Vicarium, electio tunc devolvitur ad Metropolitanum; vel, si Ecclesia fuerit aut Metropolitana, aut exempta, devolvitur ad antiquiorem ex Suffraganeis, vel ad propinquiorem Episcopum respective. Limites, nisi re integra præveniat Capitulum, moram purget, & Vicarium constituat, ex Garcia *part. 5. cap. 7. n. 7.* aliisque.

3. Currit vero tempus octidui a die notæ vacationis, seu a die scientiæ de vacatione, quæ quidem scientia debet esse certa, & non sufficit præsumpta, ut cum Diana docet Leurenius. Hinc, quando agitur de vacatione per translationem, duo meminisse oportet. Alterum est, tempus octidui currere a die, quo innotuit Capitulo, Episcopum fuisse per Papam in Consistorio absolutum a vinculo prioris Ecclesiæ, etiam necdum capta possessione alterius Ecclesiæ, imo nec litteris expeditis, ex Diana *part. 8. tract. 4. resol. 55.* Alterum est, notitiam certam de tali absolutione inesse Capitulo censeri, quando id innotuerit etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii; tunc enim illico abstinere debet Episcopus ab exercitio suæ ordinariæ jurisdictionis, eaque transit in Capitulum. Hæc duo olim ignorans quidam Episcopus, graviter erravit. Finitur autem cursus talis temporis, finito ultimo termini die, qui non computatur in termino.

§. II.

Quomodo facienda sit electio Vicarii a Capitulo.

4. IN electione Vicarii non requiritur, ut Capitulum servet formam statutam *in Cap. Quia propter, de elect.* aut in decreto Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regular. cap.* 6. quia tales leges non loquuntur de hac electione, ut docent communiter Doctores apud Dianam, & Leurenium: ideoque non est necessarium, ut talis electio fiat per vota secreta; requiritur tamen, & sufficit pluralitas votorum: unde, si duo fuerint electi, & unus habeat majorem partem votorum, is remanere debet, dummodo major pars votorum non computetur respectu aliorum, qui minora vota habuerunt, sed respectu totius Capituli, ex Ventriglia apud Leurenium *q.* 551.

5. Notat Pignatellus *tom.* 1. *consult.* 23. *num.* 7. quod, si aliquis propter non habitam pluralitatem votorum fuerit nulliter electus, non possit hæc electio revalidari per subscriptionem litterarum patentium factam a majori parte Canonicorum. Ratio est; quia vota debent dari collegialiter, & in Capitulo, ita ut non sufficiat consensus postea datus uti a singulis.

6. Porro illud tenendum est ex eodem Pignatello *tom.* 6. *consult.* 92. vitiari electionem, & reddi nullam, si quis idoneus rejiciatur a numero concurrentium, & eligendorum; nam rejectio idonei habet vim voluntariæ coarctationis ad certum numerum eligendorum, quæ non permittitur electoribus in præjudicium aliorum; &, si quis repellatur, ex hoc ipso electio dicitur restricta, & coarctata.

§. III.

Quis, & qualis eligi debeat in Vicarium a Capitulo.

7. COntendit Novarius, ut eligendus a Capitulo debeat esse in Sacris constitutus: idque probat; quia, licet Tridentinum hanc qualitatem non petat, tamen Clemens VIII. datis litteris hoc expresse jussit. Sed Novarius, ut observat Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *cap.* 7. *dub.* 18. illarum litterarum nullum testimonium authenticum affert: & quamvis dictæ litteræ reperirentur, ut docet Diana *resol.* 59. nihilominus hodie non obligarent, quia continent præceptum personale, latum scilicet ab homine, quod morte præcipientis expiravit. Item nec de necessitate est, ut ille eligatur, qui sit de gremio Capituli, quamvis, si adesset ex eo gremio idoneus, hic esset cæteris paribus præferendus, ut censuit Sacra Concilii Congregatio, teste Marcello Vulpe *in praxi Fori Ecclesiastici cap.* 44.

8. Cæterum de necessitate Vicarius Capituli debet eligi Doctor, aut Licentiatus (intellige, quando haberi potest); alias electio erit nulla, & devolvetur ad Metropolitanum, ex textu Tridentini, & ibi DD. apud Pignatellum.

9. Dixi, alias electio erit nulla, quod non inficior controversum esse: non desunt enim, qui nullitatem hanc negent, & putent, per textum Conciliarem relinqui in arbitrio Capituli eligere Doctorem, vel alium cæteroquin idoneum, nec obstare declarationes Cardinalium, quæ allegantur in contrarium; ajunt quippe, intelligendas eas esse, vel ubi non sit consuetudo, qua-

lem

lem esse in Limano Archiepiscopatu docet Solorzanus *de Indiarum Jure tom.2. lib.3. cap.13.* vel ubi fuerint eæ declarationes publicatæ, receptæ, & practicatæ. Sunt etiam qui nolint hanc nullitatem, si, loco eligendi Doctorem in Jure canonico, eligatur Doctor in Theologia, ut inter alios docet, & contendit mordicus Riccius *p.4. decis.305.* apud Dianam. Nihilominus Leurenius *quæst.557.* pensatis utriusque partis rationibus, putat, irritam fore electionem, si electus fuerit Doctor in Theologia, non vero Doctor in Jure Canonico (intellige, dum Doctor Canonum haberi possit); & citat Barbosam, qui testatur, sic resolutum fuisse a Sacra Concilii Congregatione 28. *Augusti* 1621.

10. Illud porro extra controversiam est, quod, sive eligatur Doctor in Jure canonico, sive in Theologia, is promotus esse debeat in publica Universitate, & non sufficiat, si obtentus fuerit Doctoratus ex privilegio ab aliqua privata persona, ut cum aliis docet Pignatellus *tom.8. consul.34.* Standum vero est receptæ ac præscriptæ praxi aliquorum Capitulorum, prout videtur insinuare Garcias *p.2. cap.7. a num.14.*

11. Dubitabis 1. an possit in Vicarium eligi a Capitulo Parochus actualis? ℞. interrogatam de hoc olim fuisse Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, ut testatur Barbosa *in tract. de Canonicis cap.42. n.37.* & Sacram Congregationem respondisse, posse quidem eligi Canonicum Parochum, qui Parochialem curam gerat in civitate, & in eadem Cathedrali Ecclesia; licet in necessitate, juxta declarationem Congregationis Concilii *in Melevitana 13. Julii* 1669. dicatur, electionem Vicarii Capitularis factam in persona Parochi sustineri, non obstante, quod tribunal Episcopale per sex, & ultra milliaria distaret a Parochiali, dum illam per Vicecuratum administraret: non vero posse eligi Parochum ruralem, aut extra civitatem curam Parochialem exercentem. Neque obstat, quod *part.3.n.11.* diximus, Parochum non posse ab Episcopo eligi in suum Vicarium ratione residentiæ; nam, ut docet Pignatell. *tom.7. conf.4. n.6.* cessat hæc ratio in casu, quo a Capitulo eligatur Parochus habens curam animarum in ipsa Cathedrali, & civitate, in qua potest quacumque hora residere, nec aliunde est Capitulo vetitum, sicut Episcopo, uti opera Parochi in servitio diœcesis, quando stet residens.

12. Dubitabis 2. an Canonicus electus in Vicarium Capitularem, & absens a Choro propter officium Vicariatus, faciat suas distributiones? ℞. Affirmat Garcias *part.3. cap.2. num.358.* cui adhæret Diana *part.5. tract.18. resol.57.* citans Escobar *de Horis Canon.* §.2. *num.218.* Negat id Barbosa *Juris Eccles. lib.1. cap.32. num.39.* cum Moneta *de distribut.part.2.q.11.* & cum Castropalao *part.2. de Orat. publ. disp.3. punct.9.* §.7. sic docente ibi: *Vicarii Foranei &c. fructus præbendæ lucrantur, quia legitimam habent causam absentiæ. Non tamen lucrantur distributiones quotidianas, nisi privilegio Pontificis, consuetudine legitime præscripta, aut statuto a Pontifice confirmato eis concedantur, quia non sunt occupati in servitio Ecclesiæ propriæ, sed in servitio Episcopi (vel Capituli) & Ecclesiæ in communi.* Hanc sententiam docet Wiestner, quando non fuerit consuetudo legitime præscripta in contrarium.

13. Ad extremum memineris, eas qualitates requiri in Vicario Capitu-

 lari,

lari, quæ requiruntur in Vicario Generali: unde ea in ipso ætas requiritur, quæ sit ad minimum viginti quinque annorum, quamvis Barbosa *Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 54. doceat, ætatem viginti trium annorum permitti posse in Vicario Capitulari, si alias sit idoneus, non tamen id expedire.

§. IV.

De potestate, & jurisdictione Vicarii Capitularis.

14. VIcarii Capitularis potestas, & jurisdictio non solum est similis potestati Vicarii Episcopalis, propterea quod sit ordinaria, & extendens se ad ea, quæ potest Capitulum sede vacante in jurisdictione ordinaria Episcopali, sed etiam est amplior, propterea quod se extendit etiam ad ea, quæ sede plena indigent speciali mandato, ut probabilius inferunt ex textu Tridentini recentiores aliquot Canonistæ cum Garcia contra Dianam *part.* 8. *tract.* 4. *resol.* 64. aliisque ab eo citatis. Atque idcirco, quando quis fuerit illimitate electus in Vicarium Capitularem, poterit absque speciali mandato Capituli dispensare in interstitiis: quamvis id olim negaverit Ventriglia cum aliis apud Leurenium.

15. Dixi, quando quis fuerit illimitate electus in Vicarium Capitularem; nam Capitulum, saltem olim, in ipsa electione Vicarii Capitularis poterat aliqua sibi reservare vel exercenda per se ipsum, si forent voluntariæ jurisdictionis, vel per alium deputandum, si forent contentiosæ jurisdictionis, cum cognitione causæ, ut bene notat Leuren. *quæst.* 566. & cum aliis tradit Barbosa *Juris Ecclesiastici lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 43. Dixi, saltem olim; nam de præsenti declarat id non posse fieri Benedictus XIV. *de Synodo Diœc. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 10. At vero, facta illimitate electione, nequit Capitulum ullam amplius restrictionem facere, aut jurisdictionis administrationi se admiscere, ut communius docent DD. præmissis aliquot declarationibus Sacræ Congregationis: quamvis contrarium censeat Diana *part.* 7. *tract.* 7. *Miscell. resol.* 41. Equidem putarim, standum cum communiori, arg. *l. Judex* 55. *ff. de re judicata*. Hinc primo nequit Capitulum, facta illimitate electione, deputare Visitatorem sine consensu Vicarii Capitularis. Hinc secundo, si aliquis a Vicario Capitulari appellare velit, non ad Capitulum, sed ad Metropolitanum appellare debet, tanquam superiorem, ex Barbosa *de off. Episc. alleg.* 54. Hinc tertio, si forte a Vicario Foraneo quis appellaverit ad Capitulum, is remitti debet ad Vicarium Capitularem, utpote in quem totius jurisdictionis Episcopalis exercitium translatum est, & ipsa illius electione abdicatum est a Capitulo *ex cap.* 16. *cit.* Tridentini. Hinc quarto, si recusetur Vicarius Capitularis ab aliquo tanquam suspectus, non pertinet ad Metropolitanum, sed ad Capitulum cognoscere legitimationem recusationis, arg. *Cap. Si contra* 4. *de off. deleg. in* 6. ut a Sacra Congregatione declaratum fuisse refert Garcias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 7. in quo casu etiam potest Capitulum remittere cognitionem talis legitimationis ad arbitros; &, si compererit, legitime, ac merito suspectum esse Vicarium Capitularem, poterit alteri causam delegare.

16. His universim, & in genere delibatis, dubitabis in specie 1, an Vica-

Vicarius Capitularis approbare possit Confessarios, & approbatos revocare? ℞. quo ad primum, posse utique approbare Confessarios, ut expresse in terminis de Vicario Capitulari habet Ventriglia; imo posse Confessariis facultatem concedere absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis: quo vero ad secundum, posse etiam Vicarium, ex eodem Ventriglia, revocare facultates omnes audiendi Confessiones Sacramentales, & Confessarios examinatos, & approbatos per Episcopum mortuum, iterum ad examen revocare, &, si eos inhabiles repererit, reprobare, etiamsi Regulares sint. Ita apud Leurenium *de Vic. Capit. quæst.* 596.

17. Dubitabis 2. an Vicarius Capitularis dare possit litteras dimissorias pro sacra Ordinatione, & quando? ℞. ubi Concilium Tridentinum receptum est, non posse eas dare Vicarium Capitularem intra annum sedis vacantis, sub nullius etiam privilegii, aut consuetudinis prætextu, nisi solis arctatis ratione Beneficii recepti, aut recipiendi, ita disponente Tridentino *sess.* 7. *cap.* 10. *& sess.* 23. *cap.* 10. *de ref.* posse tamen eumdem Vicarium eas concedere elapso ipso primo anno, qui incipit a die mortis Episcopi, & quidem etiam non arctatis, non tamen posse etiam post lapsum anni concedere illas ordinandis ad titulum Patrimonii, vel Pensionis, eo quod id reservatum sit Episcopo a Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* quamvis, id non esse ubique receptum, cum Garcia notat Barbosa *in Summa Constitutionum Apostolicarum decis.* 5. *cap. Sede vacante, num.* 12.

18. Dubitabis 3. an possit per se ipsum assistere matrimonio? ℞. de hoc vix dubitari posse; idque, etiamsi Vicarius non fuerit Sacerdos: quandoquidem ipse exerceat ordinariam, & Episcopalem jurisdictionem, possitque hanc facultatem assistendi delegare cuicumque alteri Sacerdoti, non minus quam Vicarius Generalis Episcopi, sitque Ordinarius, & Parochus Parochorum: uti tradit Diana *part.* 8. *tract.* 8. *resol.* 49.

§. V.

Vicarii Capitularis officium quando expiret.

19. AUt Vicarius Capitularis fuit a Capitulo in ipsa actuali deputatione electus limitate, & ad tempus, prout id posse fieri a Capitulo docuit cum aliis Leurenius; aut fuit illimitate, & sine præfixione temporis electus? Si primum, cessat ejus officium, elapso eo tempore præfixo. Si secundum, cessat ejus officium in duplici casu: nempe 1. quando Episcopatui detur a Sede Apostolica Administrator; 2. quando Episcopatui detur novus Episcopus, nec amplius habeatur sedis vacatio: quod tunc contingit, inquit Diana *p.* 8. *tract.* 4. *resol.* 69. quando novus Episcopus adeptus fuerit possessionem, & litteras Apostolicas Capitulo præsentaverit; non enim sufficit, quod Episcopus fuerit electus, imo nec quod fuerit confirmatus, ut constat *ex Extravag. Injunctæ, de electione*. Notandum tamen est, hoc limitari a Leurenio *quæst.* 615. ubi, seu in illis locis in quibus ex præscripta legitima consuetudine permittitur novo Episcopo electo administratio ante confirmationem.

20. Advertendum deinde est, quod, quando cessaverit officium Vicarii Capi-

Capitularis, ipse reddit novo Episcopo rationes suæ peractæ administrationis; & deliquisse compertus, ab eo, vel Metropolitano punitur: ab Episcopo quidem, si in officio, & contra justitiam deliquerit; a Metropolitano, si Metropolitani jurisdictionem offenderit. Hæc autem redditio rationum facienda est novo Episcopo eam exigenti, etiamsi rationem ipse Vicarius reddiderit Capitulo, & ab eodem absolutionem, aut liberationem obtinuerit, ut ex expresso textu Tridentini *seß.24. de ref. cap.16.* habetur.

21. Dubitabis 1. an cesset officium Vicarii Capitularis per amotionem ipsius factam a Capitulo? ℞. notandum, quod, si in ipsa actuali deputatione Vicarii Capitularis actum fuerit in Capitulo, & pactum cum ipso Vicario de hac libera revocatione, seu amotione ad nutum Capituli, tunc potest Capitulum amovere, seu revocare ad libitum suum Vicarium, ut fuse habet Leurenius *quæst.616.* & quando fiat ea amotio, tunc cessat officium talis Vicarii. Quod si in ipsa actuali deputatione de hoc nihil actum & conventum fuerit, nequit Capitulum suum Vicarium amovere sine justa causa, & quidem prius approbanda a Sacra Congregatione, ut notat Pignatellus *tom.1. consult.23.* Ubi vero contingeret, quod Vicarius Capitularis ex justa causa, & quidem a Sacra Congregatione approbata, amoveretur a Capitulo, tunc cessaret officium talis Vicarii Capitularis, & Capitulum teneretur alium intra octo dies eligere.

22. Dubitabis 2. an cesset officium Vicarii Capitularis per substitutionem alterius factam ab ipso Vicario Capitulari? ℞. notandum hic, quod tradit Diana *part.8. tract.4. resolut.62.* nempe: ***Vicarium constitutum a Capitulo non posse alium instituere, nisi ad modicum tempus, & ex urgenti, & magna causa, ac non nimis frequenter, Hostien.in Cap.Clericos, de officio Vicarii, Card. in Clem.unic. eodem tit. q.19. vel nisi haberet mandatum speciale a Capitulo, ut possit alium substituere, cum clausula: quem ex nunc, prout ex tunc nos substituimus. Et, si Vicarius infirmitate detentus esset, vel alio legitimo impedimento occupatus, posset, de consensu tamen ipsius Capituli, causas tunc pendentes alteri delegare. Sed si Capitulum vellet durante infirmitate alium Vicarium deputare, posset utique facere.*** Hactenus Diana.

23. Hoc præmisso, per substitutionem temporalem alterius factam a Capitulo, vel ab ipso Vicario respective in casibus, & modo prædictis, non cessaret quidem, sed suspenderetur Vicarii jurisdictio. Porro deberet persona substituta sive a Capitulo, sive a Vicario, habere qualitates illas requisitas in Vicario Capitulari per Tridentinum, prout ex Ventriglia docet Leurenius *quæst.611.*

24. Hactenus dixisse sufficiat de Vicario Capitulari: de quo nihil attigi spectans ad ejus præcedentiam; nam tritum est, quod, si ipse fuerit Canonicus, ut communiter esse solet, debet semper stare, sedere, incedere in loco suo Canonicali, & tunc nulli præcedit, ut docent Pignatellus *tom.4.conf.183.* & Barbosa *de Can. & Dignit. cap.36.* Quod si non fuerit Canonicus, deberet quidem præeminentiam cedere primæ Dignitati post Pontificalem; sed notat Cardinalis de Luca *ad Trident.dis.31.* expediens esse, ut ipse evitet occasionem talis cessionis, ut major apud populum appareat dignitas officii, nempe Vicariatus Capituli.

FINIS QUARTÆ PARTIS.

DE VICARIO FORANEO

PARS QUINTA.

§. I.

Quis sit, & dicatur Vicarius Foraneus.

1. Icarius Foraneus, ex Azorio *tom.2. lib.3. cap.45.* est, & dicitur ille, qui extra civitatem Episcopalem, puta in aliquo diœcesis oppido, jurisdictionem habet, deducto hoc nomine Foranei, ex eo quod constituatur foris, extra civitatem in qua Episcopus resìdet, vel potius quia forum, & judicium, non generale, sed speciale tenet, ut notat Castropalaus *tract.13. disp.2. punct.30.* Ejus autem tribunal, & auditorium, non censetur idem, quod Episcopi; unde ab eo ad Episcopum datur appellatio. Itidem jurisdictionem ordinariam non habet, sed delegatam, & idcirco nequit ipse valide assistere matrimoniis, ex Sanchez *lib.3. disp.29.* De primordiis talis Vicarii late tractat Benedictus XIV. *de Synod. lib.3. cap.3.* eaque refert ultra tempus Clementis V. qui floruit *anno* 1305. Is constituitur sede plena ab Episcopo, qui ex citato Benedicto XIV. *de Synodo*, debet constituere virum probum, jurisperitum, & maturæ ætatis. Expedit etiam, teste eodem Pontifice *loc. cit.* ut vocetur ad Synodum Diœcesanum, etiamsi non fuerit Archipresbyter, vel Beneficiatus. Insuper non videtur dignitatem habere; ita ut rescripta Romanorum Pontificum directa ad eum, qui est in aliqua dignitate constitutus, ad illum non extendantur. Præeminentia etiam est multum diminuta; siquidem ne quidem Præpositos Ecclesiarum Collegiatarum præcedat, nisi forte de consuetudine aliter servetur, & ipse pro dignitate habeatur, ut docet Engel *ad tit. de off. Vicarii num.5.* Non inficior tamen, eam illi reverentiam, & obedientiam exhibendam, quæ decet virum ab Episcopo pro respectabili munere in eo oppido constitutum; est enim ipse in eo loco veluti oculus Episcopi advigilans cultui Divino, personis Ecclesiasticis, & rebus sacris.

2. Dubitabis, an possit appellari Vicarius Episcopi? ℞. non posse proprie, & in rigore, ut docet cum aliis Sbrozzius; quia non gerit vices Episcopi, nisi tanquam delegatus: nihilominus lato quodam modo appellari potest Vicarius Episcopi, quia gerit lato quodam modo vices Episcopi, ut bene notat idem Sbrozzius.

§.II.

§. II.

Quæ, & quanta sit ejus potestas.

3. QUantitas potestatis, & jurisdictionis, respectu hujus Vicarii, metienda est, non ex aliquo jure, sed ex commissione illi facta ab Episcopo: cum enim Vicarius Foraneus sit ipsius delegatus, eam habet potestatem, & jurisdictionem, quam delegans ipsi impertiverit. Ubi adverto, expedire, ne Episcopus nimis arcte se gerat cum hujusmodi Vicario in iis oppidis frequentioribus, & a civitate Episcopali magis distantibus, propter repentinos casus, qui ibidem dari possunt, & propter periculum quod esse possit in mora. Quamvis enim in ejusmodi casibus, juxta receptam Glossam ***in Cap. Tale pactum, de pactis, id jure servandum, licet statutum non sit, quod verisimile est statuendum fore, si quæsitum fuisset***: quamvis (inquam) tunc possit Vicarius interpretari in favorem suæ potestatis; nihilominus ille sæpius hærebit, & incommoda non levia, vel scandala subsequentur: aut e contra, si Vicarius non ita interpretetur, non raro similibus, vel majoribus inconvenientibus locus dabitur.

§. III.

An Vicarius Foraneus possit alteri suam potestatem subdelegare.

4. REgulariter loquendo, non potest Vicarius Foraneus suam potestatem delegatam ab Episcopo, alteri subdelegare; cum regulariter delegatus tantum accipiat potestatem exercendi jurisdictionem, non vero illam alteri committendi. Potest nihilominus id facere, si fuerit id illi concessum vel expresse, vel tacite ab Episcopo; quia tunc, non suo, sed delegantis nomine suas partes committeret.

5. Quod si aliquando infirmetur, cum interim ad Curiam Episcopalem nuncius mittitur, ut provideat, poterit alteri committere, non quidem cognitionem alicujus causæ, sed rei alicujus nudum ministerium, vel rei alicujus executionem, arg. ***Cap. 27. vers. Nos autem de off. delegat.*** Potestas talis Vicarii cessat, quando, & quatenus cessat officium delegati.

PARÆNESIS

Ad Vicarios tum Generales, tum Capitulares, tum Foraneos respective.

6. DAbunt mihi veniam RR. Vicarii, si ad calcem hujus Partis, eos libera oratione alloquar, mutuatis tamen verbis, ac sententia a sapienti Theologo P. Fr. Alexandro a S. Teresia Carmelita. Hic namque vir pietate, ac zelo plenus, & novitates quamqui maxime exosus, rogat etiam atque etiam Rectores quoslibet Ecclesiasticos, ut depositum Fidei apud populos, quibus præsunt, sollicite custodiant, & augeant; etenim ipse ***cap. 11. sui libelli***, qui inscribitur ***Hydra profanarum novitatum***, Rectorum Ecclesiasticorum


corum incuriæ tribuit, quod Fides sensim sine sensu alicubi deficiat, & errores, ac novitates identidem pullulent: quocirca ait: *Oportet, ut Pastor totus sit mens, & oculus, maxime dum luporum timentur incursus. Unde cum Christus verus & bonus ille Pastor nasceretur, erant Pastores, inquit Evangelista Lucas, in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Quem textum ad rem nostram exponens S. Ambrosius, subdit: *Videte Ecclesiæ surgentis exordium. Christus nascitur, & Pastores vigilare cœperunt, qui gentium greges, pecudum more ante viventes, in caulam Domini congregarent, ne quos spiritualium bestiarum per effusas noctium tenebras paterentur incursus. Et bene Pastores vigilant, quos bonus Pastor informat. Sed quare bonus Pastor? quia cognosco oves meas, inquit, & cognoscunt me meæ: & animam meam pono pro ovibus meis. Unde convincuntur non esse boni Pastores, qui nec oves suas cognoscunt, aut mores earum & studia explorant, nec ab ovibus cognoscuntur, aut consuluntur, aut, si eas cognoscant, & hæreseos scabie infici videant, medicinam tamen salutaris correctionis non adhibent, nec morbidas oves a grege separare curant, & lupos venientes, aut etiam grassantes fugare contemnunt, ipsimet fugientes, ut vitam suam, aut etiam minoris momenti reculas servent &c.* Vid. ibi plura in hanc rem.

7. Præterea opportune idem Theologus *cap.* 10. docet, Rectorum Ecclesiasticorum diligentiam in eo sitam esse oportere, ut populos sibi subditos a lectione librorum non sanæ doctrinæ pro viribus avertant; inquit enim ibi: *Cum consuetudo, convictus, ac colloquia cum hominibus perversis pervertant hominum mores, efficacius tamen id præstat perversorum librorum incauta lectio: licet enim verba efficacius moveant, vehementius trahant, celeriusque rapiant, quam scriptura, eo quod viva vox acutius animum penetret, tamen ea, quæ scribuntur, cum ex longa proveniant meditatione, melius sunt digesta, accuratiusque ordinata, quam quæ voce ex tempore plerumque proferuntur: ideoque efficacior est scriptura, quam vox &c.* Ubi etiam citatus Auctor refert ex Floremundo Remundo, Calvinistas primum academicam juventutem seduxisse, & per eam hæresim fuisse fundatam, & sparsis per scholares hæreticis libellis propagatam. Addit deinde sic: *Quid opus est pluribus? Omnes hæresiarchæ hac callida libellorum sparsione hæresim suam fundarunt, ac propagarunt.* Dat præterea laudatus Auctor rationem hujus nocumenti; quia nempe, ex S. Basilio, *assuescere sermonibus pravis via quædam est ad rem ipsam.* Hæreticis proinde assuescere sermonibus sive voce pronunciatis, sive calamo paratis, via est ad hæresim ipsam. Concludit demum: *Hinc* (nempe ex talium librorum lectione) *tantus Catholicæ Fidei in multis languor, hinc omnis seductionis ad hæresim origo.* Quare circumspiciant Vicarii, quinam libri in scholis, in monasteriis, in seminariis legantur, & ex S.Hieronymo *in epist. ad Furiam, eorum dumtaxat tractatus* permittant, *quorum fides nota est*, scilicet non mere præsumpta.

8. Proderit etiam quammaxime eas regulas observare, quas S. Ignatius præscribit in suo aureo Exercitiorum Libello, ad hoc ut cum orthodoxa Ecclesia vere sentiamus; quarum ea, quæ est numero sexta, perfamiliaris Vicario

rio esse deberet, videlicet altam populis æstimationem inferere circa doctrinam communem, & communem sensum Fidelium de his, quæ spectant ad pietatem ac salutem. En verba S. Patriarchæ *loc. cit. Laudare Reliquias, venerationem, & invocationem Sanctorum. Item: Stationes, Peregrinationesque pias, Indulgentias, Jubilæa, Candelas in Templis accendi solitas, & reliqua hujusmodi pietatis, ac devotionis nostræ adminicula. Sunt enim hæc,* inquit Cardinalis de Lugo *disp.* 20. *de Fide sect.* 3. *num.* 97. *quasi antemuralia, quæ doctrinam Fidei muniunt; quibus ablatis, facilius patet aditus ad Fidem ipsam, vel alia dogmata Fidei proxima oppugnanda. Quare propter connexionem aliquam licet non necessariam, nec evidentem, quam cum Fide habent, exigunt peculiarem reverentiam, ne facile, & temere contemnantur.* Hactenus de Lugo, & quidem apposite: nam, ut refert Baronius *ad annum Christi* 370. quidam sanctus vir ajebat: *Necesse est omnes vias persequi, non modo ne oves Salvatoris a feris capiantur, sed etiam ut conserventur incolumes.* Deus faxit, ut Episcopi, & Vicarii omnes in id consentiant.

F I N I S.



DE

DE
DIGNITATE, OFFICIO, ET POTESTATE
EPISCOPI.

DE DIGNITATE, OFFICIO, ET POTESTATE
EPISCOPI
PARS UNICA.

PROŒMIUM

Ex Jacobo Simanca Hispano Pacensi Episcopo.



E ignorantiam prætexere queant ii, qui honorem debitum non præstant Episcopis, breviter & succincte multa collegi, quibus facile quivis intelligat, quanta sit Episcoporum dignitas, & quali sit honore afficienda, qua quidem non solum Pontifices maximi decorantur, sed etiam Omnipotens Deus Christus Redemptor noster ab Apostolorum Principe *in epistola I. cap.* 2. nominatur his ipsis verbis: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* Atque hæc quidem hactenus: nunc ad rem.

§. I.

1. EPiscopi, ideft ii qui in Apostolorum locum successerunt, & positi sunt, sicut Apostolus ait, regere Ecclesiam Dei, ita appellantur ex Græca voce, quæ Latine idem sonat, ac Speculator, *Can. Clericus d.* 21. vel Superintendens, *Can. Qui Episcopatum* 8. *q.* 1. debent enim ipsi mores & vitam eorum, qui sunt suæ curæ concrediti, speculari & perspicere. Olim, & nunc quidam Hæretici, videlicet Lutherani, & Calviniani, secuti Joannem Wiclefum, & Aerium, docuerunt, Episcopum a Presbytero in potestate, dignitate, & munere non distingui jure Divino. Contrarium tamen de Fide tenendum est, statuente Concilio Tridentino *sess.* 23. *can.* 6. & 7. *de Sacram. Ord.* Episcopum a Presbytero jure Divino distingui, & anathemati subjiciente oppositum dicentes, vel asserentes.

2. Episcopalis dignitas, maxima dicitur in Ecclesia, saltem quo ad Ordinem, & Ordinis potestatem: imo *in Cap. Venerabilis, de præb.* Episcopatus appellatur *culmen Dignitatum*; siquidem Episcopi plena & perfecta Ordinis potestate pollent, & tanta quidem, quanta Summus Pontifex; supremum enim Sacerdotii apicem attigerunt: unde eos Summus Pontifex veteri more *Venerabiles Fratres* appellat. Præterea ipsi sunt Ecclesiæ Patres & Doctores, Angeli Dei, Spiritus Assistentes Sponsæ Christi, Judices omnium causarum etiam majorum in generali & legitimo Concilio sub Capite suo Romano

mano Pontifice, cui assident ipsi quasi nati Assessores, Custodes primarii gregis Dominici, Oculi supremi Hierarchiæ Ecclesiasticæ &c. Quare exploratum est, Episcopos omni veneratione & honore esse dignos, ac tales omnino, quos merito omnes tum Regulares, tum sæculares, etiam Principes, singulari cultu & reverentia prosequantur, *ex Cap.6. de major. & obed.* ac Tridentino *sess.25. cap.17. de ref.* Hinc accepimus in Historiis apud Bosium *de signis Ecclesiæ lib.20. cap.5.* & apud Baronium variis in locis, Episcopos olim in primitiva Ecclesia ab Imperatoribus Regibusque eo honore affectos fuisse, ut & pedes eorum exoscularentur. Subsequentibus vero temporibus, ut taceam de S. Canuto Rege Danorum, qui ut majori apud Danos suos honori essent Episcopi, iis omnibus primum inter Proceres locum, perinde ac Ducibus, assignavit, ut taceam (inquam) de hoc Sancto Rege, memoriæ proditum est, Alaricum ipsum Gothorum Regem, quantumlibet is esset Arianus, tamen Antistites Catholicæ communionis summo semper in honore atque existimatione habuisse. Tanti enimvero fit eum esse, cui, ut ajebat S. Ignatius Martyr *ep. ad Philadelph. credita sunt Sancta Sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei.* Plura ejusmodi vide apud cit. Jacobum Simanca in suo eruditissimo Summario *de dignit. Episcoporum.*

3. Ad gradum in Ecclesia Dei tam excelsum ascendere nemo debet præsumere, nisi vocatus fuerit a Deo, ex communi apud Bellarminum *de Gem. Col. lib. 2. cap. 5.* juxta illud Apostoli *ad Hebr. 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo.* Vocatio autem ex Providentia ordinaria duplex est (præscindimus enim ab extraordinaria vocatione per signum aliquod prodigiosum, puta per columbæ descensum, aut cœlestem aliquem fulgorem; nam talis vocatio rarissima est, ex Bellarmino *de Cler. l. 1. cap. 5.* certe hoc tempore minime eam videmus) duplex, inquam, est vocatio ordinaria. Altera interna, altera externa. Vocatio interna est affectus ille, & quidam veluti interior impulsus, quo quis sentit se incitari ad statum Episcopalem. Hunc autem affectum, seu impulsum, a Deo esse dignoscitur ex fine. Si enim tota ratio quæ impellit animum, est bonum spirituale, puta Dei cultui, & populorum saluti se devovere, non est dubitandum, quin talis vocatio sit a Deo, ex Lessio *de elig. stat. q.5.* Si vero totus, vel primarius finis, quo ad Episcopatum impelleris, est quid humanum, vel temporale; talis impulsus non videtur esse a Spiritu Dei, sed a spiritu humano & amore proprio, ex eodem *ibidem.* Vocatio externa est legitima electio, vel nominatio ad Episcopatum. Huic quippe aliquando in aliquibus raris circumstantiis nefas est refragari; unde quilibet tunc ei debet assentiri: regulariter vero potest eidem unusquisque tanquam Dei vocationi acquiescere, dummodo ipsam ambitiose per fautores, aut per se immediate non procuraverit, ex Bellarmino *loc. cit.* item dummodo sibi (utique non scrupuloso) apertissima non sit ac plane notoria sua indignitas atque inhabilitas ad tantum onus suscipiendum ac gestandum, ex S. Chrysostomo apud Thomassinum *p.2. l.2. cap.66.* & ex S. Hieronymo *in cap.3. Isaiæ*, ubi ait: *Non statim multitudinis acquiescamus judicio, sed electi in Principatum noverimus mensuram nostram:* item dummodo votum quis

quis non emiserit non acceptandi Episcopatum, nisi fuerit præcepto coactus; nam talis vovens nequit acquiescere simplici electioni, vel nominationi, sed expectare debet formalis præcepti impositionem, ex Card. de Lugo *conf. moral. lib.3. dub.5.*

4. Ambire, idest (prout explicat Azorius *part. 2. lib.3. cap.17.*) *aspirare ad Episcopatum quibuslibet artibus etiam malis*, sicuti etiam illum optare, aut quærere, vel unice, vel primario propter temporalia, illicitum est, ex communi cum S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. Utrum vero liceat illum procurare ex moderato affectu propter honestum finem, in debitis circumstantiis, utendo modis & artibus quas jus naturale, Divinum, aut Canonicum non prohibuerit, lis est gravissima inter Theologos videnda apud Layman *de Benef. cap.* 15. & apud Valentiam *in* 2. 2. *disp.* 10. *de Statu Ep. q.* 3. a qua nos præscindentes censemus, rem esse valde periculosam, atque exemplis Sanctorum minime consentaneam. Sanctissimi enim ac magni in Ecclesia Dei viri id muneris semper refugerunt: Nazianzenus siquidem e patria discessit, ne ad eum honoris gradum ascendere cogeretur: Sanctus Ephrem ejusdem rei gratia insaniam simulavit: S. Ambrosius noctu secessit, ac se occultavit &c. Pertineret tamen ad inordinationem voluntatis, si aliquis omnino contra Superioris injunctionem Episcopatum finaliter recusaret, ex S. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 2.

5. Fautor, seu intercessor apud electorem pro altero promovendo ad Episcopatum, illud cavere debet, ne peccati reus fiat, ut probe noverit hujus qualitates ac majorem idoneitatem ad tale munus. Limites, nisi intercedat sive implicite, sive explicite, sub conditione, si dignior inveniatur, vel si licite & juste eligi possit: quod videtur fieri, quando intercessor dicit: ***peto, ut in iis, in quibus fieri possit, huic faveas.*** Animadvertit tamen Card. de Lugo, aliquando tanti ponderis esse intercessionem alicujus apud electorem, ut licet verbis generalibus petat, quod huic faveat, periculum tamen sit, ne illum flectat ad electionem. Quo casu, idem Auctor censet, oportere clare loqui, ac dicere: ***Ego solum peto, ut facta inquisitione, si istum dignum inveneris, sine alterius dignioris præjudicio, præstes huic gratiam & favorem***: ex Card. de Lugo, & de Justis *disp.* 35. *sect.* 6. §. 2. *num.* 103.

§. II.

6. Officium Episcopi, juxta *Cap.* 15. *de off. jud. ord.* & juxta Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. *de ref.* duo præcipue complectitur: primo cultum Divinum, & Christianam religionem conservandam & augendam: secundo pascere ac regere oves sibi commissas juxta mensuram potestatis sibi a Papa concessæ, cujus, tanquam universalis Pastoris, Episcopi sunt adjutores & ministri in partem sollicitudinis vocati.

7. Et quidem, ad primum quod attinet, ut suo satis muneri faciant Episcopi, hæc quatuor debent sedulo curare: 1. ut orthodoxa Fides, & veneratio Dei conservetur & augeatur: 2. ut Divina Officia rite celebrentur: 3. ut Sacra-

Sacramenta, prout oportet, administrentur: 4. ut harum rerum ministri, res, ac loca Ecclesiastica sancte ac decore tractentur.

8. Ad alterum vero quod spectat, videlicet in pascendis & dirigendis ovibus suis, plura debent Episcopi exercere. Primo enim debent prædicare verbum Dei; 2. eligere bonos & idoneos Pastores, & dignioribus Beneficia, ac præbendas conferre; 3. vitia subditorum arguere, corrigere &c. 4. dissidentes ad pacem magis, quam ad judicium, excitare; 5. pauperum, viduarum, & pupillorum curam gerere; 6. providere, ne subditi superfluis sumptibus substantiam suam consumant; 7. bonis exemplis pascere oves suas, pro iis frequenter orare, & Sacrificia offerre; 8. sæpius diœcesim personaliter visitare; 9. Synodum statutis a jure temporibus convocare; 10. residere in sua diœcesi &c. Hæc quippe omnia a Concilio Tridentino diversis sessionibus præscripta sunt.

9. Cum autem hæc nequeant exacte præstari, nisi fuerit Episcopus ardentissima charitate Dei, & proximi præditus, hinc ipse debet esse in vita Christiana perfectus, ex S. Thoma 2. 2. *q.* 184. Et quidem Episcopus quilibet talis est *per comparationem ad Ecclesiam*, ut inquit citatus Angelicus. Hoc tamen non est satis; sed operam dare debet, ut talis etiam sit *per comparationem ad judicium Dei*. Quare debet ad hoc intendere, ut talem se exhibeat, ut cæteros & scientia, & sanctitate præcellat, ex S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3.

§. III.

10. RESidentia, ad quam diximus Episcopos obligari, est assidua commoratio Episcopi in loco sui Tituli ad personale servitium Ecclesiæ sibi commissæ præstandum: quæ quia intelligi debet cum effectu, præter realem & moraliter continuam Episcopi in eo loco præsentiam, omnino exigit ministerium personale ab eodem regulariter exhibendum, ex Sylvestro, Layman, aliisque: unde non esset ipse in conscientia tutus, si munia omnia Episcopalia per Vicarios, & substitutos exerceret, ex Cajetano *in* 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. ubi ait: *Turpem se recognoscat, si nomen, potentiam, honorem, ac divitias Episcopi teneat in persona sua, officium autem alteri deleget; quoniam priora omnia sua data sunt personæ, ut habeat simul cum illis personale officium Episcopi*.

11. Advertimus cum Fagnano in Cap. *Canonum statuta &c. de constit.* non satis esse, ut Episcopus resideat in diœcesi temporibus Adventus, Quadragesimæ &c. sed teneri iis temporibus ad residentiam in sua Cathedrali ex præcepto, & non ex mero consilio, juxta Sacræ Congregationis declarationem apud eumdem Fagnanum *loc. cit.*

12. Quod autem dicebamus, Episcopum non debere munia Episcopalia exercere per Vicarios & substitutos, non tollit, quominus ipse habeat adjutores, seu Vicarios, alios quidem ab ipso jure constitutos, nempe Archidiaconum, Archipresbyterum, alios constitutos ab homine, idest qui munus habeant Vicariatus, non in consequentiam alicujus Dignitatis quam obtineant,

sed

sed immediate & directe ex speciali commissione facta ab homine, quales ii sunt qui dicuntur Vicarii Generales, vel Vicarii Foranei respective, ad nutum amovibiles, ac dependentes a directione Episcopi. Quinimo censemus, Episcopum non solum posse, sed & debere ordinarie ejusmodi Vicarium constituere, cujus opera adjuvetur; cum ille etsi diligentissimus sit, per se solum plerumque non sufficiat omnibus negotiis saltem commode expediendis, ex Pirhing, Ugolino, Leurenio, aliisque.

13. Dixi, residentiam exigere moraliter continuam commorationem in diœcesi: quam porro continuitatem non tollit modica interpolatio, seu brevis absentia, justa ex causa, & sine gregis detrimento, ne in eo quidem, qui Episcopatum, seu Beneficium suscipiens, expressum de continua residentia præstiterit juramentum; qui nec perjurii, nec alterius culpæ reatum incurret, siquando postea ex legitimis causis, saltem in utilitatem Ecclesiæ ordinatis, ad tempus eum abesse contigerit, *ex Cap. Ex parte* 13. *de Cler. non resid.* Modica autem absentia existimatur, si Episcopus quotannis sive continue, sive interrupte a sua diœcesi ad duos, vel ad summum ad tres menses absfuerit, ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

14. Quo jure oriatur obligatio residendi, controversia est veteribus ignota, sed gravis ac celebris inter recentiores. In qua tanquam certum statuimus, non humano tantum, sed etiam Divino præcepto esse Episcopis tale onus impositum: quod ex plurimis Sacræ Scripturæ locis efficacissime colligitur, verbisque ac menti Concilii Tridentini aptissime consonat, etsi hoc ipsum a Concilio non sit exprese definitum. Quin etiam, sublata quavis alia lege Divina, affirmamus, ex sola officii sui natura teneri Episcopos ad personalem residentiam, adeoque teneri etiam jure naturali, sed præsupponente institutionem Divinam, ex Vasquez *de Benef. cap.* 4. §. 2. *num.* 122.

15. Ab obligatione residendi, quatenus ab Ecclesiastico jure provenit, cum Episcopis, cæterisque Beneficiatis Summus Pontifex proprie dispensare potest, ipsum legis vinculum relaxando, ex S. Thoma *quodlib.* 9. *art.* 15. Quatenus autem provenit a jure seu naturali, seu Divino, nonnisi improprie, interpretando legem, & declarando, hic & nunc non obligare, ob justum impedimentum, & concursum talium circumstantiarum. Hinc dispensatio non residendi, justa causa non excusante, præstare quidem potest impunitatem in foro externo, non tamen conscientiæ securitatem coram Deo, ex Toleto *Instr. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 8. & Bellarmino *in ep. ad Nepotem.*

§. IV.

16. Potestas Episcopalis alia est Ordinis, alia Jurisdictionis. Ad potestatem Ordinis, quæ immediate a Christo descendit mediante consecratione, pertinet esse ordinarium ministrum Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, Chrisma conficere, sacrare Oleum Infirmorum: atque hæc de jure Divino, seu ex institutione Christi sunt annexa Ordini Episcopali. Item ad eamdem Ordinis potestatem pertinet consecrare Virgines, Templa, Altaria,

Sacella, Vasa, & Vestes &c. Verum hæc de jure Canonico sunt Ordini Episcopali annexa, atque Episcopo reservata, ex communi apud Phœbeum.

17. Potestas jurisdictionis Episcopalis, quæ dividitur in contentiosam, cui proprium est leges condere, præcipere, punire, causas, seu controversias decidere &c. & in voluntariam, cui proprium est dispensare, legitimare, Beneficia conferre, Sacramenta ministrare &c. Hæc, inquam, potestas, quatenus est in ordine ad certos subditos, particularibus Episcopis immediate confertur a Romano Pontifice tanquam Christi Vicario, ex Bellarmino. Unde quamvis Episcopalis dignitas ac potestas, ut ordinaria, & ex officio considerata, saltem in genere sit instituta a Christo immediate, ad effectum ut Petrus, & Successores ejus in Cathedra Romana Ecclesiam per Episcopos gubernarent, ut constat ex verbis Apostoli *ad Eph.*4. *&* 1. *Cor.* 12. dicentis, posuisse Christum *in Ecclesia Pastores*, ideft Episcopos, & *Act.* 20. *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam*; si tamen Episcopalis jurisdictio sumatur in particulari, prout scilicet in hoc, vel illo subjecto, respectu horum, vel illorum subjectorum collocatur, non est de jure Divino, neque ab eo habet certos jurisdictionis gradus qui augeri, vel minui nequeant, sed tota procedit & pendet a Summo Pontifice.

18. Quamvis a multis recentioribus, quos citat Sanchez *de Matr. tom.* 1. *l.* 1. *disp.* 61. asseratur, Episcopum posse in sua Ecclesia, vel propria diœcesi, quidquid Pontifex in universali Ecclesia, ubi aliquid non sit a Pontifice reservatum, tamen non videtur ita absolute admittenda hæc opinio: nam, ut recte observat P. Amicus *tom.* 5. *de just. disp.* 6. *sect.* 4. & alii tum Theologi, tum Canonistæ, multa sunt, in quibus Episcopi non possunt ex vi ordinariæ potestatis dispensare, etiamsi eorum dispensatio expresse eis prohibita non sit, ut patet *ex Cap. Dilectus* 15. *de temp. Ord.* ubi Archiepiscopi dispensatio ab Honorio III. improbatur, non quod canone aliquo prohibita, sed quod nullo permissa reperiatur.

19. Cæterum quam habet Episcopus potestatem jurisdictionis, nequit ipse exercere, antequam acceperit litteras Apostolicas, sine quibus ostensis nec admitti & recipi, nec possessionem Ecclesiæ collatæ consequi potest, *ex Extrav. Injunctæ de elect.* Azor. *cap.*29. *q.* 9. aliisque. Hæc tamen assertio exceptionem patitur in Cardinalibus Episcopis.

20. Post acceptas Apostolicas litteras potest eam exercere jure ordinario in suos subditos, jure vero extraordinario & delegato in multis casibus, etiam in exemptos Regulares. Et quidem, ut taceam jus vetus, de jure novo Tridentini potest in his casibus jurisdictionem in Regulares exercere: 1. nempe quo ad editionem librorum, ne fiat sine approbatione Ordinarii: 2. quo ad visitationem & correctionem Regularium extra monasterium degentium: 3. quo ad prædicationem verbi Domini in eorum Ecclesiis Curatis (ubi notes ex Clementis X. Constitutione *Superna*, Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo diœcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse quamvis illam non obtinuerint: quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis

qui-

quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ delegato censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis coerceri, & puniri posse): 4. quo ad reparationem Ecclesiarum Parochialium: 5. quo ad celebrationem Missæ extra Ecclesias non faciendam: 6. quo ad Ordinationem & prævium examen ordinandorum, nisi quo ad hoc speciali privilegio muniti sint: 7. quo ad approbationem in ordine ad Confessiones sæcularium audiendas: 8. quo ad censuras in Ecclesiis publicandas, si ita petat Episcopus: 9. quo ad observationem festorum diœcesis: 10. quo ad publicationem Indulgentiarum non faciendam sine consensu Ordinarii: 11. quo ad clausuram Monialium &c. Vid. Trid. *sess.* 4. 5. 6. 7. 22. 23. 24. *de ref.*

21. Potest etiam hanc eamdem jurisdictionem exercere in Græcos, seu Italo-Græcos degentes intra fines suæ diœcesis, juxta Constitutionem Clementis VIII. & novissimam Benedicti XIV. Porro neque in subditos, neque in exemptos potest jurisdictionem contentiosam exercere extra proprium territorium sine consensu tacito, vel expresso Judicis proprii. Hinc in aliena diœcesi Episcopus sententiam censuræ ferre non potest, *Cap. Romana, de foro compet. in 6.* Limites, nisi delictum fuerit notorium, quod nullam causæ cognitionem postulet, ex Layman *de Cens. cap.* 4. prout de facto Sanctus Thomas Cantuariensis extra suam diœcesim particularem sententiam excommunicationis in reos notorios pronunciavit. Vid. Layman *cit. cap.* 4. *de Censuris*. Voluntariam autem, extra proprium territorium, valide, & plerumque licite exercet: quamquam ad evitandum scandalum, & confusionem, voluntariæ jurisdictionis actus, non publice, sed ferme tantum privatim exerceri debeant, ex Sanchez *lib.* 3. *de Matr. disp.* 19. Illud etiam animadvertendum, Episcopos non posse statuere contra leges, vel consuetudines Ecclesiæ universales: item non posse statuere, nec privilegiare cum præjudicio juris aliorum, quia solius supremi Principis est, postulante causa publica, *auferre uni, & dare alteri*, ut ait Glossa *in Cap. Constitutus, de relig. dom.* Plura de potestate Episcopi videri possunt apud Sylvestrum *v. Episcopus* §. 7. & 10. Henriquez *lib.* 1. *cap. ultim.* Barbosam, aliosque.

§. V.

22. PLura sunt Episcopali dignitati a sacris canonibus concessa privilegia, quorum catalogum instituit Squillant. in suo erudito Opere *de Episcopo*. Ex iis præcipua videntur 1. ut possit Episcopus celebrare extra Ecclesiam cum Altari portatili tam in palatio, quam in aliena domo, ubi hospitetur, ex Concilio Romano: 2. ut possit sibi eligere Confessarium Sacerdotem approbatum: 3. ut possit habere in suo servitio duos Canonicos, qui fructus præbendarum in absentia percipiant: 4. ut possit uti insignibus Pontificalibus in locis exemptis suæ diœcesis: 5. ut in suspensionem, aut interdictum jure latum nunquam incurrat, nisi Episcopi expressa mentio fiat: 6. ut solius ejus testimonio credatur in foro sæculari: 7. ut Indulgentias, limitatas tamen & temporales, concedere possit, nempe in Dedicatione Ecclesiæ unius anni Indul-

 gen-

gentiam, in anniversario Dedicationis, vel alias, solum Indulgentiam 40. dierum: 8. ut dispensare valeat in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum: 9. ut absolvere possit a casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsum, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis, & imposita salutari pœnitentia, ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. *de ref.* ubi advertimus cum Fagnano *lib.* 1. *Decret. Cap. Quoniam, de const.* id procedere de casibus occultis reservatis extra Bullam Cœnæ, non vero de casibus omnibus Bullæ Cœnæ, ac maxime non procedere de hæresi; siquidem, ut refert Piasec. *in prax. Episc. p.* 2. *cap.* 1. Sacra Congregatio censuit, Bullam Cœnæ derogare huic privilegio conciliari: 10. ut penes ipsum sit instituere in Beneficiis juris patronatus, præsentatosque non idoneos repellere: 11. ut causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur: 12. demum ut ipsi ægrotanti, morbo ingravescente, ministrari debeat sacrum Viaticum, & extrema Unctio a prima Dignitate Capituli &c. Quibus omnibus ac singulis nequit Episcopus renunciare cum effectu, nisi accedat voluntas Pontificis, qui dedit privilegium. Ea vero quæ in sola facultate aliquid agendi consistunt, non amittuntur ab Episcopo per non usum quantocumque tempore continuatum, ex Glossa *in Cap.* 24. *tit. de privileg.* Addas, pleraque ex his privilegiis competere Episcopo electo, & confirmato, etiam ante consecrationem; quia Episcopali jam dignitate præditus est, ut notat Suarez apud Layman *tract.* 5. *de suspens. cap.* 2.

23. Hæc breviter protulisse de officio & potestate Episcopi sufficiat in obsequium Illustrissimi ac Reverendissimi Bonaventuræ Sculco Bisinianen. Episcopi, qui in sua ad hanc celeberrimam Ecclesiam promotione illud adamussim exhibet, quod *in Cap. Quoniam, de jure patr.* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. statuitur, videlicet *ut ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & approbatur assensu.*

FINIS.



DB

DE AUTHENTICANDIS SACRIS RELIQUIIS.

DE AUTHENTICANDIS SACRIS RELIQUIIS

PARS UNICA.

PROŒMIUM.



Nter cætera Epiſcopalis ſollicitudinis munera, illud etiam eſt, quod, Eccleſiaſtica nomenclatura, dicitur Authenticare Reliquias. Hujus muneris partes explicare olim aggreſſus ſum ex data occaſione, qua Præſes Congregationis caſuum, & ſacrorum canonum, recognoſcendis in Urbe Reliquiis præpoſitus fuit. Nunc iterum idem aggredior, ne ii, ad quos pertinet, vel nimis faciles ea in re ſint, vel nimis difficiles, ſed tutiſſimi medio incedant. En quod mihi, ſalvo meliori judicio, circa tale munus exercendum videtur.

§. I.

1. ET primo quidem ſatis illud conſtat, cultum, ac venerationem Reliquiarum antiquiſſimum eſſe, & ſemper ab initio Eccleſiæ fuiſſe; nam, ut accepimus *Actor.* 19. Fideles deferebant S. Pauli Sudaria, & Semicinctia ad ægrotos, ut ſanarentur a languoribus ſuis, prout de facto, Deo eorum fidem ac pietatem probante, contingebat. Præterea ipſo tempore, quo S. Petrus, & S. Paulus paſſi ſunt, teſtatur S. Gregorius *lib.* 3. *epiſt.* 30. veniſſe Fideles ab Oriente, qui eorum Reliquias tanquam ſuorum civium peterent; ſed, cum eas detuliſſent uſque ad ſecundum lapidem ab Urbe, Divino miraculo impeditos, non potuiſſe ulterius eas deferre, tum vero a Romanis Fidelibus apud Catacumbas reconditas fuiſſe: unde poſtea Cornelius Papa (ut in Pontificali Damaſus refert) tranſtulit ad ea loca, ubi nunc jacent. Extat etiam *in Hiſtoria* Euſebii *lib.* 4. *cap.* 15. epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi, in qua epiſtola narratur, Chriſtianis cupientibus Reliquias hujus Sancti Martyris, & Judæis pertinaciſſime reſiſtentibus, Judicem Ethnicum voluiſſe Corpus in medio poſitum cremari uſque ad cineres, & tamen Chriſtianos collegiſſe incredibili aviditate Reliquias illas, *ac ſi eſſent*, inquit epiſtola, *lapidibus pretioſiſſimis pretioſiores, & auro probatiſſimo probatiores*. Id autem evenit altero ſæculo reparatæ ſalutis nondum exacto. Ex quibus, aliiſque recte deducit Bellarminus *de Reliq. lib.* 2. *cap.* 4. cultum Reliquiarum non eſſe cultum voluntarium, ideſt ab hominibus excogitatum, ſed eſſe a Deo inſpiratum;

tum; siquidem ex Scriptura approbatum legimus cultum Sudariorum & Semicinctiorum Pauli, & primis nascentis Ecclesiæ sæculis hanc insitam Christianorum animis erga sacras Reliquias religionem cognovimus. Quin etiam illud jure possumus inferre, non esse locum admirationi, si vetustissimæ quædam Reliquiæ sive de Sanctissima Deipara, sive de ejus Sponso S. Joseph, sive aliæ, alicubi asserventur; nam idem Spiritus qui nunc regit Ecclesiam, & erga ejusmodi Reliquias cultum Fidelibus inspirat, idem (inquam) regebat Sponsam suam retroactis sæculis, & Fideles ad easdem sancte pieque conquirendas custodiendasque impellebat.

2. Varia porro, ac diversa olim fuit Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ erga Reliquiarum cultum disciplina. Nam, si Latinam Ecclesiam inspiciamus, ipsa in more usuque habuit Ossa & Corpora Sanctorum pie admodum ac religiose venerari, nunquam tamen ea distrahere, aut de loco in locum ad alias urbes transferre: imo Romani Pontifices tenues etiam Reliquias ex Martyrum Corporibus detrahi, ut ad Principes mitterentur, minime patiebantur. Hinc Sanctus Gregorius *lib.* 3. *ep.* 30. scribens ad Constantiam Augustam, quæ postulaverat, ut S. Pauli Caput, aut aliquid de Corpore ipsius, ad ipsam transmitteret, ut in Ecclesia suis sumptibus extructa illud collocaret, respondet, se mœrore fuisse confectum, quippe qui petita nec facere posset, nec auderet, tum propter alia, tum quia Romanis, inquit, consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de Corpore. Quando itaque ratio, vel observantia in aliquos principes viros exigebat, ut vel Pontifex Maximus, vel Prælati Ecclesiarum inferiores, Reliquias aliquas dono darent, tunc Sudaria, & Vela ad Sanctorum Ossa, aut Cineres admota, vel tenuissimas ac minutissimas Catenarum S. Petri rasuras pro magno munere mittere solebant. Propterea si aliquando inter legendum Ecclesiasticas historias occurrerit inveni- re, Claves S. Petri ad Regem aliquem missas fuisse, cave, ne intelligas, missum fuisse Papale insigne, ut inepte ex heterodoxis nonnulli interpretantur; nam Claves illæ nihil erant aliud, nisi thecæ quædam pretiosæ, quibus Reliquiarum fragmenta servabantur: solemne enim erat, teste Bellarmino *de transl. Imp.* Romanis Pontificibus, cum summo aliquem munere afficere voluissent, rasuram Catenarum S. Petri, aut aliquid aliud generis ejusdem, clavicula aurea, vel argentea inclusum mittere. Has Claves Ado Viennensis, & Abbas Uspergensis, Confessionis S. Petri, idest Sepulchri Claves appellant; & pro munere missas a Leone Pontifice ad Carolum Magnum scribunt. Hactenus inspicientes Ecclesiam Latinam.

3. Si vero Græcam Ecclesiam spectemus, ipsa jam inde ab initio & in sacras Reliquias perhonorificam se præbuit, & vetus apud eamdem consuetudo fuit, ut Ossa, Membra, vel etiam Corpora Martyrum ex loco in locum transferrentur consensu Principum, videlicet Imperatorum, & consensu Episcoporum. De facto legimus, Constantinopolim translatas fuisse summo cum honore Reliquias Sanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, tempore Constantini Magni, teste S. Hieronymo contra Vigilantium. Quare ajebat S. Gregorius *in cit. ep.* 30. *ad Constantiam Augustam*: *De Græcorum consuetudine, qui*

Ossa

Ossa levare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.

4. Quando autem mos invaluerit etiam apud Latinos, ut distraherentur, & asportarentur Ossa, & Corpora Sanctorum, incertum est. Crediderim tamen, id factum esse circiter sæculum octavum; tunc enim Franci rerum potiti, cum pii eorum Principes passim per Galliam, & Germaniam Templa exædificarent, ut ad ea ex Urbe Ossa & Corpora Martyrum transferrentur, vehementer efflagitarunt, atque eorum precibus Romana Ecclesia tandem cessit, ut genti optime de se meritæ gratam & munificam se se ostenderet.

5. Porro semper Ecclesia universa diligenter curavit, uti docent Bellarminus *de Reliq. c.5.* Ricciull. Raynaudus, aliique, ne in Reliquiarum cultu fraudes fierent: & quamvis aliquando contigerit, ut pro Sanctorum Reliquiis Ossa, vel Corpora impiorum, aut perditorum hominum haberentur, prout accepimus *ex Cap.1. de Rel. & ven. Sanct.* & ex S. Augustino, & Severo *in Vita S. Martini*, id tamen contigit in iis falsis Reliquiis, quas privatus nonnullorum error, vel malitia venerationi alicubi exposuit, non autem in iis, quæ publico cultui universæ Ecclesiæ proponuntur; quinimo pie credendum est, inquit Suarez *in 3. p. tom.1. disp.55. sect.2.* non permissurum Deum ejusmodi errorem in hoc publico cultu. Quod autem privatus error alicubi irrepserit sive ex malitia hominum, sive ex inadvertentia, vel incuria alicujus Episcopi temere approbantis Reliquias, id pietati Fidelium circa sacras Reliquias nequaquam debet obstare; nam periculum formalis erroris, ut ita dicam, nullum est, cum in ratione formali adorandi, virtualiter contineatur conditio errorem excludens, ex Suarez *ibidem*. Nec omnes id Reliquias suspectas potest reddere: sicuti fraudes, quæ aliquando contingunt circa natales liberorum, non quoslibet illegitimitatis suspicione aspergunt. Cæterum, ut dicebam, semper Ecclesia diligentem pro temporum varietate curam adhibuit, ne fraudes hac in re committerentur, & a suis quidem primordiis cavit, ne Martyrum Corpora cum aliis confunderentur, atque idcirco varia signa & symbola in eorum sepulchris expressit, quibus Sancti Martyres ab aliis secernerentur; nam ibi veteres Christiani & Inscriptiones, & Vas Martyris sanguine plenum apponebant, quod erat & religionis Fidelium erga sanguinem Martyrum indicium, & posteritati de sepulti hominis Martyrio argumentum: deinde consequentibus temporibus præscripta lex erat apud Fideles, ne quis ut Martyr adoraretur, qui non esset vindicatus; idest, de cujus Martyrio non esset ab Episcopo quæstio instituta, resque omnis ad liquidum explorata, uti habetur ex Optato *cap.1.* Imo tam severe cavebatur, ne Reliquiæ falsæ pro veris obtruderentur, ut alicubi, & aliquando illæ dumtaxat legitimæ & veræ haberentur, quæ præsentatæ Episcopo, & igni traditæ, ab incendio illibatæ remanerent, ex Concilio Cæsaraugustano II. de qua per ignem probatione fuse tractat Raynaudus *tom.15. Heterocl.* eamque a Monachis Cassinensibus adhibitam narrat Leo *in Chronic. Cassin. tom.2. cap.34.* ut veritas patefieret circa particulam Lintei, quo pedes Discipulorum Christus absterserat. Quam-

quam hic mos ab Ecclesia Romana, quæ omnium Mater & Magistra est, nunquam fuerit comprobatus; est enim talis probatio, species tentationis Dei, ac de se illicita: culpa tamen apud aliquos vacavit propter priscam illam simplicitatem, vel propter specialem Dei instinctum. Ex quibus pronum est colligere, valde illos hallucinari, qui veterum temporum afferunt in Reliquiarum disquisitione incuriam, ut suam pallient erga sacras Reliquias irreligiositatem.

6. Postremis demum temporibus plura sunt constituta ad arcendas fraudes, & ad veras Reliquias dignoscendas; nam *in Cap. Audivimus, de Reliquiis, & ven. Sanctorum*, statutum est, non licere alicujus Reliquias venerari tanquam Sancti, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ: deinde *in Cap. Cum ex eo, h.t.* ex Innocentio III. in Concilio Generali Lateranensi decernitur, ut novas, seu recens inventas Reliquias nemo publice venerari audeat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ: tandem sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 25. sancivit, novæ Reliquiæ ne recipiantur, *nisi* Episcopo *recognoscente, & approbante: qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit &c.* Quibus stantibus legibus undequaque sanctissimis, cum Episcoporum nonnullis adeo in religionem venerit Reliquiarum approbatio, ut conscientiæ lædendæ metu, ab ea non raro repellantur, nonnullis vero plus æquo facilis res videatur, & explicata; idcirco ex Canonistarum, ac Theologorum placitis illud proferam, quod certos hac in re fines servare doceat, & ita a nimia laxitate unusquisque abhorreat, ut nullatenus in summum jus, & in nimis rigidam ac severiorem legum custodiam declinet: nimia enim justitia, ut ajebat S. Ambrosius ad Honorium, *peccatum incurrit*.

§. II.

7. REM totam quatuor dumtaxat propositionibus complectar. Ajo itaque primo. Episcopus non debet in authenticandis Reliquiis procedere temere, ac sine matura consideratione. Deinde debet advertere, an Reliquia, quæ sibi exhibetur authenticanda, talis sit, qualem deceat publico cultui & venerationi exponi. Tertio debet advertere, an eadem sit Reliquia Sancti beatificati, vel canonizati canonizatione sive expressa, sive tacita, & virtuali, prout contingit in Sanctis antiquis. Postremo debet advertere, an taliter constet de identitate ejusdem Reliquiæ, scilicet quod ea sit Sancti, & ejus Sancti, cujus esse dicitur, ut prudenter operari censeatur, qui illam ut talem judicat, & approbat. Explico has quatuor propositiones, eundo per singulas.

Propositio I.

8. Episcopus non debet in authenticandis Reliquiis procedere temere, ac sine accurata consideratione: nam res agitur magni momenti; siquidem agitur

tur de exercendo actum jurisdictionis voluntariæ quidem, & non contentiosæ, sed ejusmodi, quo ab Episcopo judicium in re gravi feratur, & concedatur licentia, ut Reliquia aliqua noviter inventa, idest non antea approbata, publicæ Fidelium venerationi in diœcesi sua collocetur. Nemo autem non videt, quanta circumspectione, & quam accurata consideratione id fieri oporteat. Certe quanto major res est, tanto magis delinquitur, contemnendo, vel negligendo attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit: ut colligitur ex S. Thoma 2. 2. *q.* 53. *art.* 5. unde recte docet Cajetanus *in Summa*, quod temeritas, qua absque ratione regulante opera fiunt, est peccatum mortale, vel veniale, secundum subjectam materiam. Cum autem hoc quod est dare licentiam, ut Reliquia aliqua non antea approbata, publice tanquam res sacra adoretur, sit materia, quæ juxta sacros canones, majorum instituta, & Conciliorum decreta, accuratum ac diligens exigit judicium, *Cap.* 1. *&* 2. *de maled.* Concil. Carthaginen. V. *can.* 14. & apud S. Gregor. *lib.* 12. *cap.* 14. sequitur, quod difficile admodum culpa gravi vacaret, qui temere, ac sine sufficienti veritatis inquisitione, eam licentiam impertiri non dubitaret: nam quamvis per errorem invincibilem, inquit Raynaudus *Het. tom.* 1. plebs Fidelis posset a culpa excusari, tamen ne is quidem materialis error ferendus est, quantum fieri, & præcaveri potest, ac multo minus illi causa est danda. Hinc Tridentina Synodus, prout supra diximus, *sess.* 25. decrevit, ut Episcopi ad id negotii adhiberent in consilium Theologos, aliosque viros pios: quod si aliqua hac in re gravior quæstio incideret, controversiam non dirimerent, antequam Metropolitani, & comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectarint. Ubi advertas, consilium Theologorum, & piorum virorum tam necessario adhibendum esse, ut ex Ricciullo *de Reliq. cap.* 34. aliisque citatis apud ipsum, si adhibiti ad eam rem Theologi, aliique pii viri non fuerint, approbatio, seu authentica, sit nulla. Post auditam vero sententiam Theologorum &c. resolutio spectat ad solum Episcopum, adeo ut ipse possit decernere contra eorum placita, ex Bonacina *tract. de legib. disp.* 3. *q.* 1. *p.* 4. Sanchez *in Summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 43. aliisque communiter; quia ubi solum alicujus consilium petitur, non est necesse illud sequi, *ex l. Cum pater, ff. de legat.* secus vero dicendum esset, siquando ob gravem ortam quæstionem res deferretur ad Concilium Provinciale; tunc enim Episcopus deberet manere in sententia Concilii, quia in tali casu Tridentinum non petit ab Episcopo exquirendum dumtaxat consilium, sed sententiam expectandam.

9. Dixi, nullam futuram approbationem, quando omissum esset Theologorum consilium. Hæc autem intelligas, quando agitur de propria & stricta approbatione, scilicet quando approbandæ sint Reliquiæ nunquam alias approbatæ, sed recens inventæ, vel tunc primum pro approbatione ad publicum cultum exhibitæ. Cæterum non est opus Theologorum consilio, quando non agitur de propria & stricta approbatione, sed de authentica quadam Episcopali testificatione, quod Reliquiæ alias approbatæ, & alias cultui publico expositæ, sive in se, sive in toto, cujus ipsæ sint pars, recognitæ fuerint, & compertum sit, tales esse, quales affirmantur, & quales diœcesani Episcopi

judicio olim fuerant approbatæ. Hujusmodi solent esse illæ patentes litteræ, quibus Episcopi testimonium dant super Reliquiis, ex una theca jam approbata in aliam translatis, ut communiter fieri solet: & ratio est; quia conciliaris illa dispositio loquitur de Reliquiis noviter inventis, non antea approbatis. Vide Castropal. *de adorat. disp.* 1. *p.* 6. *n.* 7.

10. Addam, etiam in casu strictæ ac propriæ approbationis faciendæ, v.g. quando Vestis aliqua alicujus Sancti primo proponitur Episcopo, ut ad cultum publicum approbetur, posse habere locum consuetudinem alicubi fortasse introductam non requirendi consilium Theologorum, ut colligitur *ex Cap. Ea noscitur, de his &c. in* 6. *Cap. Non est, de consuet. in* 6. præsertim si alias Episcopus in simili casu, quid factu opus sit, a Theologis intellexerit, vel apud eorum libros didicerit, nec specialis difficultas occurrat. Quamquam sapienter faciet Episcopus, si in quolibet casu doctos viros consulat; nam, ut de se testatur *in ep. ad Domnion.* S. Hieronymus, ipse ea etiam, de quibus scire arbitrabatur, solitus erat interrogare, & multo magis de iis, super quibus anceps erat: imo Spiritus Sanctus universim docet: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit: Eccl.* 32. Illud ad extremum noto, Theologos hac in re non esse necessario conciliariter audiendos, sed satis esse, ut seorsim interrogentur. Sententia vero Episcoporum, siquando ea opus esset, deberet esse conciliaris, seu in Concilio existentium; quia tunc, & non aliter, dicitur ferri a Concilio, ex Sanchez *lib.* 2. *Summ. cap.* 43. Barbosa 3. *part. alleg.* 97. *in fin.*

Propositio II.

11. Debet advertere, an Reliquia quæ sibi exhibetur authenticanda, talis sit, qualem deceat publico cultui & venerationi exponi. Nam licet, generatim loquendo, nomine Reliquiarum veniant ea omnia, quæ ex Sanctorum vita decedentium Corporibus reliqua manserunt, ex Layman *de observ. Fest. cap.* 5. non tamen ex iis omnia, quamvis in rigore adorari possint, de facto adoranda sunt, ac multo minus publicæ venerationi exponenda; sunt enim aliqua putrida, fœtida, in quibus indecens videtur Sanctos apprehendere, eosque in illis publice venerari. Hinc non sunt adorandi vermes, in quos Corpora Sanctorum conversa sunt, excrementa &c. ut docent Sanchez *lib.* 2. *cap.* 43. Bonacina *disp.* 3. *de adorat. q.* 1. *p.* 4. Castropalaus *de adorat. p.* 6. Item non sunt adorandæ res illæ, quibus Sanctus olim utebatur in statu peccati, & fuerunt illi instrumenta peccandi, v.g. libri hæretici, quibus S. Augustinus utebatur ante suam conversionem, epistola, quam David scripsit, ut occideretur Urias &c. ex de Lugo *de Incarn. disp.* 37. *sect.* 3. res enim pertinens ad Sanctum non debet continere turpitudinem, ratione cujus reddatur cultus indecens: unde a fortiori refellitur calumnia Lutheri referentis, Judæ proditoris nequissimi laqueum Romæ inter Reliquias asservari. Quare, ut paucis me expediam, poterit Episcopus approbare Corpora, seu Cadavera Sanctorum, Carnes, Ossa, Capillos, Dentes, Ungues, Cineres, ac Pulveres, item Vestes,

ſtes, & varia utenſilia, quibus in vita uſi fuerunt; item Vela, & ſimilia, quæ in vita Sancti tetigerunt, vel eorum demortuorum Corpori admota fuerunt: at tum in iis, tum in aliis ad Sanctos pertinentibus, maxime decentiam Epiſcopus ſpectet, & pro loci ac temporum diverſitate obſervet, quid publicus cultus, quid populi pietas, quid dignitas Eccleſiæ, quid honos Sanctorum poſtulet. Propterea olim cautum fuit a Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ne antiquæ Reliquiæ oſtenderentur extra capſam; id enim minus decorum videbatur: nam, ſi immediate aſpicerentur Oſſa nuda, ac multum corroſa, & conſumpta, ut notat Sanchez *lib.2. cap.43. n.21.* poſſet alicui, & alicubi, id præbere occaſionem errandi.

Propoſitio III.

12. Debet advertere, an Reliquia, quæ ſibi proponitur authenticanda, ſit Reliquia Sancti canonizati, vel beatificati &c. nam ſolus Pontifex poteſt approbare, ſeu licentiam dare, ut publicæ venerationi exponantur Reliquiæ Sancti nondum vel beatificati, vel canonizati, ut firmant *ex Cap.2. de Reliq. & vener. Sanctor.* Caſtropal. *de adorat. diſp.1. p.6.* Bonacina *diſp.3. q.1. p.4.* aliique. Id tamen intelligas de non habita Canonizatione tum tacita, tum expreſſa. Poſſet ſiquidem Epiſcopus approbare Reliquias ejus Sancti antiqui, de quo licet habita non fuerit Canonizatio expreſſa & ſolemnis, qualis nunc eſt in uſu, habita tamen eſt Canonizatio tacita per univerſalem Eccleſiæ conſenſum, vel per conſenſum multarum peculiarium Eccleſiarum, vel peculiaris alicujus Eccleſiæ conſenſum venerantis illum tanquam Sanctum; quia hoc Beatificationi, vel Canonizationi æquipollet, ut docent cum aliis Sanchez *loc.cit.* Bellarminus *de Canon. l.1. cap.8. ſub fin.* & Card. Lambertin. *l.2. cap.29.* modo conſenſum illum peculiaris Eccleſiæ nec Eccleſia univerſalis, nec Summus Pontifex reprobarit. Sic in Sardinia Lucifer Calaritanus, Maſſiliæ Caſſianus, Papiæ Severinus Boetius, & alii alibi, non improbante Eccleſia, publice coluntur. Vid. cit. Lambertin. *in ſuo erudito Opere l.2. cap.29.* Quod ſi aliquis peteret ab Epiſcopo, non quidem ſtrictam approbationem Reliquiæ hominis demortui cum fama ſanctitatis, ſed meram atteſtationem de identitate talis Reliquiæ relate ad cultum privatum exhibendum, non videtur quidquam obſtare, quominus eam poſſet Epiſcopus facere; quia id non eſſet dare licentiam, ut tali Reliquiæ deferretur publicus cultus, ſed ſolum ferre teſtimonium de ipſius identitate, ad hoc ut ſi qui voluerint illam Reliquiam privatim colere, id ſecurius poſſint. Caute tamen procedendum in hoc eſſet ad vitandos abuſus.

Propoſitio IV.

13. Debet advertere, an conſtet ſufficienter de identitate Reliquiæ; ſcilicet, quod ea ſit Sancti, & ejus Sancti, cujus eſſe dicitur: ita ut prudenter operari cenſeatur, qui illam ut talem approbat & judicat. Hæc ultima propoſitio multos angit ac vexat, præſertim conſulentes, non Theologos, prout exi-

exigit Tridentinum, sed suos Secretarios, aut quosdam ex suis administris leviter instructos, qui hac in re, ut vitium fugiant, in contrarium currunt, & putant se obsequium præstare Deo, cum per falsam quamdam religionem plures sacras Reliquias debito illis cultu prohibuerint, non intelligentes, quod excessus in cultu Sanctorum, nempe quando in cultu exhibendo exceditur & erratur, facit hominem superstitiosum; defectus vero, scilicet quando cultus vel impeditur, vel despicitur, vel negligitur, facit hominem irreligiosum. Utrumque est vitium, utrumque religioni opponitur. Laudanda est quidem cautela, ne cultus excedat; at suus sit cautelæ modus, ne cultus deficiat.

14. Proinde duo sunt hominum genera, qui extra modum, & ultra quam satis est, meo quidem judicio, cavent. Alii videlicet, qui in approbandis Reliquiis videntur de earum identitate exigere fere evidentiam; nam nisi ipsimet suis oculis viderint extractionem Reliquiæ ex loco plane authentico, sigillo munito, ac firmissimis per Notarium instrumentis roborato, quæ nullatenus impugnari possint neque ratione causæ efficientis, neque causæ formalis, imo nisi ipsi suis manibus Reliquiam ex tali loco extraxerint, negant omnino approbationem. Alii contenti sunt quidem certitudine morali, sed volunt certitudinem moralem summam; & idcirco, nisi motiva talia concurrant, quæ nullum prorsus relinquant suspicioni, aut formidini locum, nisi testes afferantur plures, gravissimi, & religiosissimi, nisi tota inventæ, vel habitæ Reliquiæ historia jam inde a suis primis auctoribus commemoretur, & quando, quomodo, quibus auxiliis ad has tandem manus pervenerit, manifeste deprehendatur, approbationi faciendæ nullatenus indulgent. Nimia hæc prorsus in utroque, quantum ipse assequor, est cautela. Profecto si tanta hæc cautio requireretur, plures & plures sacræ Reliquiæ, quæ in publica Fidelium veneratione jam sunt, vel removendæ essent, vel ab initio non fuissent cultui exponendæ. Nam exempli gratia, teste doctissimo Boldetto *lib.3.cap.11.* Corpus S. Antonii Abbatis in monasterio Viennensi ex unius jurati testimonio a Legatis Apostolicis publicæ venerationi datum est. Idem factum esse respectu alterius insignis Reliquiæ ex dicto unius Principis infidelis, refert Sinningh, prout mihi indicavit Eminentissimus Dominus meus Card. Finy, studiosorum amator. Item, teste Ambrosio de Morales *in 2.p. Historiæ Generalis Hispan. l.17. c.1.* apud Dianam *tom. 2. misc. 1. resol. 51.* ejusmodi certitudinem non habebant Sanctorum Corpora, quæ Cordubæ inventa sunt *anno* 1575. & ad publicum cultum deinde approbata &c.

15. Recte igitur compositeque medium alii tenent, ac satis ii ab extremis declinant, dum sufficientem ac necessariam in hoc negotio illam certitudinem existimant, deductam ex solido fundamento, non quidem prorsus convincente & infallibili, sed excludente dubium practicum de opposito, & sufficiente ad rei judicium prudens, quamvis compossibile cum scrupulo, suspicione, ac formidine suæ veritatis. Ita communiter docent Theologi, Bellarmin. *tom. 2. lib. 2. de SS. Reliq. cap. 4.* Suarez *de Incarn. disp. 55.* Sanchez *lib. 2. cap. 43.* Diana *p. 2. tract. 1. Miscell. resol. 51.* Baldellus *de adorat. disp. 16.* Castropalaus *loc. sup. cit.* Card. Pallavicinus *in sua epistola ad Episcopum Urbevetanum*, aliique pas-

passim. Et ratio est; quia illa certitudo requiritur & sufficit ad authenticandas Reliquias, quæ per se requiritur & sufficit ad adorandas publice Reliquias; siquidem ea quæ sunt ad finem, non plus exigunt, quam exigat ipsemet finis: atqui ad adorandas publice Reliquias per se requiritur & sufficit certitudo moralis, non plane convincens & infallibilis, sed deducta ex fundamento prudenti, excludens dubium practicum, & compossibilis cum suspicione, ac formidine de opposito; nam adoratio, sicut actus aliarum virtutum moralium, non prærequirit in nostro intellectu cognitionem evidentem, infallibilem, veram, sed prudentem de eo, quod res sit adoratione digna, eo ferme pacto, quo actus misericordiæ dandi eleemosynam pauperi, non prærequirit in nostro intellectu cognitionem infallibilem, aut veram de alterius indigentia, sed prærequirit cognitionem prudentem de eo, quod ille sit pauper, quod ille indigeat: ergo &c. Confirmatur exemplo adorationis Divinæ Eucharistiæ; siquidem publice adoratur Hostia consecrata, quamvis de Consecratione hujus individuæ Hostiæ non habeatur, nisi certitudo moralis deducta ex fundamento solido, sed non infallibili & convincente. Stat igitur, non evidentiam, non certitudinem moralem summam, sed certitudinem ex motivo prudenti per se prærequiri, & sufficere ad authenticandas Reliquias.

16. Dixi, ad adorationem publicam per se requiri & sufficere certitudinem deductam ex motivo prudenti. Ubi notes ly per se, nam per accidens, & ad vitandas fraudes in cultu Reliquiarum, Concilium Lateranense, & Tridentinum decreverunt, ut ea sola non sufficiat ad exhibendum cultum publicum, sed præterea requiratur judicium publicum, idest judicium personæ & potestatis publicæ, qualis est Episcopus, seu Ordinarius: requiratur nempe ea authenticatio, de qua loquimur. Hinc habes, quid intersit cultum publicum inter, & privatum Reliquiarum: nam uterque prærequirit in nostro intellectu cognitionem moraliter certam, deductam ex motivo prudenti de eo quod res sit cultu digna: at cultus publicus præterea exigit ex lege Ecclesiastica judicium personæ publicæ de ea veritate: cultus vero privatus id non exigit ex ulla lege, sed contentus est judicio personæ privatæ cultum exhibere volentis.

17. Dubitabis, quænam sint ea fundamenta solida, ex quibus potest Episcopus efformare judicium prudens, & devenire ad authenticandas Reliquias? ℞. ea enumerari prolixe a Ricciullo *de Reliq. cap.* 31. & a Boldetto *lib.* 3. *cap.* 11. Aliqua ex illis do. Ac primo fundamentum solidum est traditio, seu diuturna Ecclesiæ veneratio: si enim in aliqua Ecclesia quædam Ossa v. g. pro Ossibus alicujus Sancti canonizati habita sunt a multo jam tempore, etsi alia testimonia modo exhiberi nequeant, quia incendio, aliisque casibus periisse potuerunt, ipsa publicæ persuasionis continuata vetustas sufficit ad approbationem: ut firmant cum communi Azor. apud Layman *de adorat. c.* 5. & Ricciull. *loc. cit.* Neque obstat judicium quoddam reflexum formidolosum, scilicet possibile esse, quod aliqua fraus temporis decursu intervenerit, quod Ossa sacra fuerint sublata, & profana in eorum locum substituta: nam, esto id possibile sit, tamen probabile non est, quod de facto ita sit; siquidem nullum de hoc est positivum fundamentum, ut suppono: sicut licet possibile sit, quod Parochus

non

non habuerit intentionem me baptizandi, tamen non eſt probabile, quod de facto eam non habuerit, & idcirco ſtulte & imprudenter abſtinerem ab iis, quæ conveniunt baptizato. Hinc recte monet citatus Boldettus Viſitatores Eccleſiarum, ne deveniant ad ſuſpendendum cultum publicum Reliquiarum, ſtatim ac illas ſine ſigillo, & ſine authentica ſcriptura repererint: nam antiquæ Reliquiæ, & ab immemoriali, ſeu per ſpatium 40. annorum poſſidentes cultum, non ſunt ab eo exturbandæ; præſertim cum olim non eſſet in more poſitum, ut Reliquiæ ſigillo munirentur, atque idcirco plures ſine ſigillo repertæ, ſed aliis ſignis probatæ, tum Romæ, tum alibi publica veneratione donatæ ſunt.

18. Eſt etiam fundamentum ſolidum, teſtimonium perſonarum piarum, quæ ſint fide dignæ, & nullam patiantur exceptionem, ex Ricciull. *ibid.* & *ex Cap. Venerabili*, *de teſtibus*. Imo recte Baldellus *diſp.16. de ador.* docet, ſufficere teſtimonium unius viri pii & fide digni; nam communis regula eſt, quod, quando non agitur de præjudicio tertii, ſatis probet unicus teſtis. Hinc *ex Can. Parvulos*, *de Conſecr. diſt.4.* ſi unus teſtificetur de Baptiſmo parvuli ſubtracti a parentibus, ſtandum eſt omnino illi, neque amplius eſt dubitandum, an ſit baptizatus; & ex Sylveſtro, ac Panormit. *in Cap. Propoſuiſti*, *de conſecr. Eccleſ.* ſi unus teſtificetur de viſu, vel etiam, ut aliqui volunt, de auditu, quod hæc Eccleſia, vel Altare ſit conſecratum, ſtandum ſimiliter eſt illi, neque amplius eſt dubitandum de conſecratione, cum non agatur de præjudicio alterius. Cum igitur in re præſenti de approbandis, & exponendis Reliquiis, ſimiliter non agatur de ullius præjudicio, ſtandum eſt ſimiliter dicto unius fide digni, neque ulterius eſt dubitandum de eo quod tales Reliquiæ abſolute ſint dignæ, quæ approbentur, & exponantur. Confirmat id ipſum citatus Auctor ex praxi & exemplis a ſe adductis cum multorum Epiſcoporum, tum ipſius Pauli V. Summi Pontificis in oppido Sabinenſi approbantis per Card. Vicarium plures Reliquias ex ſola unius fide digni atteſtatione. Extat etiam apud Boldettum nobiſcum ſentientem egregium hac de re ſuffragium, ſeu diſquiſitio theologica P. Fr. Gabrielis a S. Vincentio Carmelitæ Diſcalceati, quam videas, ſi lubet.

19. Quamvis vero teſtis fide dignus, & omni exceptione major, in rigore loquendo talis, plus ſit, quam teſtis ſimpliciter habilis, ex Pikler *de teſtib.* & unus ſuperet alium, tanquam comparativus poſitivum gradum, crediderim tamen, eſſe in arbitrio Epiſcopi, ſi, quando agitur de admittendo unius duntaxat teſtimonium in hoc negotio, velit admittere teſtem omni exceptione majorem in ſignificatione minus rigoroſa denotante teſtem ſimpliciter habilem & idoneum; quia in aliis cauſis etiam gravibus dictum unius teſtis ſimpliciter habilis ſæpe dat juſtam & probabilem cauſam credendi, ſicut indicat Gloſſa *in l. Titio fundus ff. de condit. & probat.* Navarr. *l.1. conſil.1. num.2. de teſtib. & atteſt.* Quare non exiſtimarem neceſſarium, ut teſtis ille unicus eſſet qualificatus, v.g. Sacerdos, Religioſus, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus &c. dummodo eſſet ſimpliciter habilis, & ex utroque jure idoneus, qualis non cenſeretur perſona valde vilis & pauper, *Can.7. cauſ.2. quæſt.1.* niſi vita ejus & fama

fama integra tolleret suspicionem corruptionis, quæ præsumitur ex nimia egestate & vilitate per *Cap.8.de test.*

20. Sunt, qui nolint hac in re admittere testem de credulitate, nec stare testimonio ejus, qui testificatur, se credere, hanc, vel illam Reliquiam veram esse, propter hanc, vel illam rationem, v.g. ex eo quod illam ex tali loco, ex tali persona acceperit &c. Verum ii meminisse debent, quæ tradunt Farinaccius *q.68. de test.* & Mascardus *conclus.* 459. cum Reiffenstuel, aliisque, nempe testem de credulitate probare, quando sufficientem reddit rationem credulitatis suæ. Quare, si persona fide digna asserat, se credere hanc Reliquiam esse veram, & afferat suæ credulitatis sufficientem rationem, v.g. quia vir pius ac sapiens sibi illam dedit, affirmans in fide viri nobilis, vel Sacerdotis, vel cum juramento, eam esse talis Sancti, non video, cur ejusmodi testimonio standum non sit. Certe huic testimonio steterunt Legati Apostolici, ut supra diximus, in approbatione Corporis S. Antonii Abbatis. Huic pariter testimonio assensi sunt judices illi Ecclesiastici, qui nuper publicæ venerationi restituerunt Corpus S. Joannis de Matha ex Urbis Ecclesia S. Thomæ de Formis clam olim sublatum, Madritumque delatum. Huic etiam stant plures Ecclesiæ publice exponentes Reliquias S. Martini, quas ab incendio subductas opera piorum, viri fide digni crediderunt.

21. Tertium fundamentum, unde desumi potest probatio prudens Reliquiæ, est scriptura, quæ simul cum Reliquia reperiatur vel in charta, vel in membrana, vel in silice sculpta, testans, eam esse Sancti, vel talis Sancti, ex Ricciull. *cap.* 31. Limites, nisi per exceptionem legitimam elidatur tanquam supposititia, ut si in ea sit error & falsitas circa tempus datæ, vel circa locum, aliasque conditiones &c. Vidi olim scripturam quamdam authenticantem Reliquiam, cujus auctor dicebatur Martinus V. data tamen erat biennio ante quam ille Pontificatum iniret, idest quando erat Cardinalis Columna, non Martinus V. & idcirco supposititiam judicavi. Huc etiam posse revocari crediderim signa concludentia Martyrium susceptum pro Christo juxta morem veterum Christianorum, v.g. Vas cum sanguine, de quo solidas habet observationes eruditissimus Boldettus *Osserv. su' Cimiterj lib.* 1. *cap.* 20. & noster Lupi *dissertat. ad Epit. S. Severæ* §. 6.

22. Tandem probatio prudens Reliquiæ eruitur ex miraculis, quæ per ipsam fiant, vel facta fuerint. Sic probata olim fuit veritas in Inventione Sanctæ Crucis. Porro inter miracula computari censet Ricciullus, si Reliquia suavem efflaverit odorem & peregrinum, prout in Inventione Corporum SS. Stephani, & Sociorum contigisse scribit Lucianus.

§. III.

23. Ex hactenus relatis perspicuum est, non esse unicum, & indispensabiliter necessarium modum probandi veritatem Reliquiæ, sigillum Episcopale cum ejus authentica scriptura, ut videntur nonnulli existimare. Aliud

enim eſt, quod Epiſcopi approbatio neceſſaria ſit ad dandum Reliquiæ cultum publicum; aliud, quod ejus teſtificatio, & ſigillum omnino requirantur ad Reliquiæ probationem, ſeu ad judicium prudens de ejuſdem identitate efformandum. Illud primum certum eſt ex Concilio Tridentino: hoc ſecundum non ita eſt; ſiquidem probatio non pendet unice ex tali motivo, ſed ex aliis quampluribus argumentis. Propterea ſicuti illud Epiſcopi maxime cavere debent, ne temere & ſine matura conſideratione Reliquias approbent, ita ex defectu ſolius ſcripturæ authenticæ, ac ſigilli Epiſcopalis Reliquiam obſignantis, non videtur fortaſſe opportunum, ut ipſi obtinendæ a ſe approbationis ſpem omnino omnem præcidant. Certe ex hiſtoriis, & quotidiana praxi Romanæ Curiæ accepimus, approbari multas Reliquias, de quarum veritate conſtat, non per ſigillum & litteras Epiſcopales, ſed per alia argumenta, ut docemur apud Boldettum. De facto, ut cætera omittam, Gregorius XIII. per Jacobum Card. Sabellum, ſuum in Urbe Vicarium, approbavit Reliquias Sancti Felicis Papæ & Martyris, SS. Marci, & Marcelliani &c. non quia Epiſcopali authentica munitæ, & Epiſcopali ſigillo obſignatæ eſſent, ſed quia in unius Aræ pervetuſtæ demolitione effoſſi ſunt duo loculi cum hiſce inſcriptionibus: *Hic requieſcit S. Felix Papa, & M. qui damnavit Conſtantium Hæreticum*: &: *Hic requieſcunt Corpora SS. MM. Marci, & Marcelliani &c.* Nec quiſquam jure criticus ex mera poſſibilitate deceptionis, aut falſitatis, auſus eſt ſapiens prudenſque judicium improbare.

24. Cum autem, ut ſupra diximus, debeat non ſolum Epiſcopus advertere, an Reliquiæ ſint Sancti canonizati, ſed etiam an ſint ejus Sancti, cujus eſſe affirmantur; ſupereſt videre, an, & qualiter peccaret, qui pro Reliquia unius Sancti ſupponeret aliam Reliquiam alterius Sancti: v. g. qui Reliquiam Sanctorum ex Cœmeteriis ſupponeret pro Reliquia S. Laurentii &c.? ℞. diſtinguendum eſſe inter illum, qui pro Reliquia Sancti majoris ſupponeret Reliquiam Sancti minoris, v.g. pro Oſſe Sancti Petri Apoſtoli ſupponeret Os alterius Sancti non Apoſtoli, pro linteo B. M. V. linteum alterius S. Virginis; & illum, qui pro Reliquia Sancti alicujus certi Ordinis, puta Martyris, ſubſtitueret Reliquiam alterius Sancti, quem certo ſciret vere eſſe ejuſdem Ordinis. Si primum, eſſet ſuperſtitio ex ſe gravis, & mendacium pernicioſum: nam procuraretur cultus indebitus tali Reliquiæ, nempe cultus vel hyperduliæ, vel duliæ ſuperioris, qui revera illi non deberetur, illique non competeret: deinde cum mendacium eſſet in iis, quæ pertinent ad religionem, eſſet de ſe maxime pernicioſum, ut habet S. Auguſtinus *lib. contr. mendacium cap.* 14. Si ſecundum, minus quidem eſſet peccatum, quia mendacium & deceptio ſolum eſſet quo ad conditiones individuales perſonæ adorandæ, non autem quo ad dignitatem, & ſanctitatem, vel quo ad meritum, & modum adorationis: at etiam in hoc caſu peccaretur ex mendacio de ſe gravi, quamvis per accidens levi. Neque poſſet excuſari per hoc, quod nomina ſint ad placitum, & poſſint pro arbitratu imponi, quomodo ille olim, qui S. Felici ad Martyrium eunti ſe adjunxit, appellatus fuit Adauctus: nam non pertinet ad unumquemque imponere nomina rebus, aut perſonis, ſed ſolum ad eos,

eos, qui ad id habent potestatem, qualis esset in re præsenti Pontifex, vel Episcopus; & hi quoque debent cavere a mendacio ac deceptione, neque possunt Reliquiam, cujus nomen ignorant (& multo magis si sciant), appellare S. Petri Apostoli, aut S. Laurentii Martyris &c. quæ essent pessima mendacia, sed solum possunt nomine aliquo appellativo, aut certe distinguibili ab aliis appellare, v. g. S. Felicem, S. Fortunatum &c. Vid. Baldell. *de ador. lib.* 3. *disput.* 17. Boldett. *in Observ.* Neque dicas, aliorum pietatem erga sacras Reliquias promoveri affigendo nomen Sancti cogniti Reliquiis Sancti incogniti; nam optime respondent Bollandistæ *tom. ult. Julii p.* 33. *cultum Sanctorum, qui veritate niti debet, falsa plebis persuasione augendum non esse. Quod si fervor quorumdam intepescat, quia Sanctum illum ignotum esse intelligunt, concionatorum est plebejo isti errori occurrere, & auditores suos ad veram solidamque Reliquiarum venerationem hortari. Doceant illos, quod per intercessionem ignotorum Martyrum aliquando plura præstentur beneficia, dum eorum auxilium viva fide imploratur. Exemplo esse potest S. Eugenius M. ex Cæmeterio Sancti Cyriaci in Angelomontanum monasterium translatus, cujus invocatione plura quam* 700. *miracula contigerunt &c. Narrent terribilem punitionem æditui, qui Reliquias cujusdam Sancti sibi ignoti contemnens, ab ipso Sancto apparente ita multatus est, ut postridie moreretur, sicut in Opere nostro ad diem* 26. *Maji tom.* 6. *pag.* 440. Hactenus Bollandistæ.

25. Quæres ad extremum, an possint approbari, & ad cultum publicum exponi, non solum Reliquiæ magnæ quantitatis, v. g. Corpora, Ossa, & fragmenta non exigua, sed etiam minutiæ parvulæ Reliquiarum? ℞. posse ad publicum cultum exponi minutias etiam parvulas Reliquiarum. Ita ex Patribus, ac Theologis tum Polemicis, tum Scholasticis apud Raynaudum *tom.* 15. *Heter.* 1. Nam, esse hanc Martyrum gloriam, inquit Sanctus Ambrosius *serm.* 93. ut, seminata per universum Mundum in cineribus portione, maneat integra in virtutibus plenitudo. Hinc S. Paulinus Episcopus dono mittens particulam S. Crucis, sic *ep.* 11. affatur Severum: *Accipite magnum in modico munus, & in segmento pene atomo hastulæ brevis sumite munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus; sed interna acie totam in hoc minimo vim Crucis videat.*

26. Hæc ad sacrarum Reliquiarum venerationem olim scribebam. Superesset inquirere, utrum fas sit easdem sacras Reliquias rite approbatas e collo appensas deferre? Verum paucis res conficitur: quamvis enim non defuerint, qui veluti irreligiosum id existimaverint, nihilominus in contrarium est auctoritas, & praxis: auctoritas quidem; nam id pium esse ac religiosum censet S. Thomas 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *ad* 3. cui subscribunt Rosella *v. Reliquiæ*, Sylvester, Armilla, Tabiena, Suarez *de superst. cap.* 5. *num.* 16. Vasquez *lib.* 3. *de adorat. disp.* 3. *n.* 115. aliique quamplures Theologi: praxis vero multorum Sanctorum idem confirmat; nam accepimus ex sacris historiis, S. Macrinam, sororem S. Gregorii Nysseni, in anulo, sive circello, quem e collo suspensum gestabat, habuisse particulam Ligni S. Crucis,

 item

item S. Gregorium Turonensem ejusdem SS. Crucis Reliquias circa pectus pendentes, ac thecæ inclusas præsetulisse: ac de Sancto Thoma Doctore Angelico constat ex Surio 7. *Martii*, consuevisse Reliquias S. Agnetis e collo suspensas ferre. Quare non est, cur quisquam, publica carens Ecclesiastica potestate, tanquam irreligiosum id vetet, aut tanquam minus pium coarguat: quinimo pietati Christianæ id valde consentaneum, & religioni accommodatum, si rite ac devote id fiat, apud quemlibet pro explorato haberi necesse est. Hæc sub censura &c. salvo &c.

FINIS.



DE

DE TUENDA PACE
ET
CONCORDIA
INTER
EPISCOPUM, ET CAPITULUM.

PRÆFATIO
AD LECTOREM,

In qua occasio, & intentio Operis exponitur.



IR dignitate amplissimus, mihique pro ea qua est humanitate, & multis officiis, & summa consuetudine devinctus, petivit a me Epitomen Juris Episcopalis supra Capitulum; scilicet, ut unicuique quod suum est tribueret, & in gerenda re publica, facem praeferente doctrina, securus incederet. Dicto, ut par est, audiens fui: illico probatis ex Auctoribus, praesertim ex Suarez, Castropalao, Layman, & Sanchez inter Theologos, ex Barbosa, Card. de Luca, Pace Jordano, ac Fagnano inter Canonistas Opusculum conscripsi, quo universam pene rem acervatim in breve coegi, illudque spectatissimo viro in obsequii significationem obtuli. Et quidem lucro id unum apposueram, quod praecellenti viro operam meam addixeram, ac laborem non exiguum probaveram: quando ecce tibi in mentem venit, facturum me operae pretium, si publico omnium bono proponerem, quae privatae unius utilitati collegeram. Nec mora: quod in mentem venerat, amplector, rem adorno, quaeque sive scripseram, sive ex probatis Auctoribus exscripseram, in lucem edo. Habes, amice lector, paucis, ac Latine occasionem scribendi, & causam, cur scriptum ediderim. Quamobrem, si aliud suspiceris, si consilium hoc malevertas, vide, ne apposite cadat in te illud Angelici sapientissimum effatum, nempe: Cum aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei; ex levibus signis opinatur mala de ipso.

Profecto id formidare de te nolim, nec animo id unquam concipiam, ac propterea cujuslibet pravae suspicionis amovendae minime sollicitus, eo curas omnes convertam, ut quae congesserim, in medium afferam, & illud a Deo Optimo Maximo etiam atque etiam rogem, ut Opus hoc qualecumque est, in ipsius gloriam sit, & tibi ac caeteris legentibus perinde jucundum ac fructuosum accidat.

PARS

PARS PRIMA

DE TUENDA PACE ET CONCORDIA INTER EPISCOPUM, ET CAPITULUM.

CAPUT I.

Præmittuntur notiones aliquæ præliminares.

§. I.

Quid sit Capitulum, & quæ ejus dignitas.

1. VOX hæc Capitulum, prout in jure ad rem præsentem accipitur, duplicem habet significationem: primo enim significat ipsum collegium Canonicorum; deinde significat locum ipsum, ubi Canonici, seu Capitulares congregantur, ut *in Cap. In causis, de elect.* & Azor. *lib.* 3. *cap.* 37. *quæst.* 1. Equidem in præsenti eam usurpabo in prima dumtaxat significatione; quæ ut planius innotescat, paucis nonnulla perstringam. Sciendum quippe est, primis Ecclesiæ sæculis Presbyteros, & Diaconos in civitate Episcopali curam animarum gerentes unum cum Episcopo quasi corpus constituisse, senatumque formasse, quos idcirco S. Ignatius Martyr scribens ad Magnesianos ait esse loco Senatus Apostolici: cum autem progressu temporis Presbyterorum numerus cresceret, cœperunt Episcopi e Clero quosdam seligere, sibique arctius devincire, quorum consilio, & opera diœcesim suam regerent. Hi vero non statim in communi, ut docet Thomassinus, vitam egerunt, sed seorsim viventes constitutis temporibus simul ad Ecclesiasticas functiones conveniebant, iisque ab Episcopo certa quædam portio ex redditibus Ecclesiæ impertiebatur: cœperunt deinde communem vitam sub Episcopo ducere, in eadem domo veluti in quodam collegio manere, simul cibum capere, & Apostolos imitati, nihil proprium possidere. Ex tali vivendi genere dicti sunt Canonici, idest Regulares, quippe qui canonem, videlicet regulam Apostolorum servabant. Quando vero sic cœperint appellari, incertum est; siquidem ajunt nonnulli, teste Azor. *lib.* 12. temporibus Pelagii I. & Gregorii Magni eos Clericos Canonicos cœpisse vocari: nam in Concilio Turonensi II. quod celebratum est tempore Pelagii I. *can.* 20. legimus: *Pro qua re placuit observare, ut quotiescumque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.* Et in *Can. Dudum* 18. *q.* 2. ex S. Gregorio Magno refertur: *Nec illic ullatenus habeat potestatem aliquam, nec monasteria hujus occasionis velamine ea, quæ prohibemus, simul cum Canonicis, & Monachis in Ecclesia sustinere onera compellantur.*

Quid-

Quidquid sit, illud satis constat ex Conciliis Arelatensi, Moguntinensi, Aquisgranensi, jam inde a tempore Caroli Magni, & Ludovici Pii Canonicorum nomen invaluisse.

2. Horum igitur Clericorum, qui Canonici appellantur, collegium, dicitur, & est Capitulum: olim vero dicebatur Consilium Episcopi, teste Barbosa *de Can. cap.* 1. *ex Can. antepen.* 12. *q.* 2. Unde fit, ut Doctores passim sic describant Capitulum: *Congregata universitas, sive collegium Clericorum, qui sub uno Prælato, ut membra sub uno capite, degunt, & cum eo unum corpus constituunt*. Sic videre est apud Gonzalez *in Cap.* 1. *de his, quæ fiunt &c.* apud Schmalzgrueber, aliosque *eodem titulo*.

3. Notandum autem est, collegium Canonicorum, non solum apud Ecclesiam, in qua est Cathedra Episcopi, sed etiam apud alias Ecclesias institutum processu temporis fuisse; atque idcirco illud dictum est Capitulum Cathedralis, hoc verò Capitulum Collegiatæ, idest Ecclesiæ habentis collegium Canonicorum: quamquam nomine Capituli antonomastice veniat Capitulum Cathedralis, *de verb. signif. Cap. Cum Clerici*, & de eo intelligendi sunt tituli in Decretalibus *de his, quæ fiunt &c.* nam Capitulum Collegiatæ proprie & in rigore collegium est, non autem Capitulum in stricta juris acceptione, licet etiam Capitulo Collegiatæ conveniat magna ex parte descriptio superius data de Capitulo. Huic juris acceptioni ipse adhærens, nomine Capituli intelligam in re præsenti Capitulum Cathedralis, ita tamen, ut nequaquam exclusum omnino velim Capitulum Collegiatæ. Quinimo plura, proportione servata, quæ ad tuendam pacem Capitulo Cathedralis proponam, ad Capitulum etiam Collegiatæ pertinere contendam.

4. Porro Capitulo Cathedralis ea est dignitas, ac præeminentia, ut a Tridentino ipso vocetur *senatus Ecclesiæ*, ejusque membra, seu Capitulares dicantur *Clerici primi gradus*, ex Innocentio *in Cap. Fraternitatem, de sepult.* & ideo hi omnibus debent præcedere, *Cap. Statuimus, de major. & obed.* etiam Abbatibus diœcesis, quando una cum Episcopo incedunt in Processionibus. Quinimo Pontifex Maximus eis causas delegare solet non minus, quam aliis Clericis dignitate præditis, *Cap. Statutum, de rescript. in* 6. Et quamvis, vivente Episcopo, seu sede Episcopali plena, nulla ei insit jurisdictio, nisi habitualis, tamen sede Episcopali vacante Capitulum exercet omnem jurisdictionem Episcopalem, tam voluntariam, quam contentiosam, juxta *Cap. His quæ, & Cap. Cum olim &c. de major. & obed.* siquidem, ut bene notat Carolus Antonius de Luca ad Ventrigl. *annot.* 15. §. 2. deficiente capite, mortuo nimirum Episcopo, universa jurisdictio tam in habitu, quam in exercitio manet penes Capitulum tanquam reliquum corpus politicum, seu intellectuale, quod in hoc differt a corpore naturali, ut etiam sine capite vivat, omnesque faciat operationes.

§. II.

§. II.

Qua lege, quave disciplina uteretur Capitulum ante millenarium Ecclesiæ?

5. Satis constat, per plura sæcula ante expletum Ecclesiæ millenarium Canonicos vitam duxisse communem sub immediata Episcopi cura commorantes in eadem domo, & profitentes regulam secundum canones. Ita aperte habetur *ex can.* 53. Concilii Meldensis celebrati *anno* 845. *ex can.* 8. Concilii Pontigonensis *anni* 876. aliisque sanctionibus Aquisgranensis, & Moguntini Concilii.

6. Et quidem, ut Canonicorum una esset forma, ad quam ipsi vitam moresque suos componerent, editæ sunt in Concilio Aquisgranensi *de anno* 816. constitutiones pro regulari Canonicorum vita, quas Ludovicus Pius promulgandas, atque executioni mandandas curavit, ut colligitur ex ejus epistolis datis ad Magnum Senonensem, & Sicharium Burdigalensem Archiepiscopos.

7. Quamvis vero Canonici omnes in communitate viverent, non tamen semper, aut ubique paupertatem professi sunt; sed in aliqua differentia temporis, & alicubi, teste Thomassino, Canonici vivebant quidem in eadem domo, & utebantur communi mensa, sed rerum proprietatem habebant; nam alii bona patrimonialia possidebant, alii præbenda Ecclesiastica potiebantur, alii ex communi collegii ærario certum & annuum stipendium recipiebant: lex tamen erat, ut qui præbendam sufficientem ad victum, & vestitum haberent, vel patrimonialibus bonis satis essent instructi, nullatenus ex communi ærario stipendium sibi arrogarent, ut constat *ex additione* 3. *ad Capitularia cap.* 112. singuli vero ex tribus his classibus sua bona in commune conferebant ad vitæ communis sustentationem.

8. Dixi, quod non omnes semper, aut ubique paupertatem professi sunt; nam aliquando & alicubi strictam paupertatem Apostolicam profitebantur Canonici: imo factum est, ut aliqui ex Canonicis progressu temporis, strictioris observantiæ amatores, non solum absolute vitam communem agere, sed tria vota Religiosorum Monachorum ritu & more facere cœperint, & evangelicam paupertatem professi fuerint; ac proinde duplex facta est Canonicorum differentia: alii siquidem dicti sunt Canonici Sæculares, alii Regulares. Canonici sæculares dicebantur, qui licet Apostolorum regulam tenerent, & in communitate viverent, a tribus tamen Monachorum votis liberi ac soluti erant. Canonici vero Regulares ii dicti sunt, qui instar Monachorum tria vota emittebant, & arctius se Deo obligabant: & quamvis non desint, qui ejusmodi nomen accusent vel tanquam superfluum, vel tanquam ambitiosum, siquidem vox hæc Canonicus cum idem sonet, ac Regularis, qui Canonici Regularis nomen sibi asciscunt, videntur aut abundare in iterata ejusdem nominis usurpatione, aut nimium sibi arrogare, quasi bis ita vocari velint, ne non semel putentur Regulares; nihilominus, ut optime advertit Covarruvias *in Clement. Si furiosus, de homicid. par.* 1. *n.* 1. recte compositeque id fieri ostenditur

tur ex jure, in quo non semel hæc eadem Canonicorum Regularium denominatio expressa reperitur, nec quisquam id jure improbaverit, quod a jure ipso probatum accepimus.

9. Plures Cathedrales Ecclesias diu tenuerunt & habitarunt Canonici Regulares; imo, teste Honuphrio Panvinio, iidem per plura sæcula inservierunt Ecclesiæ Lateranensi usque ad Bonifacium VIII. qui *anno Domini* 1300. exclusis e monasterio Lateranensi Canonicis Regularibus, posuit in eo Canonicos sæculares. Crediderim tamen, Canonicos Regulares utplurimum vixisse in monasteriis sub regimine Abbatum, Canonicos vero sæculares sub immediata cura Episcopi, ut constat *ex canonibus* 23. *&* 24. Concilii Turonen. III. & *ex can.* 8. Concilii Pontigonensis *anni* 876. Licet autem Canonici sæculares paupertatis voto, ut diximus, non essent obstricti, ad eam tamen plurium regularum observantiam adigebantur, ut eorum vivendi genus a Monachorum instituto non multum distaret; unde in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio *can.* 115. cautum fuerat: *Quamquam Canonici, quia in sacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare, & accipere, proprias res, & Ecclesiæ cum humilitate, & justitia habere, quod Monachis, qui secundum Regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est: non tamen in cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus eorum a Monachorum distare debet vita.*

10. Hæc sane vivendi forma in communi, & intra certos Regularum fines viguit apud Canonicorum collegia usque ad annum ferme millesimum. Quamobrem si Capitulum ante expletum Ecclesiæ millenarium respicias, illud a cœnobitico Religiosorum cœtu haud multum abfuisse deprehendes.

§. III.

Qua lege, quave disciplina uti cœperit Capitulum post expletum Ecclesiæ millenarium?

11. CUrrente sæculo Ecclesiæ decimo cœperunt Canonici a communi vita deficere, ut testatur Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi ad an.* 977. *Anno isto*, inquit, *moritur Theodoricus Archiepiscopus Trevirensis, sub quo Canonici majoris Ecclesiæ ibidem, abjecta Regulari vita, quam hucusque in eadem Ecclesia majores eorum continuaverant, desierunt esse Regulares, & facti sunt nomine & conversatione sæculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque &c.* Idem etiam deducitur ex constitutionibus Galteri Archiepiscopi Senonensis in Concilio conditis *cap.* 8. qui obiit anno nongentesimo vigesimo tertio.

12. Hæc tamen defectio non ita fuit universalis, ut statim ad omnia prorsus Capitula se extenderit; nam antiquus vivendi mos alicubi stetit ad tempora Divi Norberti, qui floruit *anno* 1130. Passim tamen ubique elanguit, adnitentibus frustra Episcopis per Italiam, Galliam, & Germaniam, ut solutam Canonicorum disciplinam ad veterem sanctimoniam, & pristinam vivendi formam revocarent. Certe ex Episcopis nonnulli cum ea in re acerrime procuran-

curanda operam se perdere animadverterent, Canonicos e Cathedrali expellere coacti sunt, & Monachos in eorum locum substituere, ut constat de Adalberone Rhemensi Archiepiscopo, & Adalberto Metensi Episcopo.

13. Tandem lapsu temporis invaluit consuetudo, ut quisque Canonicorum sibi viveret, unde desiit in illis prima nominis ratio, quæ sumebatur ab observatione regulæ Apostolicæ; adeo ut Canonicatus nihil aliud modo sit, quam jus percipiendi præbendam, hoc est portionem certam, & ordinariam Canonicis dari solitam, vel saltem jus ferendi suffragium, aut sententiam in ipso Canonicorum collegio, & habendi sedem in Choro, & recipiendi quotidianas distributiones; Canonici vero dicantur, ac sint, qui potiuntur tali jure, accepta nominis etymologia a canonica portione, quæ in eos tanquam merces & stipendium distribui solet.

14. Etsi autem a communi vita defecerint Canonici, adhuc tamen constituunt unum quasi corpus civile, habens suum proximum & immediatum caput, quale est alicubi Decanus, alibi Præpositus, aut quocumque alio nomine vocetur prima Dignitas. Propterea Episcopus est quidem ordinarius superior Capituli, ut constat *ex Cap. Novit, de his, quæ fiunt a Prælato*, ubi hæc habentur: *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, illi membra esse probentur*: tamen Capitulum, secluso Episcopo, est corpus integrum; quia habet, ut diximus, suum immediatum caput, cum quo, & ex Canonicis, privative quo ad Beneficiatos, ipsum coalescit.

15. Aliud etiam ex veteri disciplina adhuc superest, illudque est, quod Canonici in sua Ecclesia commorari, & residere debeant; quamvis enim ante Concilium Tridentinum multum huic juri consuetudo derogasset, siquidem alicubi, ac præsertim in Italia, erat usu receptum, ut Canonici a suis Ecclesiis abessent, ut testatur Abbas *in Cap. Cum omnes, de constit.* nunc vero ea consuetudo omnino sublata & abrogata est ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.*

§. IV.

Unde, & quando cœperint dissensiones ac lites inter Episcopum; & Capitulum?

16. Discordia, lis, ac dissensio aliquando est per accidens, ut inquit S. Th. 2. 2. *q.* 37. *art.* 1. aliquando est per se. Est per accidens, quando uterque dissidentium intendit bonum, sed uni videtur hoc esse bonum, alii aliud; vel uterque rationabiliter movetur ad volendum jus suum, sed jus uni ex dissidentibus re ipsa vel nullatenus, vel parum assistit. Est per se, quando quis ex voluntate sua discordat a voluntate alterius in iis circumstantiis, in quibus tenetur consentire. Discordia ex primo genere pertinet ad humanum defectum, ex S. Thoma 2. 2. *q.* 37. Discordia ex secundo genere pertinet ad defectum variarum virtutum, ex Suarez *de Charitate disp.* 11. *sect. unic.*

17. Jam vero lites ac dissensiones Capitulum inter, & Episcopum, si consulamus veterum historiarum monumenta, regulariter fuerunt ex primo genere; quamobrem earum origo ad humanum defectum est referenda. Sic Angelicus Doctor ad humanum defectum retulit eam dissensionem, quæ fuit inter S. Paulum, & S. Barnabam. Verum, quia inficiari non possumus, aliquando discordiam fuisse ex secundo genere, propterea hujus origo aliquando adscribenda est inobedientiæ, qua subditus noluit voluntatem suam conformare cum voluntate superioris rite præcipientis, aliquando adscribenda est defectui aliarum virtutum.

18. Et quidem eo etiam tempore, quo Canonici vivebant in communi sub immediata cura Episcopi ante expletum Ecclesiæ millenarium, haud dubitarim, lites aliquas & discordias eos inter & Episcopum fuisse; nam talis est humanæ naturæ conditio, ut humanum defectum secum præferat, nec omnes pro omni circumstantia intra virtutum limites se contineant. Certe observat Thomassinus *tom.* 2. *l.* 3. *cap.* 8. ex prærogativis, & honorificentiis, quæ Canonicorum cœtui tribuebantur, *subrepsisse nonnunquam minus modestis, ut inflarentur, & minus obsequentes suo se præberent Episcopo. Inde*, ait ipse, *tot Conciliorum canones, quibus vetantur Presbyteri, nisi consentiente Episcopo, tentare quidquam.*

19. Cæterum, ut hæc vetera prætermittam, & recentiora dumtaxat post millenarium persequar, tunc graves inter Episcopum, & Capitulum discordias ortum habuisse crediderim, cum ex occasione defectionis, quam fecerant Canonici a vita communi, tentarunt Episcopi, ut eos ad pristinam vivendi formam revocarent, quod contigit circa millenarium, ac tenuit duo subsequentia sæcula: per totam enim eam ætatem multis frustra conatibus captis adnixi sunt Episcopi, imo etiam ipsi Romani Pontifices, ut ad veterem disciplinam Canonicos adducerent. Hinc gravissimæ lites, discordiæ, ac dissensiones permultæ. Celebris inter alias est, quæ tunc temporis, nempe sæculo undecimo, exarsit inter S. Anselmum Lucensem Episcopum, & suos Canonicos, de qua fuse agit Andreas Rota in erudita a se nuper conscripta Sancti Episcopi Historia *cap.* 13. ubi apparet, Canonicorum aliquot in extremam efferatos rabiem extrema potius subire voluisse, quam Sancto Episcopo parere, & vitæ communi se se accommodare.

20. Quinimo sæculo eodem undecimo Sanctus Gregorius VII. ut Episcopi ea in re Canonicos sibi obtemperantes haberent, decretalem Constitutionem edidit, incipientem *Quoniam*, quæ extat *tit. de vita, & honest. Clericorum Cap.* 9. *Quoniam*, inquit, *statuimus, ut, facultatibus Ecclesiarum vestrarum, proventibus, & expensis diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & statuere, ut bona eorum veniant in commune, in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant, & quiescant: si vero contradictores extiterint, licitum vobis sit per suspensionem officii, & Beneficii, ac graviori etiam pœna, si opus fuerit, ad hanc observantiam eos appellatione compellere non obstante.* Verum hæ tantæ moles, licet alicubi, ut in Provincia Coloniensi, rem ad tempus expugnarint, nihilominus tunc plerisque in locis,

ac

ac deinde passim ubique retinuerunt Canonici, ut aliam a Regulari, & communi instituto vitam seorsim agerent: flores quippe ubi emarcuerint, vix sine miraculo revirescunt.

§. V.

Quænam fuerint celebriores aliquot discordiæ Capitulum inter & Episcopum a millenario Ecclesiæ ad hæc usque tempora?

21. PRima inter Episcopum, & Capitulum discordia fuit ex occasione, ut diximus, vitæ communis, quam Episcopi urgebant acerrime, Canonici vero omnino recusabant: unde Leonis IX. Alexandri III. Gregorii VII. aliorumque Romanorum Pontificum Constitutiones prodiere. Hæc tandem compressa est post sæculum decimumtertium, persistentibus Canonicis in suscepto vitæ singularis consilio; adeo ut frustra ipse S. Carolus nuperis temporibus veterem vivendi morem in suis Canonicis exoptaverit.

22. Altera fuit ex eo, quod aliqui ex Episcopis non uterentur consilio Canonicorum in Abbatibus, Abbatissis, & aliis Ecclesiasticis personis instituendis: quare, cum id permoleste ferrent Capitulares, litem intentarunt, & ad Romanum Pontificem recursum habuerunt, qui, ut extat *in cit. Cap. Novit*, causam Capitularibus adjudicavit, ac tales institutiones carere robore firmitatis decrevit.

23. Tertia fuit ex eo, quod in Senonensi Provincia non vocarentur ab Archiepiscopo Capitula Cathedralium ad Provinciale Concilium. Hac de re graviter conquesti sunt Canonici apud Rom. Pontificem, qui, uti habetur *Cap. 10. de his quæ fiunt a Prælato*, scripsit Archiepiscopo, videri sibi, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, & eorum nuncii ad tractatum admitti, maxime super illis, quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur.

24. Quarta controversia fuit super materia fructuum Canonicatus; nam Canonici Meldenses constitutionem fecerant juramento interposito confirmatam, quod Canonici nihil perciperent, nisi cum in Ecclesia residerent, illis exceptis, qui propter infirmitatem excusarentur, & qui essent in servitio Apostolicæ Sedis: cum autem Episcopus haberet aliquos Canonicos in servitio suo, Capitulum occasione illius constitutionis subtrahebat illis fructus præbendarum suarum: quare Episcopus id ægre ferens, ad Pontificem rem detulit, qui mandavit, ut duo Canonici in servitio Episcopi existentes integre suarum præbendarum fructus perciperent, *ex Cap. Ad Audientiam 15. de Clericis non residentibus*.

25. Quinta fuit ex occasione residentiæ; nam Canonici nonnulli prætextu privilegiorum aberant ab Ecclesia, unde maxima oriebatur Divini cultus diminutio. Petiit Episcopus super hoc Ecclesiæ suæ provideri: quocirca edixit Pontifex, ut, non obstantibus privilegiis Apostolicis, & prædecessoris Episcopi silentio, absentes Canonicos ad residendum Episcopus revocaret, &, si dicto audientes non fuerint, de ipsorum Beneficiis congruam subtraheret, quam in substitutos inservientes contribueret, *ex Cap. Cum ad hoc 16. de Cleric. non resident.*

26. Sexta

26. Sexta, & gravis disceptatio sub Honorio III. orta est ex auctoritate, quam Capitulares sibi arrogabant; nam Parisienses Canonici, irrequisito Episcopo suo, & sine suo consensu quasdam consuetudines Ecclesiæ suæ immutabant, & quasdam faciebant de novo: cum autem id nollet Episcopus, ad Romanum Pontificium tribunal causa introducta est. Hinc vero prodiit decretum, ne Canonici absque Episcopi sui consensu constitutiones, & consuetudines Ecclesiæ suæ approbatas immutarent, vel novas inducerent, *ex Cap. Cum consuetudinis, de consf.*

27. Septima controversia fuit ex causa visitationis, nolentibus alicubi Capitulis propter exemptionem, vel consuetudinem subjici Episcopali visitationi. In qua controversia Concilium Tridentinum *sess. 6. de ref. cap. 4.* ab Episcopis stetit, decernens, Capitula omnia sive Cathedralia, sive alia, posse visitari, corrigi, & puniri ab Episcopo, non obstante exemptione, consuetudine &c. in contrarium. Propter executionem talis decreti magna illa lis ac dissensio orta est inter S. Archiepiscopum Carolum, & Capitulum Canonicorum de Scala, quæ tandem S. Pii V. auctoritate, & Sancti Archiepiscopi Ecclesiastica fortitudine, in ipsius Archiepiscopi laudem, & Archiepiscopalis potestatis incrementum cessit.

28. Octava controversia fuit super administratione bonorum Ecclesiæ, seu fabricæ; contendentibus alicubi Canonicis, plenam sibi esse potestatem de iis disponendi independenter ab Episcopo, & ex alia parte id negante Episcopo. Pro qua controversia allegabatur a Canonicis *Cap. Relatum 12. de testam.* ubi Capitulis, consequenter & iis qui a Capitulis constituuntur Sacristæ, vel Thesaurarii, tribuitur administratio bonorum omnium Ecclesiæ acquisitorum, cum exclusione Episcopi. Ex opposito proponebatur ab Episcopo, quod pro administratione bonorum fabricæ Episcopus habet assistentiam generalem juris, & fundatam intentionem *Can. 3. 5. 6. caus. 10. quæst. 1. Trid. sess. 22. cap. 9. de ref. & sess. 24. cap. 3. de ref.* tandem Sac. Rot. teste Emerix, *decis.* 1083. & sæpius Sacri Concilii Congregatio ab Episcopo pronunciavit.

29. Nona & valde contumax controversia fuit ex occasione cæremonialis, nempe pro associationibus, assistentia, aliisque honoris significationibus, quas Episcopi putarunt hic & nunc sibi deberi, non ita existimantibus Capitularibus. De qua multæ prodierunt, atque identidem prodeunt Sacrarum Urbis Congregationum decisiones ac declarationes.

30. Has controversias indicasse sufficiat, ut constet, regulariter Capitulum inter & Episcopum discordiam fuisse per accidens, & propter humanum defectum.

§. VI.

Proponitur analysis totius Operis, & methodus ad propositum finem obtinendum.

31. QUÆ ad tuendam pacem & concordiam inter homines quammaxime conducunt, ea in duplici sunt differentia. Alia pertinent ad intellectum; alia pertinent ad voluntatem: nam, ut supra diximus ex S. Thoma

ma 2. 2. q. 37. *art.* 1. discordia alia est per se, alia est per accidens. Illa oritur ex eo, quod quis velit discordare a voluntate alterius, quando tenetur consentire; unde vitium est in voluntate: hæc vero oritur ex eo, quod quis credat, sui juris aliquid esse, alius autem judicet oppositum, & sic unusquisque rationabiliter moveatur contra alium ad volendum jus suum; unde vitium est in intellectu. Quamobrem & intellectus, & voluntas curatione indigent, ut pax & concordia inter aliquos vigeat. Ad curationem intellectus potissimum faciet scientia sui, & alieni juris. Ad curationem voluntatis conferet odium discordiæ, amor pacis.

32. Hoc supposito, ut Episcopus, & Capitulum pacifice & concorditer inter se vivant, operæ pretium est, ut ambo ex parte intellectus probe teneant, quid unicuique eorum incumbat, quo se eorum facultas extendat, quid alteri sine altero liceat, vel non liceat: ex parte voluntatis requiritur, ut tam Episcopus, quam Capitulum, pacem inter se & concordiam ament, ac per consequens ea velint quæ pacis assecutionem important, ea oderint quæ pacis assecutionem impediunt.

33. Utrumque in hoc libello præstare contendam. Proferam scilicet ex Theologorum, & Canonistarum penu, quæ Episcopalis, & Capitularis juris extensionem, ac limites doceant: præterea ex veterum Patrum monumentis, & sanctorum Antistitum exemplis producam, quæ ad pacis amorem excitent, & ad rem obtinendam tutum ac planum iter Episcopo pariter & Capitulo ostendant.

34. Porro ut statim ab initio rem totam sub omnium oculos ponam, do paucis Operis hujusce analysim, ac methodum. Quatuor in Partes libellum distribuam. In prima agam de his, quæ a Capitulo debentur Episcopo. In altera de his, quæ ab Episcopo debentur Capitulo. In tertia de his, quæ sede plena potest Capitulum sine Episcopo. In quarta demum de his, quæ non potest Episcopus sine Capitulo. Singulis vero ex his Partibus annectam praxim petitam ex ratione prudentiali, & ex more, institutoque sanctorum Antistitum. Sic enim fiet, ut intellectui, & voluntati pro mea tenuitate consulam: intellectui quidem, cognitionem Episcopalis, & Capitularis juris suppeditando: voluntati vero, amorem pacis, & quæ ad eam conferunt, ex Sanctorum exemplis, & præceptis exhibendo. Visum est etiam in unaquaque Parte casum unum ad rem eamdem, de qua agitur, spectantem fuse ac per extensum resolvere, ut quædam altius animo inhæreant, nec tota res presse tractetur, sed quædam uberius, & sic varietas ipsa scriptionis homines ad lectionem alliciat.

35. Superest, ut nonnulla præmoneam, ne quis error legenti offundatur, nec quidquid data opera omissum est, desideretur. Primum itaque sit, me scribere in Italia, nihilque spectare aliud, quam Italicorum Clericorum studio utcumque consulere: unde dimanat, ea me scribendo non prosequi, quæ sive ex privilegio, sive ex consuetudine ad Episcopos ultra montes, eorumque respective Capitula pertinent: ac proinde viderint illi, suosque consulant usus, an, quæ dicam, patriis moribus, legibusque cohæreant.

36. Al-

36. Alterum est, quamplura Congregationum Cardinalium decreta variis in libellis hinc illinc congesta, quæque mihi ad manus sunt, & ad rem facerent, de industria omisisse; tum quia de illorum existentia non sufficienter mihi constiterit ex probato saltem alicujus gravis auctoris testimonio; tum quia, ut sapientissime monet Eminentissimus Card. de Luca *annot. ad Conc. d.* 1. *Aliquibus exceptis decretis, vel declarationibus generalibus, erroneum est in particularibus declarationibus cum consueta cæca fide vim constituere; siquidem illæ quæ singulos, vel particulares concernunt casus, eorum particulari qualitate, vel circumstantiis manare solent, ideo alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles.* Cave proinde, ne assertionem meam aliquam infirmare contendas decreto apud libellum nescio quem reperto, nisi illud a Romana Curia prodiisse composite prius ostenderis, casusque omnes universim afficere demonstraveris. Dixi, nisi a Romana Curia prodiisse ostenderis; nam, juxta decretum *Cum sacra* jussu Urbani VIII. editum 2. *Augusti* 1632. exigitur ad obligandum, ut eæ declarationes Sac. Congregationis in forma authentica producantur, scilicet cum subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii, & sub consueto sigillo; quia nempe compertum fuit, complures ex declarationibus fuisse alteratas, diminutas, aut omnino confictas. Dixi etiam, nisi casus omnes universim afficere demonstraveris; nam Sacrarum Congregationum declarationes non semper solent universaliter dari, sed sæpe tantum ad locum unde petuntur, teste de Luca ubi supra, & Pikler *l.* 3. *decret. tit.* 29. *decis.* 2.

CAPUT II.

De his quæ a Capitulo debentur Episcopo.

§. I.

37. Capitulum debet Episcopo obedientiam, & reverentiam. Hæc autem reverentia exhibetur in deferendo illi signa honoris; quæ sane adeo sunt debita Episcopo, ut Canonici quamvis exempti ea minime denegare possint: eo ferme pacto, quo filius emancipatus naturalia obsequii, & honoris jura patri negare nequit. Signa autem honoris ad tria potissimum reducuntur: 1. nempe ad præeminentiam supra reliquos quo ad locum magis honorificum: 2. ad assistentiam eidem præstandam: 3. ad associationem ejusdem, seu deductionem.

38. Et quidem quo ad præeminentiam loci sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 25. *de reform. cap.*6. statuit: *Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Ubi ex textu notat Barbosa *in Tridentin.* ac Fuscus *de visit. l.* 1. *c.* 15. quod primus locus is erit existimandus, quem ipsemet Episcopus judicaverit, atque elegerit. Hic autem locus, si sit in Ecclesia, vel alibi statutus, ac fixus ad functiones publicas, cooperiri debet umbella; seu

seu baldachino, & quidem etiamsi plures in eadem Ecclesia ad plures functiones statuti sint loci; unde potest Episcopus in una eademque Ecclesia plures habere fixas sedes cum baldachino ad varias functiones, ut declaravit ac decrevit in una *Papien.* Benedictus XIII. quod si Episcopus propriæ diœcesis interveniat Capitulo, non quidem ut Episcopus, sed ut persona singularis, v.g. ut Canonicus, tunc ex communi Canonistarum apud Fagnan. *in Cap. Postulastis, de concessione præbendæ*, debet sedere immediate post eum, qui præest Capitulo: quamquam servanda, & attendenda sit laudabilis consuetudo alicubi vigens, ut Episcopus honoratiorem locum teneat, etiamsi ut Canonicus, aut Prælatus inferior alicui cœtui intersit: quæ consuetudo juxta Thomassinum est conformior antiquis Patrum, & Conciliorum sanctionibus; siquidem *ex Cap. Solitæ, de majorit. & obed. ipsi Reges, & Principes Archiepiscopis, & Episcopis suis (sicut debent) reverenter assurgant, & eis juxta se venerabilem sedem assignent.*

39. Quo ad assistentiam, duo Canonici, si Episcopus velit, possunt, ac debent illi assistere, & inservire in omnibus, quæ respiciunt ipsius, & Ecclesiæ utilitatem, ita ut non præsentes in Choro, neque idcirco assistentes Divinis Officiis, tamen integre percipiant fructus præbendarum, exceptis distributionibus quotidianis, etiamsi nunquam accedant ad Chorum, sed semper in servitio Episcopi occupati existant, ex communi *in Cap. Ad audientiam, & in Cap. De cætero, de Cleric. non resid.* Hi autem duo Canonici possunt ab Episcopo secum duci, & apud se detineri, sive ad functiones celebrandas, sive ad negotia tractanda, sive ad diœcesim lustrandam, quando, & quamdiu ipse expedire judicaverit, ex Glossa *ibidem*, & ex communi Canonistarum.

40. Præterea ex Tridentino *sess. 24. cap. 12. de reform.* tenentur Canonici Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, assistere, & inservire. Nomine autem Pontificalium veniunt omnes illæ functiones, in quibus Episcopus utitur insignibus Pontificalibus, v. g. Mitra, Baculo Pastorali &c. ex Bonacin. *de Censur. disp. 3. q. 2. p. 12.* aliisque. Unde sequitur, Canonicos ex Tridentino teneri assistere Episcopo, quando ille solemniter, atque indutus insignibus Pontificalibus gestat processionaliter sacras Reliquias, vel solemniter iisdem insignibus indutus populo benedicit &c.

41. Quamvis vero Episcopo Pontificalia exercenti, ex Tridentino *loc. cit.* omnes Canonici teneantur assistere, tamen, teste Card. de Luca *discurs. 33. Miscell.* per plura Apostolica decreta provisum est, ut, non omnes Canonici, seu non totum Capitulum assistat Episcopo talia exercenti extra Ecclesiam Cathedralem, sed aliqui Canonici remaneant in propria Ecclesia, ne illius cultus omnino deseratur: unde optime notat Barbosa *de Can. cap. 34.* duos saltem Canonicos debere talem assistentiam Episcopo Pontificalia exercenti etiam extra Cathedralem, v. g. quando extra illam Ordinationem ministrat, vel Pontificaliter concionatur &c. dummodo hæc fiant in civitate, non autem si fiant extra civitatem, seu in diœcesi. Hæc vero limitatio videtur procedere de assistentia præstanda ex vi decreti Tridentini; nam ex vi juris antiqui pot-

est Episcopus duos Canonicos secum per dioecesim ducere, ut sibi inserviant. Adde, talem assistentiam Canonicorum faciendam esse Episcopo, sive ipse celebret, sive Divinis Officiis assistat, & maxime quando ille est paratus, seu Episcopalibus vestibus Indutus, ex Decreto Sac. Congr. apud Barbos. *loc. cit.*

42. Jam vero quo ad modum præstandi talem assistentiam servandum est Cæremoniale Romanum, nisi adsit immemorialis consuetudo in contrarium, ex decreto Sac. Cong. apud Barbosam *loc. cit.* Notat vero Card. de Luca *disc.* 33. *Miscell.* consuetudinem ac praxim esse, ut Episcopo Pontificaliter celebranti, vel assistentiam in throno solemniter præbenti, Capitulum assistat cum paramentis, vel respective cum habitu Canonicali pro functionum qualitate. Barbosa autem *loc. cit.* ait, duos Canonicos immediate assistentes Episcopo, præter ordinarios ministros, debere esse indutos Pluviali, & debere esse primas duas Dignitates; quia digniores & honoratiores debent Episcopo assistere.

43. Hactenus dicta de assistentia præstanda procedunt, quando Episcopus solemniter Missam celebrat, vel alia Pontificalia publice exercet. Cæterum, quando privatim celebrat, etiam in Cathedrali, non tenentur Canonici assistere, ex decreto Sac. Cong. apud Barbosam, & fatentur Paulus Squillant. *de obl. & priv. Ep. p.* 3. *c.* 18. Scipio de Rubeis *verb. Assistentia*, aliique. Excipe, nisi adesset consuetudo in contrarium assistendi etiam in Missa privata; quia in tali casu ex præscripto Sac. Congreg. esset servanda talis laudabilis consuetudo: ubi memineris, Canonicos omnes, vel plures, non teneri assistere Episcopo in Missa privata: at duo Canonici, quos ex jure communi potest Episcopus habere addictos suo servitio, debent, si Episcopus velit, illi assistere etiam in Missa privata. Idem intelligas de Episcopo ministrante Ordinationem privatam in aliquo Sacello, vel Oratorio; tunc enim Canonici non tenentur assistere: at cum Episcopus habeat jus detinendi apud se duos Canonicos, qui sibi inserviant, eosque possit ad id compellere, ut constat *ex cit. Cap. De cætero*, *& ex Cap. Ad audientiam, de Cleric. non resid.* ex Garcia *de Beneficiis p.* 3. *c.* 2. ex Riccio *p.* 4. *decis.* 70. aliisque communiter, sequitur, quod possit Episcopus etiam in Missa privata, & in privata Ordinatione velle assistentiam duorum Canonicorum: atque ita in una *Papien.* declaravit Benedictus XIII.

44. Dubitabis 1. an possit detineri pro servitio, & assistentia Episcopi Canonicus, habens præbendam doctoralem, aut magistralem? ℟. Affirmative censuit Rota apud Puteum *decis.* 194. *lib.* 3. & tradunt Gonzalez *ad reg.* 8. *glos. num.* 257. Barbosa *alleg.* 56. *num.* 13. & Riccius *p.* 4. *dec.* 70. De Canonico autem Pœnitentiario aliter sentit Garcias *d. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 367.

45. Dubitabis 2. an Episcopus possit detinere apud se Magistrum cæremoniarum Capituli, ad effectum excipiendi vel Prætorem urbanum, vel Magistratum, vel ipsum Capitulum, quando hi respective divisim, aut conjunctim Episcopum invisunt? ℟. affirmative, imo non esse locum dubitandi; siqui-

siquidem Magister cæremoniarum inservire primo ac principaliter debet Episcopo, deinde Capitulo. Ita in una *Papien.* Bened. XIII.

46. Tertium signum honoris exhibendum a Capitulo, est associatio, seu deductio, ut constat ex Cærem. Episc. *cap.* 15. Unde, quando Episcopus venit ad Ecclesiam ad celebrandum Pontificaliter, tenentur Dignitates, Canonici, & Portionarii, non ex urbanitate, sed ex debito, illum associare ad Ecclesiam Cathedralem, ita ut ad talem effectum teneantur illi obviam ire, & quidem usque ad ejus palatium, aut aulam ad id destinatam, quamvis palatium non sit contiguum Eccesiæ, dummodo non sit distans ultra centum sexaginta passus; tunc enim deberet Episcopus associari ex aliquo loco ad id deputato prope Ecclesiam, vel in Ecclesiæ ipsius atrio, aut scalis. Post peractam vero rem sacram, debet Capitulum associare Episcopum recedentem saltem usque ad portam Ecclesiæ. Idem intelligas, quando Episcopus ad Ecclesiam venit, ut solemniter rei Divinæ assistat, Notes ly saltem; nam alicubi ex laudabili consuetudine debet Capitulum associare Episcopum recedentem usque ad ejus palatium, & aulam destinatam. Hinc Sac. Congreg. *die* 24. *Maji* 1619. in *Thelesina* censuit, quod, quotiescumque Episcopus indutus Cappa se confert ad Ecclesiam, ut in eadem Divinis Officiis intersit, aut solemniter celebret, vel alias functiones Pontificaliter exerceat, Canonici habitu Canonicali induti Episcopum ab ejusdem Episcopi domo ad Ecclesiam, & ab Ecclesia ad eamdem domum associare teneantur. Ita ex Squillante *loc. cit.* ex Barbosa *de Canon.* & ex Cæremoniali Episcoporum.

47. Præscindendo autem a consuetudine, vel particulari aliqua lege, hæc tam stricta obligatio associandi Episcopum non incumbit Capitulo toties, quoties Episcopus ad Ecclesiam venit, sed dumtaxat in festis solemnioribus: solemniora autem festa, ut eruitur ex Cæremoniali, & ex aliis litteris Apostolicis, ac declarationibus Cardinalium, sunt festum Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Feriæ 5. in Cœna Domini, Annunciationis, & Assumptionis B. V. SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, & Patroni principalis. Excipe, nisi aliter consuetudo præscripserit: nam, si consuetudo invaluerit, ut Capitulum etiam in aliis festis Episcopo venienti ad celebrandum, vel assistendum, tali forma occurrat; hæc consuetudo ex præscripto Sac. Cong. apud Barbosam *loc. cit.* servanda erit: aliis vero diebus, quibus Episcopus voluerit Pontificaliter celebrare, vel assistere (potest enim Episcopus in sua diœcesi Pontificaliter celebrare quovis die festo, vel quoties ratio congrua id exegerit, uti constat *ex cap.* 31. Cæremonialis, & præsertim quia a nullo canone tale jus Pontificalium Episcopis restringitur; imo olim ex privilegio idem poterant Abbates Monachorum, & deinde *anno* 1628. fuit his tale privilegium limitatum per decretum Sac. Rit. Congreg. quare accepimus in historiis, quod Sanctus Carolus Borromæus sæpissime Missam Pontificaliter celebrabat, e. g. die Circumcisionis, Sancti Sebastiani Martyris, SS. Gervasii, & Protasii, SS. Celsi, & Nazarii, S. Laurentii M. &c. præter solemniores alias anni festivitates, in quibus pariter rem Divinam Pontificaliter faciebat; ac de Servo Dei D. Petro Georgio Odescalcho,

Alexandrino Episcopo, ac deinde Viglebanensi, legimus *in ejus Vita*, quod *indefessus erat in cunctis functionibus Pontificalibus, & tam frequens*, ut passim diceretur Viglebani D. Odescalcum plura paramenta attrivisse, quam septem prædecessores ejus Episcopos) aliis, inquam, diebus non tenentur Canonici, nisi ex urbanitate, illi obviam prodire usque ad palatium inclusive: quamquam etiam talibus diebus teneantur aliqui ex Canonicis ad portam Ecclesiæ illi occurrere: sicuti pariformiter servandum est, quando Episcopus ob aliam quamcumque causam ad Ecclesiam venerit privatim. Ita ex Barbosa *ibidem*.

48. Ne vero turbentur Divina Officia propter solemnem illam præstitam a toto Capitulo associationem, debet Episcopus certam horam sui adventus significare, quæ sit tempore congruo. Quod si, statuta de consensu Episcopi hora Officii, fuerit datum ultimum campanæ signum, non tenentur Canonici amplius expectare, sed possunt inchoare Officium; ac deinde, quando inchoato Officio Episcopus venerit, satis erit, quod aliqui ex Canonicis e Choro discedant, & obviam illi eant ad portam, porrigentes aspersorium. Ita ex Barbosa.

49. Dubitabis, an Capitulum debeat interesse concioni tempore Adventus, & Quadragesimæ, quando eidem interest Episcopus? ℞. affirmative: & ita asseritur decisum a Sac. Cong. per Card. de Luc. *disc.* 33. *Miscell.* quia, inquit ipse, talis interventus est Capitularis; siquidem tunc repræsentari debet corpus mysticum Ecclesiæ ex Episcopo tanquam capite, & Capitulo tanquam membris constitutum: post absolutam vero concionem, vel Episcopus expectat usque ad finem Missæ solemnis, vel non? si expectat, Canonici omnes eum comitari debent usque ad portam Ecclesiæ, ac deinde redire ad Chorum: si vero non expectat, aliqui saltem ex Canonicis illum recedentem usque ad portam Ecclesiæ comitentur, ac deinde ad Chorum redeant.

§. II.

De obedientia debita Episcopo a Capitulo.

50. PRæter reverentiam debet Capitulum Episcopo obedientiam. Constat *ex toto tit. de major. & obedientia*. Hæc autem obedientia in duobus potissimum consistit; nempe I. in justo mandato Episcopi excipiendo, & observando; II. in ejusdem judicio subeundo.

51. Itaque Capitulum debet obedientiam exhibere in suscipiendo mandato Episcopi: intelligas in iis, quæ Episcopus potest mandare, ac de facto mandet: item in abstinendo ab iis, quæ Episcopus potest prohibere, & de facto prohibet. Potest autem Episcopus mandare, seu præcipere Capitulo omnia ea, quæ ratione status Clericalis, Officii, & Beneficii præstanda sunt vel a singulis Canonicis, vel a toto Ecclesiæ senatu, juxta sacros canones, Conciliorum sanctiones, vel Sac. Cong. declarationes; nec ulterius quidquam potest mandare.

52. Probatur prima pars affirmativa *ex Cap. Conquerente, de off. ord.* ubi affi-

assignantur, & enumerantur jura Ordinarii supra Ecclesias sibi subjectas. Item ex ratione; quia Episcopus habet in sua diœcesi potestatem jurisdictionis non solum in singulos Clericos, sed in ipsum Capitulum Cathedralis, cujus siqua olim fuerit exemptio, sublata est per decretum Trid. *sess. 6. c. 4. de ref.* Probatur secunda pars negativa *ex eodem Cap. Conquerente*, ubi Pontifex ait: *Tu his juribus contentus, non amplius ab eis exigas*: & *Can. Quia cognovimus 6. caus.* 10. *q.* 3. ubi Concilium Toletanum præcipit, ne Episcopi plus exigant ultra præscriptum a sacris canonibus. Accedit auctoritas Fagnani *in Cap. Conquerente* asserentis ex Abbate *ibidem*, Episcopos non posse exigere a Clericis suæ diœcesis aliqua servitia, quæ in jure non sunt expressa. Ratio est; quia jurisdictio Episcoporum dependet a Summo Pontifice in assignatione materiæ, & subditorum: Summus autem Pontifex *in citato Cap. Conquerente* assignavit materiam, in quam Episcopi suam debent exercere jurisdictionem: unde notat Fagnanus *in cit. Cap. Conquerente*, decisum olim fuisse a Sacra Card. Congregatione, quod quidam Episcopus potuerit quidem invitare, sed non compellere Clericos suæ civitatis, ut interessent Litaniis B. V. quas in Sabbato decantari jusserat in sua Cathedrali Ecclesia. In dubio tamen, an aliquid possit mandari ab Episcopo, præsumptio semper pro mandato Episcopi facienda est, ex communi Theologorum, & Canonistarum.

53. Ex quibus deducitur, ratione status Clericalis posse Episcopum mandare Capitularibus, ut vestitu decenti tam intra Ecclesiam, quam extra utantur; ut evitent fœminarum cohabitationem; ut capillos non nutriant; ut sacras rubricas calleant; ut ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant; ut morum integritatem præseferant &c.

54. Ratione Officii, ut Choro intersint, cantum Gregorianum discant; ut omnes indifferenter Choro inserviant omnibus diebus Dominicis, ac festis de præcepto, totoque Adventus, Quadragesimæ, & Octavæ Corporis Christi tempore, ita ut nullus non legitime impeditus per id tempus vacet; ut omnibus aliis diebus saltem dimidia pars Capitularium Choro adsit; ut omnes septem Horæ Canonicæ in Choro persolvantur; ut Canonici Divina Officia per se, & non per substitutos, obeant; ut servetur ordo, & tempus ab Ecclesia præscriptum in recitatione publica Horarum; ut in Ecclesia, & non in Sacristia, Horæ persolvantur; & alia hujusmodi.

55. Ratione Beneficii, ut Capitulum indicatur, quando Episcopus vult Canonicis aliquid proponere; ut Capitula non celebrentur tempore Divini Officii; ut Capitulum celebretur singulis hebdomadis, & statutis diebus; ut petatur facultas ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali, cogendi Capitulum in aliis diebus extraordinariis. Præterea ex justa causa potest Episcopus inhibere, ne convocetur Capitulum: item potest pœnis, & censuris cogere Canonicos ad præstandam sibi copiam actuum Capitularium: item potest Canonicis mandare, ut intersint concioni tempore Adventus, & Quadragesimæ, sub pœna privationis distributionum illius diei; ut intersint Processionibus ab Episcopo de consilio Capituli, licet non de ejusdem consensu, indictis pro publico honore, bono, vel commodo, ex Pace Jordan. aliisque. Præterea potest Episco-

ſcopus mandare, ne plures ſimul ſine ſua licentia trimeſtralem a Choro vacationem capiant, ne ſcilicet cultus Divinus detrimentum patiatur: item ut tempore debito reſideant, præbendæ fructus ultra triennium non locent, nec omittant celebrare tot, ac tales Miſſas, quot, & quales tenentur, & quidem tempore, ac loco ſuæ obligationis: item ne res, ac bona Eccleſiaſtica male cuſtodiant: item ut ſolvant Cathedraticum, ideſt annuam juxta ſacros canones penſionem, quæ ob honorem Cathedræ, ſeu dignitatis Epiſcopalis datur, quæ quidem penſio annua aſcendere debet ad ſummam in Conc. Rom. præſcriptam: item poteſt Epiſcopus Dignitatibus, & Canonicis denegare litteras commendatitias, ſi iidem iſtas peregrinaturi, vel alio diſceſſuri petant, quando ultra tempus a jure indultum peregre abire velint, & juſta cauſa non ſubſit, nec idoneum vicarium ſibi ſubſtituant, ex Caſtropal. *tract.* 27. *d. unic. p.* 16. *num.* 3. aliiſque: item poteſt compellere Canonicos ad interveniendum collationi caſuum, ex Concilio Romano *tit.* 15. *cap.* 9. item Capitulum tenetur ad eas Proceſſiones accedere, quibus intervenit Epiſcopus Pontificaliter cum Baculo, & Mitra &c. De quo cum dubitatum fuerit;

56. Probatur hoc auctoritate Doctorum, Conciliorum, ac textus Canonici. Et quidem auctoritate Doctorum: nam certum & exploratum cum ſit, teneri Capitulum accedere ad Proceſſiones publicas, nomine talium Proceſſionum DD. docent venire eas etiam Proceſſiones, quibus Pontificaliter intervenit Epiſcopus. Ita Zerola *v. Proceſſio*, Riccius *reſol.* 51. ac multum favet Barboſa *de poteſt. Ep. alleg.* 73. & *in collect. ad Trid. ſeſſ.* 25. ubi docet, eas vocari Proceſſiones publicas, quæ tales videntur Epiſcopo: non eſt autem certius indicium, quod tales videantur Epiſcopo, quam quando ipſe Epiſcopus Pontificaliter eiſdem intervenit.

57. Auctoritate Conciliorum: nam Concilium Provinciale Neapolitanum *cap.* 33. *de Proceſſionibus* eas vocat publicas, quibus Epiſcopus intervenit. Accedit auctoritas Tridentini, quod *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* cum velit, ut Canonici aſſiſtant Epiſcopo Pontificalia exercenti, & Epiſcopus vere exerceat Pontificalia, quando cum Baculo, & Mitra intervenit Proceſſioni ferens ſacras Reliquias, & populo ſolemniter benedicens, ut colligitur ex Bonacin. *de Cenſuris diſp.* 3. *q.* 2. conſequens eſt, ut Canonici debeant aſſiſtere Epiſcopo Proceſſioni Pontificaliter intereſſenti. Et quamvis videatur huic obligationi poſſe ſatisfieri per aſſiſtentiam duorum Canonicorum; tamen juxta doctrinam Card. de Luca *diſc.* 33. *Miſcell.* non duo dumtaxat Canonici, ſed Capitulum capitulariter debet intereſſe illis functionibus, in quibus repræſentandum eſt corpus Eccleſiæ conſtitutum ex capite, & membris: ut certe contingit in ſolemni Proceſſione, cui Pontificaliter adeſt Epiſcopus.

58. Auctoritate demum textus Canonici: nam *in Cap. Etſi membra, de his quæ fiunt a Prælatis &c.* Gloſſa expreſſe ait: *Non debet caput a membris recedere, nec membra a capite.* Conſequenter Capitulum non debet recedere ab ea functione, in qua Epiſcopus intervenit ut caput ſuæ Eccleſiæ in veſtibus Pontificalibus; ut optime diſſerit Pignatellus *tom.* 5. *conſult.* 83. *num.* 7. his verbis: ***Canonici ſunt membra, quæ ſimul cum Epiſcopo tanquam capite conſti-***

stituunt unum corpus; quemadmodum enim membra recipiunt influxum a capite, ita ipsa inserviunt in eis functionibus: & ideo etiam Canonici tanquam membra debent in propriis functionibus inservire Episcopo, qui non debet ab extraneis extra proprium corpus mendicare servitium, sed a propriis membris debet recipere gloriam, & splendorem. Nec valet effugium, quod aliqua ex his Processionibus non sit propria functio Episcopalis; nam sapienter de more Clericatus *in discordiis forensibus disc.* 98. ostendit, quod obligatio Canonicorum assistendi Episcopo, non solum est in Missis solemnibus, Vesperis, & Divinis Officiis, sed etiam in omnibus aliis functionibus, quas Episcopus explet Pontificalibus indutus. Ubi idem Auctor notat, hanc inevitabilem Canonicorum obligationem comprobari universali consuetudine Ecclesiæ Catholicæ, in qua Canonici Episcopo, *quascumque functiones per Pontificales cum Stola, & Mitra exequenti, prompte atque omni cum obsequio assistunt, & inserviunt.* Neque dicas, hæc intelligenda esse de assistentia duorum Canonicorum, non autem de universo Capitulo; nam per se, & præscindendo ab inconvenienti, quod Ecclesia Cathedralis remaneat sine officiatura, totum Capitulum debet præstare talem assistentiam, ut constat ex litteris in forma Brevis Clementis VIII. sub datum Romæ *die* 17. *Junii* 1592. apud Pignatellum *tom.* 5. *conf.* 83. *num.* 28.

59. Nec replices, adesse alicubi contrariam consuetudinem: nam in primis consuetudo probanda est ex recepta omnium sententia, apud Castropal. *tom.* 3. *d.* 3. *p.* 6. deinde, etiamsi probaretur talis consuetudo, probanda superesset rationabilitas, & præscriptio talis consuetudinis; eaque cum sit res juris, & non facti, a legitimo judice, v. g. ab Episcopo, discernenda est: rationabilitas autem difficile ostendetur; nam supra probavimus ex lege Tridentini præcipientis Canonicorum assistentiam Episcopo Pontificalia exercenti, teneri Capitulum interesse tali Processioni: contra autem legem Tridentini nulla est rationabilis consuetudo, ut fuse probat Fagnanus *in Cap. Quod a prædecessore, num.* 61. *& ex Cap. fin. de consuet.* Ex quibus satis intelliges, amplissimam esse potestatem Episcopi supra Capitulum & Capitulares, nec iis propterea expedire cum suo Episcopo rixas, & contentiones exercere.

60. Hæc quo ad suscipiendum Episcopi mandatum. Quod vero attinet ad ejusdem judicium subeundum, forum competens Capituli est tribunal Episcopi: unde si juridice Capitulum, vel Capitulares citentur ab eo tribunali, tenentur comparere; alioquin contra illud, vel illos respective, procedi potest tanquam in reos contumaciæ, *Cap. Ex litteris, de foro competenti.* Excipe, nisi per legitimam appellationem, vel legitimam recusationem Capitulares, vel Capitulum Episcopi judicium declinare valeant. Dixi, legitimam appellationem; nam appellatio frivola, qualis est, quæ fit a sententia interlocutoria, item quæ fit in causis, seu factis notoriis, aut ubi tantummodo agitur de executione legis, non admittitur, ex Phœbeo *tit.* 15. *de appellat.* Pariformiter non admittitur ea appellatio, quæ deficit in substantialibus appellationis, quæ sunt quinque: nempe primo, ut interponatur a legitima persona, qualis non est servus, filiusfamilias &c. secundo ut interponatur intra debitum tempus, scili-

scilicet a jure concessum; tertio ut proponatur coram legitimo judice; quarto ut fiat ad legitimum judicem; quinto ut servetur debita forma, v. g. ut fiat in scriptis, & aliquando cum expresione causæ: circa quæ vid. *tot. tit. de appellat.* & Sanchez *lib. 3. conf. cap. unic. dub.* 12.

61. Quo ad modum vero instituendi judicium, etsi Conc. Trident. *sess. 25. cap. 6. de ref.* statuerit, *ut Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius*, quando extra visitationem processerit contra Capitula Cathedralium, illorumque personas, *tam in formando processum, quam in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive coram Notario tamen ipsius Episcopi, aut in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur*; tamen hæc conciliaris dispositio habet locum in eis dumtaxat Capitulis, quæ ex Apostolicis indultis exempta sunt a jurisdictione ordinaria Episcopi, atque immediate subjecta Sedi Apostolicæ. Cæterum illa Capitula, quæ hujusmodi privilegium non habent, aut, si habuerunt, jam amplius in usu non est, eo decreto Tridentini minime comprehenduntur: ut sæpius a Sac. Card. Cong. referunt decisum Barbosa *de Canon. cap.* 8. Card. de Luca *disc.* 44. *annot. ad Conc.* aliique ab ipsis citati: unde cum Capitulo non exempto ea forma judicii adhibenda est, quæ instituitur juxta sacros canones cum quolibet Clerico immediate Episcopo subjecto.

62. Quo ad pœnas in judicio contra Capitulum decernendas, sciendum est, Capitulum non posse ab Episcopo excommunicari, quia communitas, seu universitas, qua talis, excommunicari non potest, ut expresse decernitur *in Cap. Romana, de sent. excomm. in 6.* Dixi, ab Episcopo; nam a Pontifice Maximo, cum hic non subjaceat ulli prohibitioni juris positivi, potest saltem de plenitudine potestatis totum Capitulum excommunicari; qua stante excommunicatione, omnes Capitulares, etiam innoxii, essent excommunicationis vinculo obstricti quo ad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesiæ, etiam innoxii deberent se gerere quasi excommunicatos, secus vero quo ad Deum, ex Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 39. de sent. excom.* Potest tamen ab Episcopo Capitulum, qua tale, suspendi, vel interdici: & ratio differentiæ est; quia in talium censurarum pœna non est illud animarum periculum, propter quod prohibitum est, ne excommunicatio in communitatem feratur: quando autem Capitulum, qua tale, suspenditur, tunc, nisi aliud in jure, aut sententia expresse declaretur, intelligitur suspensio lata in Capitulum præcise, ut communitas, seu ut collegium est; ita & taliter, ut corpus ipsum Capituli non autem singuli Capitulares a suis propriis, & personalibus officiis, ac Beneficiis suspendantur.

63. Porro ex vi talis suspensionis, si sit a Beneficio, Capitulum privatur fructibus ejus, vel eorum Beneficiorum, quæ forte habeat, ut Capitulum est, sibi unita; si sit ab officio, privatur usu jurisdictionis, & consequenter impeditur, ne actus ejus rati ac validi sint; si sit a Divinis simpliciter, prohibetur Capitulo exercere ea Officia Divina solita exerceri a communitate Capitulari qua tali: ex quo sequitur, quod particulares, ac singulares Canonici, licet ut tales non sint ligati a tali suspensione, tamen non possint nec fructus

Be-

Beneficii capitularis percipere, nec actus jurisdictionis capitularis exercere, nec functiones capitulares administrare respective: nam cum suspensum sit totum, consequenter fit, ut partes non possint operationes totius pro tunc efficere. Neque obstat, quod aliqui Canonici sint immunes a delicto totius Capituli; nam adhuc ut pars illius nequeunt ejus operationes exercere: neque hoc esset puniri propter peccatum alienum, sed esset aliquo modo participare pœnam totius, quod peccavit; in quo nullum est inconveniens. Ita ex Suarez *de Censuris disp.* 28. *sect.* 4.

64. Quando Capitulum qua tale interdicitur, tunc tale interdictum non est particulare, sed generale, quia tale interdictum non fertur in determinatam personam unam, vel plures, sed in quoddam totum politicum, quod significatur per nomen collectivum, Capitulum, ex Suarez *de Censuris disp.*32. *sect.*2. Ex vi autem talis interdicti manent interdicti singuli Capitulares, ut partes Capituli sunt; & consequenter, quamvis magna sit similitudo inter interdictum hoc generale, & interdictum particulare quantum ad effectum, tamen aliquæ sunt differentiæ morales: nam primo interdictum particulare personale non aufertur a persona, nisi relaxetur aliquo modo; at interdictum hoc generale potest auferri a persona Capitulari, si illa persona desinat esse pars Capituli: deinde per interdictum personale capitulare nemo ligatur sine personali culpa; at per interdictum hoc generale ligatur interdum persona, quæ est pars Capituli, sine culpa sua: in quo non est inconveniens, ut supra diximus, tum ob rationem ibi datam, tum maxime quia, cum Ecclesia ferre soleat hanc censuram præcipue propter suam dignitatem, & auctoritatem tuendam, mirum non est, quod interdum permittat privata alicujus innocentis incommoda propter hoc bonum commune, quod majus est, ex Suarez *ibidem*.

65. In praxi notat Card. de Luca *in Annot. ad Conc.* quod, si delicti gravitas vel in toto Capitulo, ut corpus morale est, vel in magna parte personarum ejus, vel in ejus proximo, & immediato capite id exposcat, fertur suspensio, vel interdictum in totum Capitulum, excommunicatio vero contra particulares aliquos Capitulares delinquentes, excipiendo innocentes. Quia vero censuris parce uti debent Ordinarii, ex Tridentino *sess.*25. *cap.*3. *de ref.* hinc optime notat idem Card. de Luca *disc.*43. *annot. ad Concilium*, non esse censuras ferendas, quando, & ubi per multas, aliasque pœnas temporales provideri potest; quod adamussim observabat Sanctus Archiepiscopus Valentinus Thomas de Villanova, ut habetur *in ejus sacra Historia lib.* 2. *cap.*11. ubi narratur, quammaxime ipsum alienum fuisse a censuris ferendis. Quod si necessitas compellat tale censurarum remedium adhibere, tunc expediens erit comminari, non autem de facili ferre censuras, ac demum, si comminatio non profuerit, devenire quidem cum maturo consilio ad censuram, v. g. ad suspensionem, sed partialem, & pro certa dumtaxat temporis duratione, in quo casu suspensio potius habebit rationem cujusdam pœnæ, quam censuræ medicinalis. Hinc aliquando ob delicti gravitatem, v. g. ob contumaciam, & inobedientiam mandato Episcopi, poterit Capitulum per

mensem suspendi a Beneficio: hoc autem si minime prosit, poterit Ordinarius devenire ad censuras suspensionis, vel interdicti simpliciter, prout magis in Domino expedire judicaverit. Notetur tamen, Capitulum non posse censurari ob debitum pecuniarium, quia *in Extrav. Provide*, prohibetur, ne censuræ generales ferantur pro debito pecuniario, nisi *de Apostolicæ Sedis speciali licentia, & expressa, per ipsius Sedis patentes litteras apparente*. Notandum est etiam, quod si aliquando citari debeat Capitulum, id faciendum est capitulariter; non enim sufficit citatio facta singulis Capitularibus: quod si Capitulum nequeat reperiri congregatum, tunc monendi sunt ii, ad quos spectat, ut stata die & hora Capitulum congregent, ex de Luca.

§. III.

Quænam sit culpa, & quænam sint pœnæ Jure Canonico decretæ in eos, qui reverentiam, vel obedientiam Episcopo, ejusque statutis denegant.

66. ℞. 1. NON deferre Episcopo debitam reverentiam publice, idest in consessu publico, in congregatione aliqua senatorum, vel in Capitulo &c. est peccatum mortale, vel veniale, juxta gravitatem materiæ, & injuriæ, quæ irrogatur illi, tollendo debitum honorem, & reverentiam. Ratio est; quia reverentia cum sit debita Episcopo pro dignitate personæ, sequitur, quod si non deferatur illi tanta reverentia, quanta est dignitas personæ, non solum fiat contra observantiam, sed etiam committatur acceptio personarum, & idcirco peccetur contra justitiam distributivam: imo fieri potest, ut ratione alicujus contumeliæ interpretativæ, quæ omissioni reverentiæ debitæ conjuncta sit, peccetur contra justitiam commutativam, v. g. si aliis honorantibus Episcopum prætereuntem, aliquis illum sine ullo honoris signo impudenter aspiceret. Ita Sanchez *consil. l. 2. c. 1. dub. 42. num. 13.* Lessius *de Justitia, & Jure lib. 2. cap. 32. dub. 2. num. 11. 12. & lib. 2. c. 11. dub. 27. num. 142.* aliique apud ipsos.

67. ℞. 2. Non deferre Episcopo reverentiam privatim, quamvis in dubio sit, an acceptio personarum dicenda sit, negante id Cajetano 2. 2. *q. 63. art. 3.* asserente autem Sanchez *lib. 2. cons. cap. 1. dub. 41.* nihilominus certum mihi est, quod licet aliquis in particulari non teneatur convenire, invisere, deducere, observare, atque alia hujusmodi reverentiæ signa præstare Episcopo, tamen in suppositione, quod illum conveniat, invisat &c. tenetur ex virtute observantiæ (ita ut contrafaciendo advertenter, & sine justa causa, peccaret), tenetur, inquam, honorem condignum statui Episcopali deferre, v. g. in dando locum honorificentiorem, in inclinationibus, deductionibus, & aliis hujusmodi. Ratio mihi est; quia etiam in casu, quo res privatim agatur, habetur in Episcopo fundamentum, seu motivum talis reverentiæ: nempe excellentia dignitatis: ergo etiam in tali casu debetur ab alio reverentia ob talem causam, seu ob talem excellentiam. Notandum tamen est cum S. Thoma 2. 2. *q. 102. art. 3. quod exhibitio honoris, vel cultus, non solum est proportionanda*

nanda personæ, cui exhibetur, sed etiam secundum quod ad exhibentes comparatur.

68. ℞. 3. Episcopo præcipienti vel per leges, vel per particulare præceptum, tenetur unusquisque diœcesanus, & subditus, adeoque etiam Capitulum, imo Reges ipsi, ac Principes obedire sub gravi, si materia justa, & gravis sit: nam, ut constat *ex Cap. Omnes, de major. & obed. Omnes Principes terræ, & cæteros homines Episcopis obedire, B. Petrus præcipiebat.* Consequenter graviter per se peccaret ille diœcesanus subditus, vel ille de Capitulo, qui Episcopo præcipienti non obediret. Limites, dummodo non impediatur a præcepto majoris superioris, v.g. Papæ, & dummodo Episcopus non præcipiat aliquid, quod excedat suam jurisdictionem, ex S. Thoma 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

69. ℞. 4. Pœna iis decreta a jure, qui non obediunt Episcopo præcipienti, est excommunicatio ferendæ sententiæ: uti constat *ex Cap. Si quis, de major. & obed.* ubi habetur: *Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abjiciatur:* & explicat ibi Glossa: *Si quis fecerit contra decretum sui Episcopi, excommunicandus est.* Hæc autem pœna excommunicationis non est infligenda, nisi propter inobedientiam, quæ sit vel secundum se gravis culpa, vel propter adjunctas circumstantias. Utrum vero ad hanc excommunicationem ferendam necessarium sit præmittere monitionem, res est controversa apud Auctores: & quamvis communior sententia doceat partem affirmativam, tamen valde probabilis est ac tuta pars negativa, quam docent Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 29. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 9. Fill. *de Cens. cap.* 1. *q.* 3. aliique apud Castropalaum, qui expresse fatetur, hanc esse sententiam valde probabilem, licet ipse contrariam, ut sibi veriorem, sequatur, & apud Pirhing, qui docet, requiri quidem monitionem, at limitat, nisi aliud causæ gravitas, vel necessitas postulet: & ratio est; quia quando excommunicatio comminatorie in jure decreta est, tunc adest sufficiens admonitio ex parte judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui novit prohibitionem sub pœna excommunicationis ferendæ, & consequenter non opus est ulteriori admonitione.

70. ℞. 5. Pœna iis in jure debita, qui recusant Episcopo debitam reverentiam exhibere, est, quod ab Episcopo per censuras compelli possint ad illam exhibendam, ut constat *ex Cap. Quod super, de majorit. & obed.* Unde recusantes v.g. præstare Episcopo debitam assistentiam sive intra Cathedralem, sive extra, cogendi sunt pœnis, & censuris Ecclesiasticis, ex Sacra Congregatione apud Barbosam *de Can. cap.* 34. quamquam, ut supra innuimus, non facile Episcopus devenire debeat ad censuras ferendas, & potius aliis juris remediis uti oporteat.

CAPUT III.

Proponitur, & resolvitur casus de obedientia præstanda Episcopo a Capitulo.

71. Casus est: Titius Episcopus intelligens, veteres sui Capituli constitutiones esse, ut longius, quam novem mensium, singuli e Capitularibus Choro servitium præstent, & quod singuli omnibus Horis Divini Officii quotidie intersint, quamvis oppositum ab immemoriali servetur, tamen zelo pastorali motus decrevit, ut veteres constitutiones inviolabiliter custodiantur: plures autem e Capitularibus recusant obtemperare, atque id sibi oneris imponere, eo quod sine illo Canonicatum susceperint. Quæritur, an Episcopus possit eos Capitulares compellere?

72. Videtur, quod non possit primo, quia injustum est, ut Episcopus auferat suis Canonicis privilegium ipsis concessum a Concilio Tridentino: Concilium autem *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* indulget Canonicis trium mensium absentiam a Choro, & consequenter non sunt adigendi ad longius servitium.

73. Secundo, quia ex tam longæva consuetudine non servandi eas veteres constitutiones præsumitur justa causa, eas non servandi, ex Abb. *in Cap. Super eo, de Regul.* & ex Felin. *in Cap. Nam concupiscentiam, de const.* Stante autem justa causa non servandi eas constitutiones, nequit Episcopus compellere ad earum observantiam.

74. Tertio, quia juramentum de servandis statutis alicujus Collegii, non obligat ad servanda statuta, quæ consuetudine derogata sunt, ut est communis sententia, de qua videri potest Sylvester *v. Juramentum*: ergo similiter Canonicatus susceptus non obligat ad veteres eas constitutiones jam obsoletas, ac proinde jure Capitulares eas observare recusant, nec Episcopus potest eos compellere ad id, ad quod ipsi non obligantur.

75. Quarto, quia juxta Panormit. *in Cap. Cum olim, de Cler. conjug.* neque ipse Summus Pontifex potest indicere Clericis vitam strictiorem contra eorum velle, quod pluribus confirmat Sylvester *v. Obedientia q.* 5. ergo a fortiori non poterit Episcopus compellere Canonicos post monitionem resistentes ad longius servitium, & severiorem disciplinam.

76. Quinto, quia in Vita S. Caroli Borromæi *lib.* 2. *c.* 9. accepimus, Sanctum Archiepiscopum longius quidem Chori servitium Canonicis indixisse, sed auctis præcedenter eorum præbendis, ac redditibus, ita ut, non resistentes compulerit, sed beneficiis obstrictos, ac sponte venientes ad severiorem disciplinam revocarit.

77. Nihilominus pro responsione præmittendum est primo, tales veteres constitutiones non fuisse abolitas per dispensationem, vel privilegium, vel decretum Apostolicum; nam, si tali modo fuissent abolitæ, certum esset, non posse Episcopum ad veterem earum constitutionum observantiam Capitulares compellere, per se loquendo, & formaliter (secus esset per accidens in casu necessitatis ad obtinendum finem debitæ disciplinæ Ecclesiasticæ, quando nem-

pe

pe ex præsenti observatione cultus Divinus notabiliter minueretur, & scandalum, ac querela sæcularium oriretur); siquidem privilegium a superiore concessum nequit ab inferiore revocari, & decet concessum a Principe beneficium esse mansurum, *ex Cap.Decet, de reg. jur. in 6.*

78. Præmittendum secundo, tales veteres constitutiones ab immemoriali, vel certe a longo tempore in desuetudinem abiisse, adeo ut per contrariam præscriptam consuetudinem jam illis derogatum sit: consuetudo enim præscripta, dummodo non sit per se illicita, virtutem habet adversus legem, & constitutionem humanam, ut constat ex comm.DD. *in tit.de constit.*

79. His præmissis, dico I. Non potest Episcopus sine consensu majoris partis Capituli eas veteres consuetudines in usum revocare, ac longius, quam novem mensium, Chori servitium statuere. Ratio est; quia nequit Episcopus sine consensu majoris partis Capituli ea disponere, quæ sint contra præscriptam consuetudinem Capituli, ut colligitur *ex Cap.Novit*, *ex Cap.Quanto*, *de his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli*, & magis *ex Cap.Vestra*, *de locat.* & videtur hæc communis sententia apud Felin. *in Cap. Cum omnes*, *de const.* & Suar. *de Legibus lib.4. cap.5.*

80. Dico II. Priusquam Episcopus de consensu Capituli actu restituat eas veteres constitutiones, non tenentur Capitulares ad earum observantiam, neque ad eam possunt compelli. Ratio est; quia, durante eo rerum statu ob præsentem præscriptam consuetudinem, non amplius vigent constitutiones veteres, & consequenter non habent vim afficiendi, & obligandi Capitulares; siquidem lex cui per consuetudinem derogatum est, non habet effectum obligandi, *ex Cap. ult. de consuet.* & *l.De quibus*, *l.Sed ea ff. de legibus*: unde vis aliqua irrogaretur Capitularibus, si compellerentur ad id, ad quod ipsi, durante eo rerum statu, non tenentur: & ita communiter docent Auctores cum Abb. *in Cap. Deus qui*, *de vita*, *& honest. Cleric.* & Felin. *in Cap.Cum omnes*, *de constit.*

81. Et quidem quod attinet ad longius, quam novem mensium, servitium, res videtur certa; nam contra ejusmodi longum servitium admittitur præscriptio. Difficultas aliqua est, quo ad interessentiam in omnibus diebus, & Horis Divini Officii; nam adversus hanc non habere locum præscriptionem, nec Canonicos juvari præscripta consuetudine, asserunt nonnulli apud Reiffenstuel *de resid. Can. num.*112. Verum id non esse universaliter verum notat recte Garcias *p.3. de Benef. cap.2. num.*330. siquidem alicubi valet consuetudo adversus jus commune, ut Canonici intersint uni, vel alteri dumtaxat Horæ, & lucrentur fructus: unde etiam quo ad hanc partem censeo sustinendam esse assertionem nostram.

82. Dico III. Postquam Episcopus de consensu majoris partis Capituli restituerit eas veteres constitutiones, & facta fuerit reformatio servitii Choralis, tunc singuli Capitulares, etiam illi, qui ante talem reformationem inter Canonicos cooptati sint, debent eam observare, & resistentes possunt compelli, dummodo talis observantia sit hic & nunc moraliter possibilis.

83. Probo hoc; quia consuetudo præscripta non exhibendi longius servitium,

tium, quam novem mensium, & non interessendi omnibus diebus singulis Horis Officii Divini, habet quidem vim relaxandi obligationem veterum constitutionum, & juris communis, non tamen habet tantam vim, ut auferat Episcopo procedenti de consensu Capituli potestatem restituendi eas veteres constitutiones, & auferendi præsentem consuetudinem: nam tritum est illud apud jurisperitos, præscriptionem, sicuti ex legislatoris voluntate vim suam accipit, ita ex ejusdem resistentia vim suam amittere. Modo sic. Quando Episcopus per legem contrariam abrogat particularem consuetudinem relaxativam veterum constitutionum, tunc veteres constitutiones denuo arctant, & afficiunt omnes ad quos pertinent: cum autem pertineant ad omnes Capitulares, etiam illos, qui inter Canonicos cooptati sint ante talem novam legem, & reformationem, sequitur, quod etiam isti teneantur antiquis constitutionibus, & obligentur ad longius Chori servitium.

84. Superest ostendere, quod antiquæ illæ constitutiones, facta reformatione, atque earumdem restitutione, pertineant ad Capitulares omnes, etiam illos, qui antecedenter admissi fuerant. Hoc sic ostendo. Qui admissi sunt tempore relaxationis in Capitulum habens eas obsoletas constitutiones, se subjecerunt illi, & promiserunt obedientiam illi, qui habet potestatem reformandi, & restituendi eas veteres constitutiones. Ergo virtualiter voluerunt, & promiserunt observantiam talium constitutionum in casu, quo restituerentur, & reformarentur. Ergo, facta reformatione, eæ constitutiones pertinent etiam ad illos, & arctant etiam illos, qui admissi sunt in Capitulum tempore relaxationis, ac proinde possunt compelli.

85. Dixi, dummodo talis observantia fuerit hic & nunc possibilis moraliter: nam, ut habetur *reg.6. in 6. Nemo potest ad impossibile obligari*: quod autem valde difficile est secundum præsentem rerum statum, moraliter impossibile censetur. Hinc si veteres illæ constitutiones requirerent servitium totius anni sine ulla prorsus vacatione, non facile concederem, eas posse taliter restitui, ut in præsenti rerum statu omnes ac singulos Capitulares obligarent; tum quia, ut recte notat Garcias *p.3. de Benef. c.2. n.311.* residentia, ac servitium totius anni, maxime durum videtur, spectata præsenti hominum fragilitate; tum quia Sacra Congregatio ita censuit in una *Astoricen.* his verbis: *Decretum Concilii cap.12. sess.24. concedit Canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirunt*. Cæterum interessentia Canonicorum omnibus Horis Canonicis, singulisque diebus, non præsefert hanc difficultatem: unde in casu esset tum ex particularibus constitutionibus, tum jure communi debita, juxta Barbosam *p.3. de off. & potest. Episcopi alleg.53.*

86. Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Non prima petita ex indulto Tridentini; nam Tridentinum indulget quidem Canonicis trium mensium absentiam, sed ibidem expresse præservat constitutiones Ecclesiarum, quæ longius servitii tempus requirunt: quare si alicujus Ecclesiæ constitutiones requirant longius servitii tempus citra totum annum, puta decem, vel undecim mensium, eæ, non obstante indulto Tridentini, observandæ sunt,

sunt, quamdiu vigent: secus si requirant totius anni servitium, juxta nuper dicta.

87. Ad secundam R. ex tractu longissimi temporis, quo non observatæ sunt veteres constitutiones, præsumi justam causam eas non observandi. At hæc causa nulla alia est, nisi aliud probetur, quam præscripta, & rationabilis consuetudo eas non servandi; nam primi introducentes consuetudinem adversus eas leges, toto eo tempore, quo consuetudo introducta non erat, utique deliquerunt: deinde vero introducta hac consuetudine, successores licite eidem se conformarunt. Quod si instes, talem consuetudinem esse rationabilem, & consequenter haberi causam, cur nunc talis usus sit, & licitus sit, respondeo, haberi quidem causam, sed consistentem in his duobus: primo nempe in honestate materiæ quo ad non repugnantiam cum naturali, vel Divina lege: secundo in motivo aliquo sufficienti respectu superioris ad permittendum talem usum contrarium legi. Hæc autem duo non faciunt, quominus superior ex majori motivo cultus Divini, ac disciplinæ Ecclesiasticæ possit hic & nunc eam consuetudinem abrogare, & talem usum non amplius permittere: quod patet in Tridentino de reformatione, in qua multa in pristinum restituuntur, quæ per contrariam rationabilem consuetudinem in desuetudinem abierant.

88. Ad tertiam R. Do libenter, Canonicatum a Capitularibus susceptum, non eos obligare ad observantiam constitutionum, quamdiu illis derogatum fuerit per contrariam legitimam consuetudinem, ut diximus in secunda assertione; at nego, non posse Episcopum de consensu majoris partis Capituli talem consuetudinem abrogare; & hac posita abrogatione, nego, non posse Episcopum eos ad earumdem constitutionum observantiam compellere juxta dicta in tertia assertione: siquidem dato, quod ipse possit collapsam disciplinam Ecclesiasticam erigere, & constitutionibus denuo editis reparare, necesse est, ut simul possit sibi subditos ad earum observantiam compellere, nam aliter non posset efficaciter id præstare.

89. Ad quartam R. Id, quod citati Auctores asserunt, procedit, si Episcopus ea statueret, & ad ea compelleret, quibus status Clericalis notabiliter austerior fieret: non vero procedit, si ea statuat, & ad ea compellat, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, & pietatem vel restituendam, vel augendam, aut necessaria, aut valde utilia videntur, cujusmodi sunt veteres constitutiones de servitio Chori &c.

90. Ad quintam R. Sanctum Archiepiscopum Carolum eam industriam adhibuisse, non quod ipsi deesset potestas ad restituendam collapsam Capitularium disciplinam, sed ut Christum Dominum imitaretur, qui homines, quorum animos ad Deum conversurus venerat, non dominantis auctoritate subegit, ut philosophatur Origenes *l.* 1. *Periar. c.* 2. sed subjectorum spontanea deditione, quam obtinuit lenitate, & mansuetudine, mirabiliter dextera ejus deducente, ut habet *Psalmus* 44. Idem sit exemplar Episcopis.

CA-

CAPUT IV.

Praxis proponitur ad tuendam pacem, respiciens Episcopum.

91. POstquam ea, quæ ad intellectum pertinent, pro tuenda inter Episcopum & Capitulum concordia enarrare institui; ea etiam quæ ad eumdem optatum exitum voluntatem dirigant, pro mea tenuitate suppeditare aggrediar. Initium capiam ab iis quæ Episcopos respiciunt: verum, ne temeritatis arguar, quippe qui illis monita, & consilia dare videar, qui cæteris omnibus non dignitate dumtaxat, sed prudentia etiam ac doctrina antecellunt, nihil ferme de meo, ut ajunt, penu proferam; sed omnia propemodum ex Ecclesiæ Patribus, ex Sanctorum exemplis, ex Conciliorum, & Pontificum Constitutionibus depromam: quamobrem injuria temeritatis accuser, quando id unum velim, ut me canalem exhibeam, & saluberrimo ex fonte scaturientes aquas in ipsos montium vertices derivem. Quamquam, ne quisquam hanc mihi temeritatis notam inurat, Episcopi ipsi utpote sacrorum canonum peritissimi sedulo præstabunt. Statim enim ipsi me accusanti reponent: *Non est inconveniens ab incipientibus consilium petere*: Glossa *in Cap. Ad nostram, extra, de consuet.* Addent & illud *ex dist. 38. Can. ult.* ubi habetur: *Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, a parvulis, vel minimis eruditis, si quid forte est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat*. Certe non raro gregarius miles expertissimo duci opportuna suggessit, nec quemquam puduit selectissima poma humili ac vili ex frutice decerpere. Quare hoc solutus metu, impavidus Episcopis proponam, quæ avertendis cum Capitulo scissuris quammaxime apposita judicaverim.

92. Primo igitur sic vivat Episcopus, ut Capitulum, omnesque intelligant, ipsum non quærere occasionem cum aliis rixandi, sed solo Dei timore & honore duci ad Episcopalem tuendam dignitatem, & ad debitam sibi obedientiam, & reverentiam exigendam: enimvero unusquisque serius ocyus libenter fert, Sanctum Episcopum, quæ sui juris sunt, mordicus defendere, nec eorum quidquam permittere, quæ suæ dignitati fraudi sint; at nimium quantum nonnulli ægre ferant, si viderint, Episcopum totum esse in exigenda reverentia, & honore, ea vero, quæ ad virtutes Episcopo dignas, & ad commissi sibi gregis curam pertinent, negligere. Refertur in Vita S. Caroli Borromæi *l. 7. cap. 17.* quod ministri Regii cum vellent Philippum II. deducere a consilio admittendi in Antistitem Mediolanensem Fridericum Borromæum, in mentem illi revocabant longas, ac varias contentiones habitas cum Carolo ejusdem gentis Archiepiscopo: at sapientissimus Rex opportune reposuit: *Fridericus sit sanctus, sicut fuit Carolus, & pugnet, atque acer sit pro defendendo suo jure; equidem id patienter feram*. Idem ferme unicuique Episcopo dixerim: sit sanctus, sicut fuit S. Carolus, S. Franciscus Salesius, S. Thomas de Villanova, aliique; & Capitulum, cæterique æqui bonique facient, si ipse pro assistentia, pro deductione, aliisque reverentiæ signis certaverit. Quinimo honorem omnes eidem sponte sua deferent, ut plane S. Carolo contigit, de

quo

quo *in ejus Vita l.8. c.3.* accepimus, molestum Principibus viris minime extitisse, licet gravissime cum illis ageret; siquidem ipsi Principes ob eximiam ejus sanctitatem perhonorificos eidem ultro se se præstabant.

93. Secundo alterum etiam plurimum paci & concordiæ Episcopum inter, & Capitulum conferet, nempe Capitularium sibi amorem & benevolentiam conciliare, ita ut re & verbis eorum amicitiam optare & magnifacere Episcopus significet, atque ex occasione conetur officiis & beneficiis benevolentiam eorum diligenter fovere & nutrire: facile enim Capitulares Episcopi voluntati se accommodabunt, si noverint ab eo diligi, & in pretio haberi. S. Augustinus, ut ipse fatetur *lib.5. Confess. c.13.* Sanctissimo Antistiti Ambrosio in Catholica religione instituendum se dedit, non tam propter ejusdem auctoritatem, & doctrinam, quam propter ipsius in se humanitatem ac beneficentiam. En verba Sancti Augustini *loco citato*: *Eum amare cœpi, non tanquam doctorem veri, sed tanquam hominem benignum in me.* Intellexit id Sanctus Archiepiscopus Carolus, de quo ajebat Cardinalis Bellarminus: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Ecclesiasticam.* Intellexit, inquam, id Sanctus Archiepiscopus, ac propterea de suo auxit redditus præbendarum Metropolitanæ Ecclesiæ, pecunias Capitularibus pro expediendis in Romana Curia litteris Apostolicis non raro subministravit; quinimo duodecim, & aliquando quindecim ex Canonicis domi suæ impensis propriis alebat, omnes vero, uti constat *ex ejus Vita l.8. cap.25.* singulari veluti fratres amore prosequebatur: hinc sine difficultate, ac sine controversia saltem gravi, ac diuturna, inter severiores Ecclesiasticæ disciplinæ leges eos coercuit.

94. Tertio proderit, nihil sine magna discretione innovare, nec veteres consuetudines de facili abolere: nam, ut docet S. Augustinus *ep.128.* *Ipsa mutatio consuetudinis etiam, quæ adjuvat utilitatem, novitate perturbat*: quia, ut notavit Cæsar *lib.6. de Bello Gall.* *Nemo est tam fortis, qui rei novitate non turbetur.* Hinc Honorius III. scribens Capitulo Parisiensi, monet, quod *plerumque discordiam pariant novitates*: *ex Cap. Cum consuet. hoc tit.* Itaque prudens Episcopus ea plerumque sententia dirigatur, quam olim S. Stephanus Papa rescripsit Sancto Cypriano. *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*: præsertim cum a Sacris Cardinalium Congregationibus frequenter emanent decisiones ejusmodi: *Servari solitum.*

95. Advertendum tamen est primo, consuetudines aliquas non tam esse consuetudines, quam corruptelas, & abusus; easque propterea incumbit Episcopo auferre, & irritare: quare nec Capitulo, nec cuiquam alteri molestum esse debet, si Episcopus id faciat: positus est enim ipse in Ecclesia Dei, non solum ut *ædificet*, & *plantet*, sed etiam ut *evellat*, & *destruat*. Hujusmodi erant consuetudines non associandi Episcopum ad Cathedralem propter hujus discontinuationem a palatio Episcopali, ac non permittendi ipsi visitationem Montis Pietatis &c. quas Ven. Dei Servus Fr. Joseph a S. Maria de Sebastianis, Episcopus vigilantissimus, omni ope, ac studio a sua diœcesi removere voluit, ut constat *in ejus Vita l.4. c.3.*

96. Advertendum secundo, quædam accusari novitatis, quæ sunt perantiqua,

tiqua, nec nisi injuria temporum, vel hominum incuria in desuetudinem abierunt. Hæc porro veluti postliminio revocare, non raro sanctum ac pium est, ut fuse probat Joannes Nider *de Reform. Relig.* Quare minus juste conquererentur Capitulares, aliique, quando Episcopus, pro commissa sibi Pastoralis curæ sollicitudine, hæc in pristinum restitueret. De facto nemo sanus eos probat, qui sæculo decimosexto nostræ salutis, cum creber Sacramentorum usus a sanctis viris, Cajetano, Ignatio, aliisque introduceretur, acriter commoti sunt, arguentes rem tanquam novam, quando revera primis Ecclesiæ temporibus passim id usurpatum fuerit, ac hominum negligentia & desidia evenerit, ut per ea tempora a Sacramentis suscipiendis tamdiu homines abstinerent.


97. Advertendum demum tertio, potissimum cavendum quidem esse Episcopo a facilitate innovandi, non tamen esse illi recedendum ab omni omnino novitate: nam aliquando bono Ecclesiæ ac religionis expediet, ut statuta quædam antiqua mutentur, ac nova decernantur; quod quidem ex S. Thoma **1. 2. q. 97. art. 2.** contingit vel ex hoc, quod aliqua maxima, & evidentissima utilitas ex novo statuto proveniat, vel ex hoc, quod antiquæ legis, ususque observatio sit hic & nunc plurimum nociva. Hinc non statim ac Episcopus aliquid innovat, debent Capitulares in ipsum insurgere; nam magna fortasse utilitas, vel necessitas ad id eum cogit, quarum utraque Capitulares lateat. De facto quæstiones maximæ, ac dissensiones ortæ sunt *anno reparatæ salutis* 1230. quando Robertus Episcopus Leodiensis primum voluit in sua diœcesi festum Corporis Christi instituere. Causantes quamplurimi novitatem, rem esse minus congruam, ajebant, non oportere novas festivitates indici, satis uniuscujusque Religioni esse, si festis aliis diebus a Patribus statutis tanti hujus beneficii memoriam recolerent. Ita scriptis consignatum reliquit Bartholomæus Fisens *lib. de prima origine Festi Corporis Christi cap.* 24. Nihilominus experientia nos docuit, quam pie sancteque novum illud festum fuerit in ea diœcesi primum, ac deinde in tota Ecclesia institutum, ac decretum; siquidem maximum inde Fides, & religio cepit incrementum: exemplum luculentum, quod non statim omnia propter novitatem sunt improbanda; quamquam fateor, novitatem non esse faciendam pro quacumque melioratione, ut inquit S. Thomas **1. 2. q. 97. art. 2.** sed pro magna utilitate, & necessitate.

98. Quarto proderit etiam ad tuendam pacem, si Episcopus nihil temere, & sine maturo consilio agat; & quando non adsint in præsentia viri periti, quorum consilio fidere possit, scribat, si tempus patitur, ad absentes. Ita Bellarm. *in epist. ad Nepotem controv.* 7. Et jure id quidem; tum quia *bonis consiliis anima dulcoratur, Prov.* 27. tum quia gradus medii, ut docet S. Thomas **2. 2. q. 53. art. 3.** per quos oportet ordinate descendere ad operationem, sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis majorum: per quos quidem gradus aliquis ordinate descendit recte consiliando. De S. Ignatio, quem Societas Jesu Parentem agnoscit, ex historiis accepimus, consuevisse non solum aliorum consilia ante opera-

operationem exquirere, sed ad consultandum illud observasse in primis, ut in quaque re semper ejus rei peritissimos adhiberet; qua communicatione assequebatur, ut rationes iniret optimas, nec facto dictoque quemquam offenderet. Idem plane continget Episcopo, si minime præceps, antequam quidquam mandet, aut ipse exequatur, viros peritos consulat, & cauta potius illi consilia, quam prospera ex casu placeant. Certe stat illud ex sacris litteris: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit*. *Eccl*. 32.

99. Quinto demum non sit facilis Episcopus, ut de acceptis a Capitulo injuriis sive veris, sive apprehensis, cum aliquo non sensato, ac minus probo viro conqueratur; nam iste, ut Prælato aduletur, suscitabit irarum flammas, & Capituli delictum exaggerando, vel læsam Episcopalem auctoritatem obtendendo, importunas suggeret deliberationes; ut contigit Regi Achab conquerenti de Naboth cum Jezabel. Quare pium Episcopus ac prudentem virum unum, vel alterum dumtaxat solatii causa, si opus sit, de re admoneat: imo proderit, si consolatorem optimum Deum ipse adeat, & effundat animam suam coram Domino. Profecto Deus pacis dabit cogitare cogitationes pacis. Hæc Episcopus diligenter observans, facile abstinebit a lite, & minuet peccata.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



PARS SECUNDA

DE HIS QUÆ CAPITULO DEBENTUR AB EPISCOPO.

CAPUT I.

100. Idimus, quid Capitulum debeat Episcopo: superest, ut ea inspiciamus, quæ Episcopus debet Capitulo: non enim pax, & concordia inter illos coalescet, nisi alteri ab altero jus suum tribuatur; nec tribui illud poterit, si in alterutro alieni juris cognitio desideretur. Quare, ut rem statim aggrediar, incumbit potissimum Episcopo sui Capituli curam gerere, quia est ipsius caput & Pastor, ac propterea videre ipse deb et ne quid Capitulum detrimenti capiat sive in bonis animæ, sive in bonis honoris, sive in bonis fortunæ.

§. I.

De cura bonorum animæ.

101. ET quidem quod attinet ad bona animæ, curare Episcopus debet, ut ea, quæ pertinent ad vitam, & honestatem Clericorum, juxta Pontificias, & Conciliares sanctiones, exacte a Capitulo custodiantur: nam sacrosancta Tridentina Synodus *sess.24. cap.12.de ref.* vult, Capitulares omnes ea morum integritate pollere, ut aliis exemplo sint, & merito Ecclesiæ senatus dici possint: præsertim vero operam dabit, ut provisi de Canonicatibus, & Dignitatibus in sua Ecclesia, emittant Professionem Fidei coram ipso, vel ejus Vicario Generali, & coram Capitulo intra duos menses a die possessionis pacificæ, sive admissionis ad massæ Capitularis participationem, ex Tridentino *ibidem*: deinde ut debitam præstent residentiam, ita ut non absint ultra tres menses a loco Beneficii, nec solum exhibeant suam præsentiam in Choro, sed etiam, nisi aliud longæva consuetudo permittat, ipsi psallant, & Divina per se, non per substitutum, obeant Officia, ex Trident. *ibidem*. Dixi, nisi aliud longæva consuetudo permittat; nam, valere consuetudinem de eo quod Canonici non psallant, sed ipsi Choro decenter, atque reverentialiter assistant, Musici vero, vel Cappellani Divinum Officium decantent, opinio est plurium gravium Doctorum, ut Gavanti *tom.2.de Rubricis Missal. sect.5. cap.5. tit.5.* Azorii *p.1. lib.10. cap.11. q.5.* Lessii *lib.2. de Just. & Jure cap.34. dub.33. n.185.* Garciæ *p.3. de Benefic. cap.2. num.517.* aliorumque. * Tandem

* **Vid. tamen Bened.XIV** *in Const.103.Cum semper oblatas &c.***ubi §.24.***Equidem scimus &c.* **hujusmodi opinio, & consuetudo acriter improbatur.** *Bull.* **tom.1. pag.372.**

dem ficuti cavere debent Epiſcopi, ne Canonici tres menſes vacationis aſſumant tempore occurrente in Natale, aut Paſcha Domini, aut alias ejuſmodi maximas ſolemnitates, prout declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione teſtantur Garcias, Barboſa, & Zerola 1.*part. Praxis Epiſcopalis v.Privatio* §.*Tertium Dubium, an omni tempore &c.* ita ſollicitus ſit, ut in Choro attente, ſtudioſe, rite, pie, ac religioſe Divinæ laudes concelebrentur; nam a pluribus identidem Conciliis, ac præſertim a Tridentino *ſeſſ.*24.*cap.*12.*de ref.* & Aquiſgranenſi ſancitum eſt, ut Canonici in Choro pſallant, *non curſim, atque inordinatis, ſeu intemperatis vocibus, ſed plane, ac dilucide, ac cum compunctione cordis, ut & recitantium mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum pronunciatione demulceantur*. Hinc S. Carolus Borromæus in monitionibus ad Canonicos per Barboſam *p.*3. *de Poteſt. Epiſcopi alleg.*53. relatis, inter alia ſic loquitur: *Vos qui in Cathedrali Eccleſia Dignitates obtinetis, Canonici item attente, ſtudioſe, pie Divinas laudes concelebrate, & pſallite Deo in conſpectu Angelorum, cantantes in cordibus veſtris Domino: in Choro nemo privatim, nemo tacite Officium recitet, ſed omnes pariter quicumque adeſtis ſenes cum junioribus laudate nomen Domini in Pſalmis, Hymnis, & Canticis*. Quod ſi ex Canonicis aliqui habeant Indultum Pontificium, quo excuſentur a Choro pro diebus & horis, quibus ratione ſui officii impediantur; ſciat Epiſcopus, poſſe excuſari illum qui non impeditur actu a ſuo officio pro tempore Chori, ſed eo die occupatus fuit a ſui officii actione, quam, ſi voluiſſet ille, poterat differre tempore Chori: ut docet Navar.*de Orat.& Hor.Can.cap.*5.*n.*21. & cenſet hanc eſſe probabiliorem ſententiam Sanchez *in Conſ. l.*2. *cap.*2. *dub.*97. Sciat, inquam, hæc: nam quamvis melius ſit, ut ea opinione Canonici non utantur, tamen Epiſcopus non debet ſemper rigidioribus opinionibus adhærere: ſiquidem noſſe debet, *promptiora eſſe jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum*: *Cap. Ex litteris, de probat.*

102. Det etiam operam Epiſcopus, ut Canonici, juxta Tridentini ſanctionem, aut eo Ordine Sacro ſint initiati, quem Dignitas, præbenda, vel portio requirit, aut in tali ætate, ut intra tempus a jure, & ab eadem ſancta Synodo ſtatutum initiari valeant. Præterea diligenter provideat, ut frequentes ipſi aſſiſtant concionibus, quæ habentur in feſtis intra annum, ac præſertim in Quadrageſima, & Adventu, ex Conc. Mediol.I. *p.*2. *tit. de Præd.* inſuper ut veſtitu decenti tam in Eccleſia, quam extra utantur: decentia autem veſtis comprobabitur ex eo, teſte Reiffenſtuel, ſi fuerit conformis communi uſui timoratorum, ſeu conſuetudini provinciarum, in qua Canonici verſantur.

103. Illud tamen obſervandum eſt ab Epiſcopo, ne inter procurandum ſui Capituli ſpirituale bonum oneroſus ipſe ac moleſtus fiat ex monitionum & præceptorum multiplicatione. Certe *inſanire omnes ſtultos dicimus*, ajebat Seneca *l.*1. *de benef. cap.*35. *nec tamen omnes curamus elleboro*. Sic non quilibet minutus error admonitione curandus eſt. Medicina debet eſſe Prælati correctio, non panis quotidianus; atque idcirco S. Bernardus ad Eugenium ſcribit: *Rector omnia videat, multa diſſimulet, pauca caſtiget*. Frequens enimvero ac nimius

nimius strepitus apes dissipat, lenis ac moderatus congregat: similiter discreta correctio errantes emendat; at fastidium creat, & optatum exitum impedit nimia ac superabundans Pastoris sollicitudo de omni quacumque re, omni loco, ac tempore commonefacientis, & minuta quæque sectantis. Meminerit proinde sapiens Episcopus, Ecclesiasticæ disciplinæ zelum discretionis sale conditum esse oportere; nam præcipua inter virtutes quæ nos a diaboli deceptionibus custodiat, ut ajebat S. Antonius Magnus, *discretio est*: adeo ut verissime deinde pronunciaverit S. Bernardus *serm.49. in Cant. Tolle hanc, virtus vitium erit*.

§. II.

De cura bonorum honoris.

104. HActenus quo ad bonum animæ. Jam vero quo ad bonum honoris, suas esse partes intelligat Episcopus, eniti, ut Capitulum, Ecclesiasticorum videlicet prima ac nobilissima pars, summo apud omnes in honore ac pretio sit: propterea in id quammaxime incumbat, ut inter Canonicos non cooptentur, nisi selectissimi ex Clero sive nobilitate, sive litteratura, sive insigni aliqua prærogativa. Hinc multis allegatis negat Barbosa *cap.14. de Canon.* pauperem, ac pannosum Clericum providendum esse de præbenda Ecclesiæ Cathedralis, nisi fuerit litteratus; nam dedecet, præeminentiam in Ecclesia Cathedrali a vili & contemptibili persona sustineri. Excipit, nisi fuerit is litteratus, vel alia insigni prærogativa instructus: siquidem litteratura præcipue viros Ecclesiasticos commendat, eosque obtinendis dignitatibus perquam idoneos efficit; atque idcirco ad præbendas, quæ ex statuto Ecclesiarum a Sede Apostolica confirmato debentur nobilibus, admittuntur Doctores, licet nobiles non sint, ex Barbosa *loc.cit.* & Riccio *p.6. coll.*2452.

105. Addidi, vel alia insigni prærogativa ornatus, puta vel singulari morum probitate, qua cæteris ad virtutem, atque Ecclesiasticam disciplinam incitamento sit, vel sapientia, aut aliis dotibus præstet, quibus Ecclesiasticos viros præditos esse oportet; nam in Dignitatibus Ecclesiasticis virtus in primis attendenda est: unde cum in Pontificis cujusdam electione commendaretur unus a generis nobilitate, respondit alter, *Piscatori Petro successorem quæri, non Augusto*: uti refert Glossa *in Can. Quoniam vetusto 24. quæst.1. v. Invidia*.

106. Promoti vero ad Cathedralis Canonicatum, observet Episcopus, ut decorum tueantur, nec se se contemptui exponant. Refert Baronius *ad annum Christi* 604. S. Gregorium Magnum Paschasium Neapolitanum acriter reprehendisse, quod ita quotidie despectus cum uno, aut duobus Clericis diceretur ad mare descendere, ut & apud suos in fabula esset, & extraneis sic vilis & despicabilis appareret, ut nihil habere Episcopalis vel ingenii, vel reverentiæ videretur. Similiter redarguendi sunt ii Canonici, qui rebus vilibus se se immiscent, & ad infima quæque se se dimittunt, nisi id fecerint ex Christiana sui animi dimissione: nam tunc id cedit in honoris, ac reverentiæ incre-

incrementum: siquidem, ut optime ajebat S. Augustinus, *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium*.

107. Præterea debet Episcopus curare, ut dignior in Ecclesia pro Canonicis locus constitutus sit; nec permittere, ut alius quispiam laica dignitate præfulgens se se intra eorum septa intromittat. Sancte id custodiebant duo Archiepiscopi Cardinales Borromæus, & Bellarminus, quorum alter Mediolani sedilia elevata, & affabre facta pro Canonicis in Cathedrali extruxit, eorumque situm laicis omnibus penitus interdixit; alter Capuæ virum principem, sedem suam juxta Canonicos collocare audentem, S. Ambrosium imitatus, qui Theodosium inde expulit, a consilio pariter ausuque dimovit. Hinc in nupero Romano Concilio a Benedicto XIII. sub interdicti pœna statutum est, ne intra Presbyterium, & Altarium septa laici aut stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant, uti videre est *tit.*28. *cap.*4.

108. Quædam etiam præeminentiæ Canonicalis insignia, ut Almutiam, Cappam, aliaque id genus ex legitima facultate Canonicos gestare, haud ægre ferat Episcopus; imo, si circumstantiæ rem patiantur, ipse idem hujusmodi ornamenta suis Canonicis procuret. Nam, ut notavit Quintilian. *l.*8. *in Procem. Cultus concessus, atque magnificus addit hominibus, ut Græco versu testatum est, auctoritatem*. Unde Tertullianus *lib. de Pallio*, indices, custodesque dignitatis, habitus vocat. Hinc passim *ex Italia Sacra* Ughellii constat, sapientissimos Episcopos studuisse, ut Canonici in laudem Divini nominis digniori & decentiori vestitu ornarentur. Novissimis temporibus Marcellus Card. de Aste Episcopus Anconitanus, ut *in ejus Vita cap.*10. non solum enixe curavit, ut Canonici suæ Cathedralis Cappa aliisque honorificentiæ insignibus decorarentur, sed etiam summam non exiguam pecuniæ de suo contribuit, ne ob eam rem expensis Capitulum, aut Capitulares gravarentur. Imo Pius IV. in sua Bulla ad Metropolitanam Pisarum protestatur, se decus, honorem, & venustatem quarumlibet Cathedralium Ecclesiarum, & personarum in eis famulantium augeri sinceris exoptare affectibus. Caveat etiam Episcopus, ne suorum Capitularibus privilegiorum usum impediat, nisi vel inde occasionem ipsi caperent delinquendi, vel privilegium extenderent ultra id quod superior concedit.

109. Porro in præcipiendo, in pœnis irrogandis &c. præcipua habeatur ratio Canonicalis præeminentiæ, ita ut & præceptum sit ipsis accommodatum, & pœna eos non dedeceat. De S. Thuribio Archiepiscopo Limano memoriæ proditum est, nihil unquam præcepisse, quod personarum qualitati, loco, ac tempori non congrueret. Inter vero personarum conspicuarum prærogativas numeratur exemptio a quibusdam pœnis, quibus aliæ inferiores personæ subjiciuntur, ut tradit Tiraquel. *lib. de Nobilit. cap.*37. Quare in æquali delicto, non semper æquali Canonicus puniendus est pœna. Certe, ut notat Riccius *resolut.*292. appellatione Clericorum in materia odiosa non veniunt Canonici, tanquam majores, & in primo gradu; secus vero in favorabilibus, & Indulgentiis: unde pronum est colligere, in pœnis eos ab aliis Clericis secerni oportere.

110. Plu-

110. Plurimum autem sui Capituli famæ atque honori consulet Episcopus, si ipse nihil omnino apud cæteros de illorum auctoritate, vel existimatione minuat; unde non solum eorum operam adhibeat, quatenus id commode fieri potest in suæ Ecclesiæ rebus gravioribus constituendis, sed etiam videat diligenter, ne quisquam Canonicorum sive in honoris significatione, sive in petitione consilii, se ab Episcopo vel præteritum, vel contemptum, jure conqueri possit. Propterea quæ ex Cæremoniali Episcoporum ipse debet Canonicis, nequaquam prætermittat; atque idcirco ad sedem suam ascendens salutabit levi capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes, *ex cap.* 18. Missam celebraturus, permittet, ut Canonici parati stent in gyrum, vel sedeant, prout ipse interim steterit, vel sederit, *ex cap.* 15. accedens ad portam primariam Ecclesiæ a digniori de Capitulo Aspersorium accipiat, *ibid.* Quod tamen non est intelligendum, quando accedat ad Ecclesiam vel Collegiatam, vel Regularem, vel aliam distinctam a Cathedrali, nec eidem subjectam, etiamsi Capitulum Cathedralis capitulariter cum Episcopo intersit; etenim in tali casu dignior ejus Ecclesiæ Aspersorium porrigit, & ab eodem immediate Episcopus accipit. Ratio est; quia porrectio Aspersorii est actus obsequii, & reverentiæ: ad dominum autem domus spectat obsequium hospiti venienti præstare. Et ita sæpius declaravit sacra Rituum Congregatio, prout videre est apud Pignatell. *tom.* 3. *consf.* 18. Illud etiam, quod olim attentari vidi, caveat Episcopus, ne, quando cum ipso interveniunt capitulariter Canonici, & Dignitates, inter ipsum, & Capitulum, secularis aliqua dignitas se se immisceat; nam id cederet in Capituli aliquale dehonestamentum; siquidem Capitulum constituit unum corpus cum Episcopo, & jus habet, ut cum ipso immediate conveniat; etenim inter caput, & corpus, non debet alter diversæ naturæ se immiscere, ut expendit *ibidem* Pignatell. & ita declaratum fuit in una *Typhern. de anno* 1719. Ad extremum illud alte animo insideat, quod eo magis a Capitulo honorabitur Episcopus, quo ipse magis honorabit Capitulum; nam tritum est illud sermone proverbium: Quis honoratus, & in pretio? Qui alios honorat, observat, & colit debita reverentia. Vid. Corn. a Lap. *in Prov. cap.* 16. Hinc sapientissime de more S. Hieronymus *in ep. ad Nepotianum* admonuit sic: *Illud etiam dico, quod Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent Clericos quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitii: Cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* Enimvero, si honorificum se magis, ac magis mitem in Cardinales præbuisset Urbanus VI. Pont. Max. fortasse non ad eas calamitates redacta esset Ecclesia, quas ipsa per longum & infaustum schisma toleravit, ut expendit Brietius *ad annum Christi* 1378. ubi ait, quod in ea hypothesi ille sibi laboris minus, Ecclesiæ minus damni accersivisset.

§. III.

§. III.

De cura bonorum fortunæ.

111. QUod vero attinet ad bona fortunæ, hæc etiam respectu sui Capituli curæ esse debent Episcopo. Hinc Canonici cum habere debeant præbendas, seu redditus, ex quibus vivant, ad hoc debet attendere Episcopus ex Concilio Arel.III. *cap.*9. Quinimo, si Canonicatus, aut præbendæ tenues sint, potest Episcopus aliqua Beneficia non Regularia eis unire, ut possint Canonici sustentari: si ea non habeat, potest supprimere aliquas præbendas cum consensu patronorum, si sint juris patronatus, ut fructus applicentur quotidianis distributionibus: Canonici autem, seu Præbendarii reducantur ad parvum numerum, qui tamen sufficiat servitio Ecclesiæ, ex Tridentino *sess.*24. *de reform. cap.*15. Quod si contingat, Canonicorum numerum multiplicari, nullatenus potest Canonicis antiquis subtrahi præbenda ex aliorum multiplicatione, *ex Cap. Cum M. Ferrariensis, de constitutionibus*. Cum vero possit quis ultra numerum in Canonicum recipi sine præbenda, si is receptus fuerit auctoritate Papæ, debet habere primam præbendam, quæ vacat, & hæc nequit alteri dari; imo si Episcopus etiam ignoranter alteri eam det, nulla est collatio, *Cap. Si postquam, de præbendis, in* 6. Canonicus statim ac est acceptatus, debet fructus percipere de Canonicatu, & non expectare aliquot annos, nisi sit tale onus in fundatione Canonicatus, ex Concilio Senonensi *in Decr. morum cap.*21. Quin etiam ille, qui ultra numerum fuerit receptus sine præbenda, debet statim percipere distributiones quotidianas, si Choro intersit, ut docet Panormit. *Cap. Dilectus* 19. *de præbendis*, quamvis in ea re standum esse consuetudini moneat Azorius. Animadvertat etiam Episcopus, quod si in sua Cathedrali Ecclesia facta fuerit reddituum divisio, ita ut pars applicata sit Ecclesiæ ad ejus fabricam & ornamentum, pars applicata sit ministris Ecclesiæ ad eorum sustentationem; tunc portiones Canonicorum absentium, & fructus quacumque ratione amissi pertinent ad mensam Capitularem, & sunt dividendi Canonicis interessentibus, ex Rota coram Penia 9. *Maji* 1594. apud Garciam *de benef.* 3.*p. c.*2. Si vero in sua Cathedrali Ecclesia non fuerit facta talis divisio, tunc fructus præbendæ Canonicalis, quibus absentes privantur, pertinent ad Ecclesiam; distributiones autem quotidianæ amissæ ob absentiam a Choro, seclusa contraria consuetudine, accrescunt interessentibus: uti colligitur ex Tridentino *sess.*21. *c.*3. *& sess.*24. *c.*12. *de ref.*

112. Limitanda tamen est conclusio 1. ut non procedat in distributionibus extraordinariis, & impropriis, quæ de redditibus alicujus Dignitatis, & Personatus constitutæ sunt, lucrandis tamen ab eo, cujus est Dignitas, & Personatus. Hæ enim distributiones aliis interessentibus non accrescunt, sed fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, applicandæ sunt, ex Tridentino *sess.*22. *c.*3. Limitatur 2. ut etiam non procedat in distributionibus, ex quibus cuilibet Præbendato interessenti est assignata determinata pars; quia per

hanc assignationem tacite insinuatur, illa debere esse contentum, neque amplius lucrari posse: & tunc, si Præbendatus abest, cedit illa portio Ecclesiæ, non aliis Præbendatis. Sic Navarr. Barbosa, & Bonacina apud Castropalaum *de Hor. disp.* 3. *p.*8.

113. Ubi etiam facta est prædicta redditnum divisio, non potest Capitulum convertere in usum proprium, idest in reparationem ruralium domorum, ac cætera ejusmodi, eos redditus, qui pertinent ad Ecclesiam, ex allegatis per Pignatell. *tom.6. consult.*50. quinimo si talium bonorum pertinentium ad Ecclesiam fuerint administratores Canonici, & Capitulum, tenentur de eis rationem reddere suo Episcopo tum ex dispositione juris communis, de quo *in Clementin. Quia contingit, de relig. domib.* tum ex Tridentino *sess.22.cap.9.de ref.* non obstante quacumque consuetudine in contrarium. Quod si aliquid converterint Canonici in alium usum, tenentur ipsi Ecclesiam, seu fabricam reintegrare; quia obligatio reddendi rationem continet obligationem restituendi reliquum, *l. Cum servus ff. de condit. & demonstr.* apud Pignatell. *loc.cit.*

114. His, & aliis spectantibus ad bona fortunæ sui Capituli sedulo invigilet Episcopus, ac sibi persuasum habeat, eo magis sibi addictos, & obsequentes Canonicos habiturum, quo ipse magis eorum utilitati, & commodis sive conservandis, sive augendis inservierit: nam sicut pinguis liquor accensam flammam nutrit, ita sollicitudo alieni boni amorem conciliat. Legimus, S. Anselmum Lucensem Episcopum Capitularibus redditibus amplificandis quammaxime studuisse, ut Canonicos ad sanctiorem vitam reduceret, & prius œconomi, deinde reformatoris personam induisse: ut *in ejus Vita cap.* 13.

CAPUT II.

Proponitur, ac resolvitur casus.

115. Casus est: Titius Episcopus videns se modo super Cæremoniali, modo super debita sibi observantia, modo super jurisdictione vexari a Capitulo, nollet, ad conservandam pacem, litem super his apud Romanam Curiam intentare; ac proinde quærit, an Episcopus aliquando teneatur litem promovere, & prosequi etiam cum ingenti dispendio?

116. ℞. Videtur, quod Episcopus nunquam teneatur lites movere, & prosequi, præsertim si id facere non possit sine gravi dispendio: I. quia ex sacris litteris lites non probantur; nam *Eccl.*28. dicitur: *Abstine te a lite, & minues peccata*: & 2. *Tim.*2. *Servum autem Domini non oportet litigare*: & *Matth.*5. *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Cum itaque Episcopus debeat se præ cæteris sacrarum litterarum institutionibus conformare, consequens est, nunquam ipsum teneri ad lites movendas &c. præsertim cum Ecclesia Episcopos, & cæteros Clericos orare præcipiat, *ne litis horror insonet*, & alibi: *Extingue flammas litium*.

117. II. quia in jure laudantur, qui lites fugiunt, & execrantur, *l. Fratris* 10. *C.de transact.* & *l.Item §.final. ff.de alien. Judic.* & *Cap.2. §. Statutum, de verborum signif. in* 6. Hinc Cicero laudat Servium Sulpitium non tam ob admira-

mirabilem, & pene Divinam juris scientiam, quam quod semper maluerit litium controversias tollere, quam actiones instituere. Laudandus idcirco erit Episcopus, si semper a litibus abstineat.

118. III. quia officium Episcopi est lites dirimere, pacemque omni cura inter omnes quærere, ut pluribus adductis firmat Barbosa *de Pot. Episc. p.3. alleg.79.* imo hortantur maxime Theologi, & Moralistæ apud Layman *l.3. tract.4. cap.31. n.8.* ut Christiani omnes, orta inter eos aliqua controversia, transactioni, vel amicabili compositioni, aut arbitrario judicio causam committant potius, quam ut judiciaria lite se fatigent. Quamobrem, ne suo desit muneri, & ut aliis bono suo exemplo Episcopus præeat, non solum non tenebitur lites movere, sed etiam tenebitur eas omnino evitare.

119. IV. quia lis, seu litigium, ideoque etiam litigare, vel opponitur charitati, cum non possit esse sine discordia, quæ charitati opponitur, vel opponitur mansuetudini, cum proveniat ex iracundia, juxta illud *Eccl.*28. *Homo iracundus incendit litem*. Iracundia autem opponitur mansuetudini, vel opponitur temperantiæ, cum ex concupiscentiis oriatur non bene domitis, juxta illud S.Jacobi *in ep.Cath.c.4.Unde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* vel tandem opponitur affabilitati, & amicitiæ, ut docet Philosophus *Eth.*4. & D. Thom. 2.2. *q.*116. *art.*1. Cuicumque autem ex his opponatur, semper stat, litigare esse malum: adeoque tum omnes, tum præcipue Episcopus, nunquam habebunt obligationem litigandi; siquidem ad malum non datur obligatio.

120. V. quia ex litibus plura sæpe mala nascuntur, nempe scandala, temerariæ suspiciones, detractiones, bonorum, & utilium operum postpositio, expensarum profusio, Divini cultus neglectus &c. unde nonnulli pronunciarunt, nihil ita esse simile dæmonum moribus, quam litigare, Paul. Montan. *de Tutel.& Cur.cap.*3. quamobrem certo certius videtur, nunquam posse Episcopum ad lites movendas obligari, præcipue contra suos Canonicos, quos uti fratres, consiliarios, & adjutores suos in pastorali sollicitudine diligere, nedum amare debet.

121. Nihilominus dicendum est, excessum in litibus movendis omnino ab Episcopo vitandum esse; cæterum aliquando litem ab eo moveri, posse non solum esse honestum, sed etiam obligatorium, dummodo tum in movendo, tum in prosequendo litem, ab ipso serventur servanda.

122. Hæc positio triplicem habet partem, & seorsim per singulas ibo, explicans simul & probans easdem. Dixi igitur, excessum in litibus movendis omnino vitandum esse ab Episcopo; nam, ut recte notat S. Thom.2.2. *q.*168. *art.*3. in omni eo quod est diligibile secundum rationem, superfluum, ac vitiosum est id, quod excedit regulam rationis: cum autem litem movere sit diligibile secundum rationem, si quis excedat hanc regulam, superflue aget, ac delinquet; & proinde excessus in litibus vitandus est. Dupliciter autem potest quis excedere regulam rationis in litigando, seu lites movendo: uno modo ex ipsa specie litium, quæ intentantur, quando scilicet lites quis moveat super re, quam sibi noverit non deberi, aut, si certo debeatur, nullius ta-

men momenti est; unde locum habet Horatianum illud: *De lana sæpe caprina &c.* alio autem modo potest esse excessus in litibus, secundum defectum debitarum circumstantiarum, puta si aliquis litem moveat temporibus, aut modis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii, seu personæ &c. quamobrem ejusmodi excessus in litibus cavendus est in primis ab Episcopo, præsertim cum verissimum experientia docuerit illud Cassiodori *l. 1. ep. 21. Nescio quo pacto assidue dimicantibus difficile est morum custodire mensuram.*

123. Dixi secundo loco, movere litem, posse esse aliquando honestum, & aliquando etiam obligatorium Episcopo. Prima pars probatur: nam litigare nihil aliud importat, quam in legitimo judicio contendere ad rem suam defendendam, aut vindicandam ab alterius injustitia cum debita intentione, & modo. Hoc autem bonum de se, & laudabile esse, docet S. Thom. 2. 2. *q. 38. art. 1.* Quis porro non videt, id locum habere posse aliquando etiam respectu Episcopi, qui quamvis præ cæteris debeat esse pacis amator, tamen necessitas aliquando se se offeret, ut is apud legitimum tribunal litem instituat, & in judicio litem agat? Altera pars probatur; quia tenetur Episcopus suam jurisdictionem, suam præeminentiam, sua jura conservare, eaque ab injustis aggressoribus defendere ac tueri, *ex Can. Augustino* 12. *q. 2.* & notat Genuensis *in Man. c. 28. & cap. 74.* Cum autem contingere possit, ut hæc Episcopus conservare & defendere nequeat, nisi per litem coram legitimo judice; sequitur &c. Hinc Squillant. *de obligat. Episc. cap. 23. p. 1.* instituit quæstionem, an Episcopus possit tuta conscientia differre recuperationem bonorum, vel jurium Ecclesiæ, non litigando? & respondet cum distinctione, ex Abb. *in Cap. 2. de præscript.* aut Episcopus sperat verosimiliter, quod ad tempus differendo recuperabit rem suam sine litigio; & non peccat supersedendo: secus, si ista verosimiliter non arbitratur non litigando, nisi timeretur magnum scandalum. Hactenus Squillant. qui aperte cognoscit hanc obligationem in Episcopo, exceptis duobus casibus: primo nempe, quando aliter posset rem suam defendere: secundo, quando ex lite magnum sequeretur scandalum.

124. Dixi tertio loco, dummodo serventur servanda: nempe dummodo Episcopus non deveniat ad litem movendam, nisi ex necessitate, postquam frustra curaverit adhibere omnem aliam viam amicabilis compositionis, vel compromissi in arbitros &c. deinde dummodo is modus in litigando servetur, ut nullum ex lite charitas detrimentum patiatur, adeo ut litigans Episcopus usurpare valeat illud S. Gregorii *lib. 6. Epistolarum: Ego hæc habeo ex Domini largitate, quod sic ea, quæ justitiæ sunt, foris exequar, ut, quæ sunt amoris, minime postponam.*

125. Præclarum hac in re exemplum dedit laudatus S. Anselmus Episcopus in celebri controversia, quam habuit cum suo Capitulo: etenim antequam ad litem coram Romano Pontifice instituendam descenderet, primo Canonicos omnes, ac singulos allocutus est, precibus, hortationibus, exemplo, præmiorum pollicitatione apud ipsos egit, ut Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ ab ipsis exigebatur, se conformarent; deinde consuluit viros doctos, & communem

munem Dominam in temporalibus Comitissam Mathildam; tertio extrajudicialiter de re tota certiorem fecit Romanum Pontificem, atque operam dedit, ut ipsum Canonici convenirent, & coram ejus sententiam explorarent; tandem contumaces ad Pontificium tribunal detulit, insordescentes toleravit, &, ut mitius cum ipsis ageretur, tum a Romano Pontifice, tum a Concilio supplex obtinuit: uti fuse atque erudite descripsit Andreas Rota *in ejus Vita cap.* 13.

126. Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Non prima, quæ petitur ex variis textibus sacræ Scripturæ. Nam ex his nihil efficitur, nisi quod vitandus sit excessus in litibus, & quod ex necessitate dumtaxat litigandum sit, ut supra nos ipsi diximus. Quinimo addimus, laborandum esse, ut nunquam hujusmodi necessitas adsit. Cæterum, ubi necessitas adfuerit, nemo dixerit, aut litigare illicitum esse, aut semper licitum Episcopo non litigare. Non secunda; quia eadem responsione rejicitur.

127. Non tertia; quia admitto, officium Episcopi esse lites extinguere, & pacem cum omnibus procurare; sed difficile admodum erit, ut in tanta rerum, ac negotiorum varietate possint Episcopi lites omnes declinare, ac propterea a necessitate aliquando compellentur litem instituere: unde, non obstante eorum officio, aliquando honeste, aliquando sub obligatione etiam litem aggredientur.

128. Non quarta; quia litigare potest dupliciter accipi, nempe philosophice, & juridice. Acceptum philosophice, importat vitium consistens in verbis, cum scilicet alter alterius verbis contradicit vel ex solo defectu amoris, qua ratione opponitur charitati, vel animo contristandi proximum, quo sensu opponitur affabilitati, & amicitiæ &c. & hoc sensu semper malum est, & de hoc loquitur S. Thomas *tot. q.*116. Acceptum juridice, importat caussam agere in judicio; & in hoc sensu, si vitetur excessus, & serventur servanda, non semper est malum litigare, imo aliquando etiam Episcopo obligatorium.

129. Non quinta; quia etiam ex bello ingentia mala sequuntur, & tamen non semper bellum agere malum est: quinimo de Fide est, bellum simpliciter non esse intrinsece malum, nec Christianis prohibitum: unde in Scriptura laudantur bella facta a sanctissimis viris, *Gen.* 14. *Benedictus Abraham, & benedictus Deus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt*: & in novo Testamento Deus ipse manifestis signis ac prodigiis tum ad Antiochiam Syriæ, tum in aliis locis ostendit sibi gratum bellum aliquod fuisse. Quamobrem ad mala, quæ ex bello sequuntur, optime respondet S. Augustinus *lib.*19.*de Civit.Dei cap.ult.* ex his bene probari, bellum, quo ad fieri possit, esse vitandum, & solum in necessitate extrema, quando nullum aliud medium superest, esse tentandum, non vero esse prorsus malum; quia, quod ex eo sequantur mala, per accidens est, & majora sequerentur, si nunquam liceret. Idem proportionaliter dicendum est de litibus, & de malis, quæ ex ipsis procedunt. Quamvis vero oratio semper habeatur ab Ecclesia ad Deum, ut lites avertat, id tamen vel potest intelligi de litigio, & altercatione verborum, vel, si intelli-

telligatur de litibus judiciariis, nihil inde evincitur; quia etiam Ecclesia sæpe Deum orat, ut bellum avertat, & tamen aliquando bellum est non solum justum, sed etiam licitum, & necessarium.

130. Notetur ad extremum, quod quamvis possibilis sit casus, in quo Episcopus teneatur in conscientia ad movendam litem cum suo Capitulo; tamen is perquam raro continget. Certe habemus in Vita Eminentissimi Card. de Alte Episcopi Anconitani *cap.* 18. quod cum esset legum peritissimus, & sui Episcopalis juris retinentissimus, nunquam libratis hinc inde rationibus sensit se obligatum esse in conscientia ad lites suscipiendas, ac proinde omnes vel evitavit, vel amicabiliter composuit, solitus illud passim usurpare: *Che il Vescovo deve per quanto mai può fuggire tutte le liti co' sudditi; perchè se le vince, si fa oggetto di odio; se le perde, oggetto di derisione.*

CAPUT III.

Praxis proponitur Capitulo ad tuendam pacem.

131. Quemadmodum ut duæ inter se asses cohæreant, utraque polienda est ac læviganda; ita vinculum pacis ut duos obstringat, utriusque affectus sunt ad justi rectique normam complanandi. Quare non Episcopi solius, de quo jam diximus, sed Capitularium etiam hac in re opera, virtus, & conatus sunt ad praxim deducendi. Et primo quidem facile unusquisque e Capitularibus pacem servabit cum suo Episcopo, si plane sibi persuasum habeat, causam discordiæ ac dissensionis non raro ex sua uniuscujusque natura & ingenio, non ex alterius defectu, aut non recta gubernatione provenire: sunt enim nonnulli ita a natura comparati, ut præsentem quemlibet superiorem prædecessori postponant, de omnibus sinistre loquantur, & ipsi, Lunæ instar, vani ac mobiles cum sint, neminem probant, quia nemini cohærent. Temperanda proinde est hæc prava nostri animi affectio, & ad rationis normam revocanda; sic enim fiet, ut placeant quæ modo displicent, probentur quæ modo improbantur, ac pax firmiter retineatur. Certe vir mitissimus, ac spectatæ sanctitatis erat Moyses, testante Scriptura: *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum*: nihilominus non semel murmuravit contra eum omnis congregatio filiorum Israel, *Exod. c.* 16. Numquid murmurationis, ac querelæ causa ex imprudenti Moysis gubernatione? Nequaquam; sed ex inordinato ejus populi affectu, ac prava rerum intelligentia. Ita non raro Capitulares cum Episcopo certamen suscipiunt, non quia id res ipsa ac veritas postulet, sed quia id mala ipsorum animi dispositio extorquet: in quo sane Capitulares plurimum suæ famæ nocent, siquidem viri sapientes rem introspicientes, in eos regerunt quod olim Seneca pronunciavit *lib. de Ira*: *Invalidum omne natura querulum est, nec quidquam magnum, nisi quod simul & placidum.*

132. Secundo patienter ipsi Capitulares ferant, si forte contingat, ut Episcopus suæ Ecclesiæ præsit, qui aut Episcopalibus dotibus minus instructus sit, aut gubernationi minus idoneus; nam, ut optime ajebat Ethnicus ille Cor-

Cornelius Tacitus, debemus *bonos Imperatores voto expetere, qualescumque tolerare: quomodo sterilitates, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum, vel avaritiam dominantium tolerare*. Hanc vero tolerantiam ea confirmabit cogitatio, quod nullus est in hac vita, qui non habeat aliquem defectum: unde par est, ut alter alterius onera portemus; præsertim cum in pœnam nostrorum peccatorum det nobis aliquando Deus superiores minus idoneos, juxta illud *Job* 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Hinc S. Gregorius *in eum locum* opportune ait: *Nullus, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuset, quod nimirum sui fuit meriti perversi rectoris subjacere ditioni: culpam ergo proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernantis*. Profecto si Capitulares hæc apud se reputent, non ita facile litem cum Episcopo excitabunt.

133. Tertio caveant etiam Capitulares, ut docet idem S. Gregorius *lib.* 11. *ep.* 31. ne clanculo, aut publice Episcopum suum, unctum Domini, detractionibus, aut vituperationibus dilanient; tum quia Dominus præcipit: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*: & in lege Divina legitur: *Diis non detrahes, & populi tui Principi non maledices*: tum quia, ut inquit Eccles. *Aves cœli portabunt vocem tuam; & qui habet pennas, annunciabit sententiam*: idest fama perferet hæc maledicta ad ejus aures, unde fortasse plurimum ille de suo in Capitulares amore remittet. Quamobrem concludit S. Gregorius: *Si David Regum justissimus in Saul, quem constabat jam a Domino reprobatum & abjectum esse, manum mittere non præsumpsit, quanto magis cavendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in unctum Domini &c.* præsertim cum inde offensionis, ac rixarum causæ suboriantur. De S. Ignatio Loyola memoriæ proditum est, consuevisse reprehendere eos, qui de soluta Ecclesiæ disciplina, deque emendandis Principum moribus temere disputarent.

134. Quarto admonendi sunt etiam, inquit S. Gregorius *ibidem*, Clerici, ne cum culpas Episcopi sui considerant, contra eum audaciores fiant, sed sic ejus prava apud semetipsos considerent, ut Divino timore constricti ferre sub eo jugum reverentiæ non recusent; nam, ut optime docuit Vegetius *lib.* 21. *Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus; Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore*. Enimvero cum Siricius Papa ex falsis criminationibus in S. Hieronymum, & ejus socios S. Paulinum, & S. Pammachium, non bene, teste Card. Baronio *ad ann.* 590. insurrexerit, ac S. Hieronymi libros in Jovinianum per errorem reprehenderit, non proinde ii sancti viri expostularunt, aut Pontificis decreto audacter restiterunt, sed quievere, ac re Deo commissa honorificos se se in illum præstiterunt; unde factum est, ut accusatio tota brevi consenuerit, & obsequiosa sanctorum humilitas eorum innocentiam satis probaverit.

135. Quinto, si quando necessitas exigat, ut Canonici Episcopum vel de re aliqua admoneant, vel corrigant, aut a consilio aliquo deducant, meminerint,

nerint, juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q.44. art.4. modum congruum adhibere, ut scilicet, non cum protervia, & duritie, sed cum mansuetudine, & reverentia id fiat; nam Apostolus dicit 1. *ad Tim.*5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*. Optimum hac in re exemplum dedit Propheta, qui aggrediens correctionem Regis sui David, perhonorifice ac reverenter illum convenit, nec statim ac temere delictum illius arguit; sed proposita ovis parabola, & prædivitis hominis rapina, effecit, ut per se ipsum delictum ille suum cognosceret. Sic Capitulares ubi Episcopum vel negligentem, vel insolita quædam ac minus congrua mandantem animadverterint, non irreverenter se se illi opponant, nec statim per supplices libellos eum accusent, nisi rei gravitas id postulet, sed alias prius experiantur rationes officiosas ac remotas a forensi strepitu, quibus ille rite edoctus se se emendet. Certe correctio Evangelica obligat nos etiam respectu superiorum, ex S. Thom. 2. 2. q.33.*art*.4. At duo in ea re monent SS.PP. apud Suarez *de Char.disp*.8. *sect*.4. Primum est, cavendam esse in ejusmodi correctione omnem irreverentiam & audaciam, atque adeo accedendum esse simplici & humili animo. Alterum est, correctionem judicialem non pertinere ad subditos: imo, ut notat idem Suarez *ibidem*, Anacletus, & Fabianus Pontifices volunt, subditorum accusationem non facile admittendam esse in judicio contra Prælatos, quia est res valde suspecta.

136. Viderit igitur Capitulum, ut hæc, ac quæ deinde subjiciam, sollicite observet. Profecto his insistens custodiet unitatem in vinculo pacis, ac plane Angelicos mores referet; nam, juxta S.Bernardum *l*.5. *de Conf. cap*.4. *Angeli affectu benigni, religione pii, castimonia integri, unanimitate sunt individui, pace securi, a Deo conditi, Divinis laudibus, & obsequiis dediti*.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.



PARS

PARS TERTIA

QUID POSSIT CAPITULUM SINE, ET CUM EPISCOPO.

CAPUT I.

137. POstquam vidimus quid debeat Capitulum Episcopo, & quid Episcopus Capitulo; superest videre, quid possit Capitulum sine, & cum Episcopo. Sermo tamen erit solum de Capitulo sede Episcopali plena.

§. I.

Quid possit Capitulum statuere sine Episcopo.

138. CApitulum, sede Episcopali plena, sicuti nihil potest statuere de his rebus, quæ ad alios, v. g. ad diœcesis, ac diœcesanorum gubernationem pertinent, quia licet habeat habitualem, nullam tamen habet actualem jurisdictionem; ita cum dependentia ab Episcopo, tanquam a suo superiore, potest minora quædam, quæ pertinent ad bonum ordinem, & regimen Capituli, statuere etiam sine expresso consensu, ac confirmatione Episcopi: eaque statuta non erunt in rigore leges, sed ordinationes quædam sub aliqua fidelitate obligantes. Ita ex variis textibus, ac Doctoribus apud Suarez *de legibus lib.* 4. *cap.* 6. argum. *Cap. Cum omnes, de constitution.*

139. Graviora autem, quæ spectant ad Ecclesiæ Cathedralis commodum, & ad observantiam antiquarum consuetudinum, non potest Capitulum nec decernere, nec immutare, aut quidquam circa illa statuere sine consensu Episcopi: argum. *Cap. Cum accessissent, de const.* apud Suarez *loc. cit.*

140. Quænam vero sint, & cujus generis ea minora, quæ possunt a Capitulo statui sine confirmatione Episcopi, referuntur ab Anacleto Reiffenstuel *tit.* 2. *de constitutionibus*, eaque sunt ejusmodi: v. g. quod certo modo quotidianæ obventiones distribuantur, quod tali ordine, aut ad pulsum hujus, vel illius campanæ Canonici ad Chorum, aut Capitulum vocentur, vel determinatis temporibus Canonici etiam non vocati ad Capitulum compareant &c. & universim ea fere omnia, quæ concernunt ordinationem Chori, ex Rota 3. *Decembris* 1593. coram Corduba. Hæc porro de his rebus statuta potest Capitulum condere absque participatione Beneficiatorum, qui tanquam ministri Ecclesiæ tenebuntur illis parere, ex Rota *decis.* 67. coram Merlino, & ex Fignatello *cons.* 49. *tit.* 6. imo contra Clericos delinquentes in Choro vel non recte pronunciando, vel non assistendo, vel recedendo ab eodem Choro absque licentia Decani, vel Præpositi, poterit Capitulum aliquas salutares pœnitentias leves extrajudicialiter, & ad correctionem injungere, ex Rota *dec.* 432. *par.* 3. apud Clericatum *part.* 3. *disc.* 6. Dixi, extrajudicialiter; nam Ca-

Capitulum nullum habet jus procedendi judicialiter contra Clericos delinquentes suæ Ecclesiæ, etiamsi delicta sint levia, & ejusmodi, ut non mereantur pœnam corporalem, ut constat ex Tridentino *sess.* 24. *de ref. cap.* 20. apud Clericatum *loc. cit.* Huc revoces, quod Nicolius *in Flosculis* refert decisum a Sac. Congregatione *in Fundan. anno* 1602. non posse Canonicos affigere in Ecclesia, vel Sacristia scripturam aliquam, concernentem servitium Ecclesiæ; sine consensu Ordinarii.

141. Ea vero graviora, quæ nequeunt statui a Capitulo, sed necessario requirunt consensum Episcopi, universim explicuit Suarez per ea verba: *quæ spectant ad Ecclesiæ Cathedralis commodum, & ad observantiam antiquarum consuetudinum*: v. g. non potest Capitulum concedere, ut Canonici absint ultra tres menses a residentia: non potest permittere extinctionem, seu affrancationem, quam vocant, pensionis relictæ fabricæ, Sacristiæ, vel Ecclesiæ, & alia ejusmodi: sicuti nec abstrahere commodando, vel locando mobilia, aut supellectiles pretiosas ejusdem Ecclesiæ, vel Sacristiæ &c. nam regimen, & administratio Ecclesiæ Cathedralis, & bonorum ejusdem Ecclesiæ, spectat cumulative ad Episcopum, & Capitulum: Felin. *in Cap. Edoceri*, Pignatell. *tom.* 6. *conf.* 49. aliique. Notat vero Barbosa *de jur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 32. fuisse olim *die* 23. *Augusti* 1631. decisum a Sac. Cong. Concilii in una *Naxien.* quod paramenta nova & antiqua mutare possunt Canonici absque consensu Episcopi, sicuti etiam de aliis mobilibus non pretiosis disponere, dummodo non adsit consuetudo, ut de consensu Episcopi id fiat. Hinc etiam nequit Capitulum admittere sine consensu Episcopi fundationes Missarum, & Anniversariorum; imo probabilius videtur, quod sine tali consensu, & sine solemnitatibus, nec valide, nec licite possit repudiare rerum immobilium, sive pretiosarum hæreditatem, vel legatum, vel donationem factam Ecclesiæ: ut bene docent Azor. Molin. Engel &c. contra Barbosam, Sanchez, Reiffenstuel. Ratio est; quia repudiatio juris delati saltem in latiori sensu habetur pro alienatione, *l.* 5. *v.* 8. *ff. de rebus eorum qui sub tutela*: *Fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris auctoritate non potest*; *esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat*: ergo repudiatio pro alienatione est habenda, ubi alienatio est prohibita in favorem: & consequenter, cum talium rerum alienatio prohibita sit a jure in favorem Ecclesiæ, adeo ut a jure ipso ea irritetur non servatis servandis, sequitur &c. Illud etiam sciendum, quod Capitulum potest sine consensu Episcopi donare juspatronatus sibi competens jure proprio in Beneficio alteri Ecclesiæ, vel loco pio, vel Clerico, nomine Ecclesiæ, seu dignitatis quam obtinet, uti colligitur *ex Cap. Illud*, *de jure patr.* apud Castrop. *tr.* 13. *disp.* 2. *p.* 4. *n.* 17. & tradunt communiter D. D. ut testatur Azor. 2. *p. Inst. mor. l.* 6. *cap.* 20. *q.* 5. Verum non potest illud donare laico, aut etiam Clerico tanquam personæ privatæ, sine consensu Episcopi, ex Corrad. *in Prax. Beneficiali l.* 4. *cap.* 5. *n.* 8. Leuren. *de Potest. cap. q.* 519. aliisque. Ratio hujus consensus requisiti esse potest, ne damno afficiatur Ecclesia, assignando ei patronum suspectum, & invisum. De Reliquiis existentibus sub dominio & potestate Ecclesiæ Cathedralis puto,

to, quod Capitulum possit aliquod earum frustulum, pietatis causa, personæ exteræ & benemeritæ elargiri, ita tamen ut pietas dilatetur quidem, sed Ecclesiæ decor non deficiat, atque idcirco majores partes Reliquiarum ejusdem Sancti in Ecclesia remaneant, uti colligitur ex Donato *q.* 56. Limites, nisi aliter ferat consuetudo, aut expressa Episcopi prohibitio. Sanctus Carolus Borromæus, ut extat *in ejus Vita l.* 8. *cap.* 2. obtinuit Breve Pontificium, quo prohibebatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in tota Provincia Mediolanensi, ne Reliquia ulla amoveretur e sua Ecclesia sine consensu Summi Pontificis; & sic sacri hujus thesauri custodiæ consulere voluit.

§. II.

De his quæ nequeunt a Capitulo statui etiam cum consensu Episcopi.

142. HActenus quæ nequeat Capitulum statuere sine consensu Episcopi: nunc ea sunt indicanda, quæ nequeat etiam cum consensu Episcopi. Hæc autem sunt, quæ repugnant juri communi; & sic Capitulum etiam de consensu Episcopi nequit statuere, quod descendentes ex genere infecto, v. g. Judæorum, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad Beneficia Ecclesiastica; quia est contra *Cap. Eam te, de rescriptis*: quod non admittantur Canonici, nisi probata nobilitate, quia est contra *Cap. Venerabilis* 87. *de præb.* Excipias illas Ecclesias, in quibus ex primæva fundatione nobilitas exigitur. Limites etiam, nisi hæc, aut ejusmodi statuta fuerint a Sede Apostolica approbata. Demum nec de consensu Episcopi potest Capitulum statuere, quod capiens possessionem Canonicatus, aut Beneficii, teneatur aliquid solvere convertendum in commodum aliorum Canonicorum; hoc enim tanquam simoniacum reprobatur *in Can. Si quis præbendas* 1.*q.*3. Advertas etiam, quod Capitulum aliquando eget non solum consensu Episcopi in decernendis rebus, sed etiam consensu Beneficiatorum: nam solum Capitulum nequit quidquam statuere de his, quæ tangunt interesse etiam Beneficiatorum, sed horum est requirendus & habendus consensus, ex Rota coram Card. Cavallerio *dec.* 57. sicuti Capituli major pars non potest facere expensas de communi massa in rebus concernentibus ipsam majorem partem tantum, minore parte reclamante, ex textu, ac Doctoribus apud Clericatum *p.* 3. *disc.* 20.

143. Advertendum etiam est, quod administratio Anniversariorum communium Canonicis, & Beneficiatis, pertinet ad Capitulum privative, non ad Beneficiatos Ecclesiæ, nisi Beneficiati probarint, massam illam communem esse factam ex redditibus ipsorum Beneficiatorum; nam tunc omnes intervenire debent, ex Rota in una *Genuden.* coram de Grassis apud Genuensem *cap.* 85. *in annot.*

§. III.

De requisitis ad validitatem statutorum Capitularium.

144. Quamvis Capitulum, uti diximus, quædam leviora possit statuere sine consensu Episcopi, quatuor tamen conditiones requiruntur, ut valeat conditum a Capitulo statutum; sicuti notat Barbosa *de Jure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 2. I. scilicet, ut Capitulares consentiant in tale statutum, non quovis in loco, sed in domo, seu conclavi ad Capitula celebranda deputato, Canonicis, non quomodocumque, vel singulariter, sed per modum communitatis astantibus: II. quod duæ saltem partes Capitularium adsint: III. ut omnes fuerint vocati; alioquin unus contemptus, seu non vocatus, cum vocari debuisset, posset reclamare, actumque irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit: IV. ut major & sanior pars illorum qui adsunt, statuto consentiat. Quod de statuto diximus, intelligas etiam de mandato, commissione &c. ex Riccio *ref.* 283.

145. Hinc mirabar olim Canonicum contendentem se processisse ex mandato Capituli, quando major quidem pars Capitularium mandatum illi dederat agendi, sed non in loco ad Capitulum deputato, nec omnibus per modum communitatis astantibus. Quare, ut mihi videbatur, talis Canonicus non poterat obtendere, se agere nomine Capituli; & cum in Synodo cautum esset sub pœna suspensionis, ne quisquam sine mandato Capituli, auctoritatem & nomen Capituli præferret, credebam, in eas pœnas incidisse, qui de mandato singularium Capitularium dato extra locum Capitularem sibi nomen Capituli arrogabat.

146. Dixi superius §. 1. statuta, quæ fecerit Capitulum de rebus levioribus, non esse in rigore leges, sed meras obligationes, ordinationes &c. ob defectum nempe jurisdictionis in Capitulo sede plena: nam quamvis eam illi inesse pro his levioribus decernendis velint nonnulli sive ex communi consuetudine, sive ex tacito consensu Pontificis; tamen contraria opinio videtur probabilior: unde ejusmodi Capituli statuta non habent vim obligandi ex præcisa potestate, & voluntate ea ferentis, sed ex vi pacti, promissionis, & juramenti, quo singuli Capitulares promiserint, quod illa acceptabunt, & observabunt: ut notat Sylvester *v. Lex q.* 4.

147. Hinc fit locus dubitationi, an Capitularis teneatur ad observantiam talium statutorum, quando major pars Capituli ea non observat? ℞. cum Sanchez *de Juram. cap.* 15. negative, dummodo de opposita jurantis, aut promittentis mente non constet. Ratio est; quia in tali casu inobservantiæ non putatur quis se obligasse, sed dumtaxat se obligasse pro casu, quo statutum in ea universitate observaretur: constat autem, quod in ea universitate non observetur, quando de facto a majori ejus parte non observatur. Propterea quærit Azorius *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 8. quid censendum sit de iis qui in Capitulum admittuntur, ac jurant se statuta servaturos? Et respondet, eorum jusjurandum interpretandum eo sensu, nimirum jurare se servaturos ea, prout sunt

in

in more posita, hoc est prout solent a toto Capitulo, vel majori ejus parte servari.

148. Dubitatur etiam, an statutum factum a Capitulo obliget successores? Rℓ. Vel tale statutum fuit ab Episcopo confirmatum confirmatione essentiali, juxta modum loquendi insinuatum a Bartolo & Baldo apud Suarez *de legib. l.6. cap. 26.* vel non? Si fuerit ita confirmatum, certum est, quod obliget successores; quia censetur tale statutum emanasse a jurisdictione & auctoritate Episcopali. Si vero non fuerit ita confirmatum, certum adhuc est, quod obliget; sed non facile de hoc redditur ratio, supposita carentia omnis jurisdictionis in Capitulo sede plena. Mihi tamen videtur dicendum, quod successores non teneantur illud servare ex prædecessorum juramento, si etiam ipsi suum juramentum non adjecerint, ex Sanchez *l. 3. cap. 13. in Decal.* siquidem obligatio juramenti est personalis: deinde existimo, quod successores teneantur illud servare tum ex vi pacti, quod tacite intercedit inter successores, & Capitulum, cui succedunt, scilicet ex pacto succedendi cum oneribus ab eo impositis, tum ex eo quod Capitulum semper unum & idem numero perseverat tam in omnium existimatione, quam juris fictione, ac proinde Capitulum dicitur non habere successores, etiamsi omnia ejus membra, seu singuli Capitulares decesserint, subintrantibus aliis, ut docet cum Remouch. Leuren. *tract. 2. de Coad. oblig. q. 431.* Unde si semel Capitulum per statutum se obligavit, semper remanet obligatum, donec illud statutum non revocetur.

149. Dixi supra, si fuerit confirmatum confirmatione essentiali ab Episcopo; nam est aliud genus confirmationis, quod dicitur accidentale, & hoc solum confert majorem quamdam solemnitatem, seu auctoritatem statuto Capitulari remanenti intra limites Capitularis statuti, nec ullatenus assurgenti ad legem Episcopalem: quare ex tali præcise confirmatione nulla deduceretur obligatio respectu successorum.

150. Ad extremum advertas, quod quamvis Capitulum possit etiam sine consensu Episcopi condere aliqua statuta de rebus levioribus, semper tamen erit necessarium, ut Episcopus non contradicat; nam quo ad hoc ille semper habet superiorem auctoritatem & jurisdictionem.

§. IV.

An possit Capitulum sine Episcopo revocare statuta Capitularia ab Episcopo, vel Pontifice olim confirmata?

151. RES hæc multas habet difficultates: paucis tamen, ut spero, eam expediam. Dico igitur 1. Non potest Capitulum revocare statutum, neque accedente consensu Episcopi, quando ex tali statuto fuerit jus alteri quæsitum. Ratio est; quia per inferiores Principe nullo modo potest tolli jus quæsitum tertio, *l. ult. ff. de pactis*. Quare si Capitulum statuerit, ut Canonici supernumerarii admittantur ad participationem distributionum & anniversariorum, non poterit deinde tale statutum revocari in præjudicium eorum qui admissi sunt inter Canonicos, quidquid sit de admittendis.

152. Di-

152. Dico 2. Non potest Capitulum revocare statutum confirmatum ab Episcopo, quando Episcopus in confirmatione addiderit clausulam: *ut si quidquam contra fiat, non valeat*. Ratio est; quia tunc ipsis statuentibus tollitur, ne contra statutum sic confirmatum procedant: uti habetur expresse *in Cap. Dilecto, de præbend.* & notavit Glossa ibi, ac Suarez *l. 6. de leg. c. 26. n. 24.*

153. Dico 3. Non potest Capitulum revocare statutum confirmatum ab Episcopo, vel a Pontifice confirmatione essentiali, sine consensu Episcopi, vel Pontificis respective. Ratio est; quia per talem confirmationem statutum Capitulare factum est lex Episcopalis, vel Pontificia; siquidem auctoritate alterutrius est roboratum. Illa enim nostra facimus (inquit Pontifex *in Cap. Si Apostolicæ, de præbend. in 6.*) quibus auctoritatem impertimur.

154. Dico 4. Potest Capitulum sine consensu Episcopi, vel Pontificis respective, revocare statutum ab alterutro confirmatum confirmatione accidentali. Ratio est; quia talis confirmatio superaddita est ob quamdam auctoritatem, & specialem splendorem, non autem ob specialem aliquam vim obligandi. Satis clarum exemplum de hac re extat *in Cap. Cum accessissent, de constit.* ibi enim habetur, quod Canonici Tullenses fecerant statutum de supprimendo suæ Ecclesiæ Primiceriatu, & hoc statutum fuerat confirmatum ab Alex. III. nihilominus Innocentius deinde III. supponit, quod inconsulto Pontifice potuerint ii Canonici Primicerium eligere, ac tali statuto a Pontifice confirmato contravenire, scilicet quia confirmatio fuerat mere accidentalis.

155. At dubitabis, unde dignoscetur, quod confirmatio vel sit essentialis, vel dumtaxat accidentalis? ℞. Quoties statutum respicit commodum statuentium, toties confirmatio superioris præsumitur mere accidentalis; quia non debet præsumi superior velle invito beneficium conferre, & ad favorem recipiendum obligare nolentem. At e converso, quoties statutum concernit principaliter bonum publicum, aut favorem Ecclesiæ, vel aliorum, quam statuentium, toties præsumendum est regulariter, confirmationem esse essentialem: ex Fagnan. *n. 12. de const.* Engel *de constit.* aliisque.

156. Dixi, regulariter ita præsumendum, ut indicarem, etiam in ejusmodi statutis concernentibus bonum publicum posse aliquando confirmationem expostulari ob meram auctoritatem & honorem, non autem ob obligationis impositionem: sed regularirer id non est præsumendum, nisi clare constet; quia consuetudo declaravit, hanc confirmationem in ejusmodi statutis concernentibus bonum publicum expostulari tanquam essentialem.

157. Dubitabis etiam, an Capitulum possit revocare statutum a se juratum, sine Episcopo relaxante juramentum? ℞. aliquando posse, aliquando non posse. Et quidem potest (in suppositione tamen, quod non fuerit superadditum juramentum de non revocando), tunc quando in id statutum jurarunt singuli Canonici ut singulares; quod evenit, quando jurant id, quod singulorum observantiam seorsim concernit, v. g. ut nullus, nisi Doctoratu insignitus, vocem passivam habeat ad officium &c.

158. Non potest autem revocare, tunc quando singuli quidem jurarunt, non tamen ut singulares, sed ut universitas quædam; quod contingit, quando jurant

jurant id quod, non per singulas personas seorsim implendum est, sed conjunctas nomine universitatis, seu collegialiter: ut si statuant, non habendum esse Capitulum, nisi tali tempore &c. ut constat *ex Cap. Dilecto, de præbend.* apud Sanchez *l. 3. Decal. cap.* 15. Temperant autem hoc Abbas, Angelus, Sylvester, aliique, ut non possit universitas statutum tale revocare, nisi propter favorem & bonum publicum. Cæterum in aliis casibus recurrendum erit pro relaxatione ad Episcopum.

§. V.

An possit Capitulum jurisdictionem Episcopalem exercere, Episcopo excommunicato, vel suspenso?

159. Resolutio hujus quæstionis pendet ex resolutione alterius; videlicet, an, Episcopo excommunicato, vel suspenso, jurisdictio devolvatur ad Capitulum? Pro qua videndus est Fagnanus *in Cap. Quia diversitatem, de concessione præben. num.* 25. ubi respondet negative, & docet, in tali casu recurrendum esse ad Papam, qui consuevit in facti contingentia constituere Vicarium Apostolicum. Probat autem suam assertionem Fagnanus tum ex multiplici ratione petita ex variis textibus Canonicis, ac præsertim ex eo quod mors civilis Prælati non æquiparetur morti naturali, nisi ubi id in jure cautum invenitur, ut pro regula tenendum ait Gloss. Joan. *in Can. Placuit*, il secondo, *v. Mortuus* 16. *q.* 1. tum demum ex praxi, qua nimirum, Episcopis ob delictum, vel inhabilitatem suspensis ab administratione, Capitulum non administrat, sed Sedes Apostolica providet.

160. Quare clare ex hoc deducitur, non posse Capitulum, Episcopo excommunicato, vel suspenso, exercere jurisdictionem Episcopalem. Excipe, nisi necessitas Ecclesiæ aliud exigat, & Pontifex propter distantiam facile adiri nequeat. Excipe etiam, nisi Episcopus fuerit excommunicatus propter notoriam hæresim; quia, Episcopo notorie hæretico, jurisdictio devolvitur ad Capitulum, juxta *Cap. Ut commissi, de Hær. in* 6. Fagnan. *n.* 34. citantem se ipsum *in Cap. Ad abolendam, de Hæret. n.* 32. siquidem, Episcopo notorie hæretico, sedes Episcopalis non solum interpretative, sed vere vacat: ut ex Fagnan. docet Leurenius *de Jurisd. Capit. qu.* 454. Hinc Sac. Congreg. Concilii, teste eodem Leurenio, *die* 14. *Januarii* 1588. declaravit, Episcopo existente hæretico, pertinere ad Capitulum facultatem concedendi dimissorias.

161. Dixi, Episcopo notorie hæretico; quod intelligas de notorio non solum notorietate facti, sed etiam notorietate juris per sententiam declaratoriam criminis: nam ante talem sententiam licet Episcopus amittat aliquod jus circa Episcopatum ipsum, seu quasi infirmetur prior titulus, aut confiscetur, ex Suarez *de Fide disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 20. non tamen illum amittit quo ad proprietatem ipso facto; alias non posset illum juste retinere, præsertim perpetuo, sine nova collatione, ex eodem *ibid. n.* 19. Jurisdictione vero Episcopali Episcopus hæreticus privatur quidem statim quo ad se, etiamsi per accidens occultus sit, quia non potest licite illa uti: at quo ad alios non privatur

sta-

ſtatim, ſed per Extravagantem *Ad evitanda* toleratur in illa, donec per ſententiam declaretur, ut recte docuit Sylveſter *v. Hæreſis n.* 16. Hinc ante omnem ſententiam declaratoriam, ſi caſus contingeret, quod Deus avertat, non poſſet Capitulum ſibi arrogare juriſdictionem Epiſcopalem, ſed deberet ad Pontificem recurrere, & aliis opportunis juris remediis uti.

162. Refert Spondanus tum *ad annum Chriſti* 1543. ſub Paulo III. tum *ad annum* 1583. ſub Gregorio XIII. eximiam Fidem, ac religionis Catholicæ zelum integerrimum Capituli Colonienſis adverſus duos Archiepiſcopos ſuos in hæreſim prolapſos, quorum alterum, nomine Hermannum, cum eo adducere nequiverit, ut ipſe a ſe atque a diœceſi improbos Lutheranæ ſectæ concionatores repelleret, ad ſummun Eccleſiæ Tribunal Judicemque ſupremum Pontificem Romanum detulit, ac tandem, ut auctoritate Pontificia depoſitus cederet Archiepiſcopatu, compulit. Alterum nomine Gebhardum, cum ſacras ille infulas maritali vinculo colligare auſus fuerit, atque (ut ſcelus ſceleri viam emollit) ejurarit palam Catholicam religionem, apud Rom. Pontificem primum in judicium vocavit, deinde ſtrenuè armis repreſſit, ac tandem, eo a Gregorio XIII. in publico Conſiſtorio excommunicato, atque a ſede dejecto, alium Archiepiſcopum elegit, quem in ejus locum Pontifex ſubſtituit. Quare ſumma erit ſemper in Eccleſia Dei Capituli Colonienſis laus, cujus ſodales re ipſa ſe oſtenderunt, quod in ſignatorio anulo ſe profitentur, nempe *Fideles Eccleſiæ Romanæ Filios*.

§. VI.

An Capitulum, Epiſcopo vivo abſente, vel negligente, poſſit Vicarium conſtituere, & juriſdictionem Epiſcopalem exercere.

163. Rem hanc tractat Leurenius *de Vicar. q.* 25. ubi docet, quod, ſive Epiſcopus ſit negligens in conſtituendo Vicario, ſive ſit abſens, eo refragante non poſſit Capitulum conſtituere Vicarium; quia in eo caſu jura ſtatuunt modum alium ſupplendi hanc negligentiam, abſque eo quod devolvatur ad Capitulum jus conſtituendi Vicarium.

164. Hoc autem certum eſt de Epiſcopo negligente. At, ſi ſermo ſit de Epiſcopo abſente, opus eſt diſtinctione: nam vel abſentia eſt diuturna, v. g. ex eo quod Epiſcopus ductus ſit in captivitatem ab hoſtibus Fidei, aut verſetur in remotis &c. vel non talis eſt? Si hoc ſecundum, procedit doctrina data: ſi autem primum, tunc poteſt Capitulum conſtituere Vicarium, ſed, quam cito poterit, ad Sedem Apoſtolicam rem deferat.

165. Dixi, quod tunc poteſt Capitulum Vicarium conſtituere; nam adminiſtratio, & juriſdictio Epiſcopalis tranſit ad Capitulum, etiam quando Eccleſia quaſi vacat, ex Leuren. *q.* 447. *de Cap. Sed. Vac.* Atqui cenſetur Eccleſia quaſi vacare, quando Epiſcopus ductus eſt in captivitatem, ut conſtat ex textu *Cap. Si Epiſcopus*, *de ſupplend. neglig. Prælat. in* 6. & probat Card. de Luca *de Beneſ. diſc.* 16. *num.*4. *Junct.* 11. imo fuit deciſum a Rota in *Burgenſ.* 10. *Martii* 1597. coram Orano. Ergo &c. Notat tamen Reiffenſtuel, quod

quod per hoc non negatur, posse Episco pum ab hostibus Fidei captum per literas suis subditis præcipere, suamque Ecclesiam, quatenus valet, administrare, exemplo S. Marcelli &c.

166. Item censetur Ecclesia quasi vacare, quando Episcopus degit in remotis, & Vicarius illius relictus in diœcesi moritur absque alia Episcopi provisione, ex Quaranta *in Sum. Bull. v. Auctor. Archiep. n.* 22. Diana *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 4. aliisque: unde tunc etiam poterit Capitulum constituere Vicarium; & ita servatum fuisse in facti contingentia referunt citati Auctores Neapoli tempore quo bonæ mem. Hannibal de Capua Archiepiscopus Neapolitanus existebat in Polonia Legatus Summi Pontificis: siquidem ille dicitur esse in remotis, cujus præsentia brevi haberi non potest, *Cap. un. §. fin. ne sed. vacante &c.*

167. Addidi, quam cito poterit, rem deferat ad Sedem Apostolicam; tum quia sic fert praxis; tum quia, cum agatur de jurisdictione exercenda, sequi oportet quod tutissimum est. Hæc autem limitatio, seu cautela, potissimum advertenda est in casu quo Episcopus incideret in amentiam perpetuam; nam tunc Capitulum debet Episcopi Ecclesiæ suæ conditionem, & facti circumstantias Pontifici aperire: at, si necessitas Ecclesiæ id exigat, & Pontifex facile adiri nequeat, poterit Capitulum administrationem Episcopatus assumere, & Vicarium constituere, donec a Sede Apostolica aliud ordinetur, ut recte tradit Reiffenstuel *in tit. de suppl. negl. Prælat. n.* 39.

168. Dubium est, an Capitulum possit exercere jurisdictionem Episcopalem, si Episcopus fuerit ad aliam Ecclesiam translatus, Bullas Pontificias translationis acceperit, sed novi Episcopatus possessionem nondum adiverit? Respondent nonnulli apud Dianam *coord. tom.* 3. *tract.* 5. *res.* 6. negative; imo testatur Garcias, hanc opinionem in Hispania frequentius de consuetudine servari. Verum affirmative dicendum videtur cum eodem Diana, aliisque ab eo citatis; quia primus Episcopatus statim vacat per translationem ad secundum, & absolutionem a primo factam a Papa, accedente ipsius translati consensu, etiam non adepta possessione secundi, ex Abb. *in Cap. fin. de post. Prælat.* & latius *cons.* 101. *vol.* 2. Mascard. *de prob. concl.* 183. aliisque. Quare poterit in casu Capitulum &c.

169. Dubium etiam est, an Capitulum possit se ingerere in exercitium jurisdictionis Episcopalis, quando Episcopus sit notabiliter negligens vel in administranda justitia, vel in administrando munere Episcopali? Videtur enim, quod possit; quia aliter non esset satis consultum & provisum subditis Episcoporum, qui sine opportuno remedio cogerentur ferre malam administrationem justitiæ &c. Nihilominus certo tenendum est, non posse; quia nunquam id legitur Capitulo a jure concessum, & in materia generaliter prohibitoria, qualis est hæc, quod expresse non permittitur, prohibitum censetur: *Cap. Inter, de translat. Episc.* Neque inde fit, non esse satis consultum subditis Episcoporum; nam adest opportunum remedium vel per recursum ad Papam, ut is negligentem Episcopum adigat ad faciendum officium, vel ad Archiepiscopum deferendo ipsum Episcopum, ut ipse hunc tanquam sibi immediate subjectum

compellat ad justitiæ administrationem. Legatur *lib. 2. cap. 18.* Vitæ S. Caroli, & ibi apparebit, quam bene Sanctus Archiepiscopus consuluerit ac prospexerit tum saluti unius Episcopi sui suffraganei, tum bono subditorum ejusdem Episcopi, quod ille aliquantulum negligebat. Certe mellifluus S. Bernardus scribens Clero Romano *epist. 236.* rationem ostendit, qua ille debeat Episcopo suo non ea diligentia fortasse qua oportuerit officium exequenti suppetias ferre: *Quæcumque*, inquit, *sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, hæc ei suggerite, hæc suadete, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Sic enimvero Capitulum opitulabitur Antistiti suo, suggerendo quæ recta sunt, eadem suadendo, eadem agendo, non autem ejus partes sibi arrogando, nisi ubi, & quando a jure fuerit concessum.

170. Dixi, nisi ubi, & quando fuerit a jure concessum; nam aliquando, nempe in casu quo Episcopus neglexerit intra tempus a jure statutum conferre Beneficium, cujus collatio ad ipsum spectet jure ordinario, non autem jure aliquo speciali vel delegationis, vel singularis privilegii, vel devolutionis, in tali (inquam) casu potest Capitulum Episcopi munus supplens conferre tale Beneficium; siquidem ita expresse statuitur *in Cap. Nulla 2. de concess. præbend.*

171. Solet a nonnullis DD. quæri, an Capitulum possit cessationem a Divinis ponere, vel interdictum locale ferre? Et quidem innuitur *in Clem. 1. de sent. excom.* quod possit cessationem ponere, sicuti etiam interdictum; idque ulterius eruitur *ex Cap. Si Canonici, de offic. ordinarii, in 6.* Verum id est intelligendum, ubi, & quando ex consuetudine legitime præscripta acquisitum fuerit Capitulo tale jus. Cæterum hoc illi jus ordinarium non est, ut constat *ex Cap. Quæsivit, de his quæ fiunt a majori.* Addas, quod quando Capitulum haberet acquisitum tale jus, illud non posset exequi sine consensu Episcopi, ut *ex cit. Cap. Quæsivit* recte infert Reiffenstuel *eod. tit.*

CAPUT II.

Quid possit Capitulum quo ad præeminentias.

172. Litium ac turbarum copia non exigua ex præeminentiarum fonte dimanat. Non raro enim judicat Episcopus, eas sibi Capitulum honorificentias arrogare, quæ illi nullatenus competunt: atque idcirco, ne abusus aliquis invalescat, acriter se se illi opponit; ac resistentibus Capitularibus, lis inter Capitulum, & Episcopum suboritur.

173. Quare utrique parti diligenter illud observandum est, præeminentias omnes, quæ competunt Capitulo, eas esse vel ex jure scripto, vel ex consuetudine, vel ex privilegio, ita ut attendentes ad hæc tria præeminentiarum fundamenta Capitulares non facile se debeant ultra extendere, Episcopus vero, si pacem exoptet, non facile eos, ut citra consistant, adigere.

174. Et quidem, quod attinet ad jus scriptum, satis constat ex Decretalibus, ex Concilio Tridentino, ex Cæremoniali Episcoporum, quænam præroga-

rogativæ atque honorificentiæ competant Capitulo Cathedralis, quod cum sit senatus Ecclesiæ, certe ab omni non ipso contradistinguendum est, juxta formam a sacris ritibus præscriptam, cui inhærens Rota Romana apud Ursayam *discept.*35. sæpius decidit, Canonicos Cathedralis distinguendos esse in sacris ornamentis a Canonicis Collegiatarum quantumcumque insignium. Profecto cum ex juris dispositione Capitulum Cathedralis dicatur constituere ipsum corpus Ecclesiæ Cathedralis, & saltem habitu habeat jurisdictionem Episcopalem, & superioritatem supra Parochos, ac reliquos omnes Clericos, valde rationabile ac juridicum est, inquit Card. de Luca, ut illi is honor tribuatur, qui ejus gradui par est tum quo ad honorificentiæ titulos, tum quo ad sedem, locum, vestes &c. Hinc infert idem cit. Em. Auctor *de Præmin. disc.*21. certum omnino esse, quod, quando Capitulum Cathedralis collegiatim, seu capitulariter intervenit, præcedat Capitulum Collegiatæ, ac Parochum, & quemcumque alium Prælatum, & Rectorem quamvis qualificatum in propria Ecclesia. Excipe Vicarium Generalem Episcopi, qui habet præcedentiam super Capitulum, ut patet ex declarationibus registratis per Barbosam *in Sum. Apostol. Decis. v. Vicarius Generalis circa locum & præcedent.* quamvis nonnulli apud Menoch. *consf.*52. pluribus adductis auctoritatibus & rationibus sustineant partes Capituli. Excepit etiam Sac. Cong. Episcop. & Regul. *in Calaritan.* apud eumdem de Luca *de Præmin. disc.*22. Prælatum Regularem in propria Ecclesia, nisi ex parte Capituli doceretur de consuetudine immemorabili in contrarium; quamvis huic exceptioni multa opponat ipse de Luca, submittendo tamen se superiori judicio. Verum, ad evitandas lites Capitulum inter & Episcopum, non est meum referre omnia præeminentialia, quæ Capitulo convenire hic & nunc decisum fuit, argumento deducto ex jure scripto: solum dico, in facti alicujus contingentia inspiciendum esse jus scriptum sacrorum canonum, Conciliorum, ac præsertim Tridentini, Cæremonialis &c. & ex eo rem esse decidendam amicabiliter quo ad fieri potest.

175. Quo ad consuetudinem, hæc quidem plurimum valet in præeminentialibus, eique a jure in iis multum defertur, ut notat variis in locis Card. de Luca. Propterea cum olim Canonici & Dignitates in una *Urbinaten. de anno* 1700. prætenderent uti posse pulvinari pro genuflectendo, præsente Archiepiscopo, rescripsit Sac. Rit. Congreg. probandam esse consuetudinem. Quare diligenter observent Capitulum, & Episcopus, an vere adsit consuetudo, ut Capitulo hæc, vel illa honorificentiæ species exhibeatur, &, quatenus adsit, non graventur illi se conformare. Refert Card. Pallavicinus *in Historia Conc. Tridentini*, magnam inter quosdam Principum Oratores de quodam cæremoniali ortam controversiam finem ibi habuisse allegata consuetudine; unde cit. Auctor subdit, *consuetudini, ac necessitati unumquemque se facile accommodare, secus autem nudo ac mero arbitrio.* Dixi, observent, an adsit consuetudo, eique insistant: limitandum tamen est, dummodo ea consuetudo fuerit legitime præscripta, item dummodo ea non extendatur de casu ad casum, de loco ad locum, de persona ad personam; nam consuetudo est strictæ interpretationis, ut cum aliis docet Salas *disp.*19. *de leg. sect.*14. ac pro-

inde non ex eo quod hæc, vel illa præeminentia, aut prærogativa competat Capitulo in uno Episcopatu, eadem prætendenda est a Capitulo in alio Episcopatu. Neque obstat *Cap. Super eo, de cognat. spiritual.* ubi præcipitur cuidam Episcopo consuetudinem Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligenter imitari; nam, ut docet Suarez *lib. 7. cap. 16. de legib.* textus procedit de ea consuetudine, quæ observatur ut totius provinciæ universalis, & non ut propria hujus, vel illius diœcesis. Fortasse non raro decepti sunt Capitulares putantes, eamdem sibi honoris significationem deberi, quam ex speciali alterius Ecclesiæ consuetudine intellexerint alteri Capitulo deferri. Viderint, ne talis eos error capiat, neve inde litium occasionem sumant.

176. Tandem quo ad privilegia, plures aliquibus Capitulis competunt præeminentiæ, ut videre est apud Ughellium varias Pontificum Constitutiones referentem, quibus variarum Ecclesiarum Capitula condecorantur, atque iisdem facultas utendi Mitra, Anulo, Cappa, aliisque insignibus respective conceditur. Quare, ne lis locum habeat, consulant diligenter Episcopus & Capitulum, quænam sint, & quatenus se extendant Capituli privilegia? an fuerint deperdita vel per non usum omissivum, vel per contrarium usum, vel per revocationem factam a legitimo superiore, uti multa fuerunt revocata a Tridentino, vel per sententiam particularem propter abusum &c? Et quidem, si fuerint deperdita, non est cur Capitulum illis innitatur: si autem adhuc subsistant, meminerint, privilegium derogans juri alterius, v.g. juri Episcopali, restringendum esse, quantum patitur proprietas verborum; quia non præsumitur Pontifex velle huic juri derogare, nisi id expresserit, uti desumitur *ex Cap. Licet, de off. ordinar.* & tradit Suarez *l. 8. de leg. cap. 27. n. 9.* Hinc, si Capitulum haberet privilegium concedendi Beneficia vacantia, non intelligeretur de Beneficiis providendis ab Ordinario, nisi id ipsum exprimeretur, ex Castrop. *de privil. p. 10.* Meminerit etiam, privilegium uni concessum, non extendi ad alios ob similitudinem, vel majorem rationem, uti docent Bonacina *de leg. disp. 1. q. 3. p. 3.* Suarez *de leg. l. 8. cap. 28.* Hinc olim frustra contendebat Capitulum unius Ecclesiæ Cathedralis, ad se etiam extendi ob similitudinem, vel majorem rationem, privilegium concessum Ecclesiæ Collegiatæ. Demum, ne lites concitentur, sic suis privilegiis præeminentialibus utatur Capitulum, ut I. ea non extendat ultra id quod conceditur: II. non sumat ex illis occasionem delinquendi, & irreverenter Episcopo resistendi: III. non adversetur fini intento a privilegio; nam alias certe Episcopus se se opponet: siquidem privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate, *ex Can. Ubi, dist. 74.*

CA-

CAPUT III.

Proponitur, ac resolvitur casus spectans ad Capitulum.

177. CAsus est: Canonici cujusdam Cathedralis volebant statuere, ut inter ipsos dividerentur pecuniæ suæ cassæ capitularis, residuæ post persoluta unicuique Capitularium stipendia ad congruam sufficientem, & post alia onera præstita: verum, quia de hac potestate a nonnullis est dubitatum, idcirco apud nostram casuum & canonum Congregationem quæsitum est I. an Capitulum possit id statuere cum consensu Episcopi? II. an possit sine consensu Episcopi?

178. ℞. Videtur in primis, id posse Capitulum statuere etiam sine consensu Episcopi; nam Capitulum sede plena potest etiam sine consensu Episcopi statuere de his rebus, quæ suam communitatem & collegium concernunt, dummodo non statuat quæ tangunt Ecclesiam, & nullatenus Episcopo præjudicent: Glossa *in Cap.2. Statutum, de verborum significat. in 6.* Barbosa *de Officio, & Potest. Episcopi p.3. alleg.*993. & Rota *decis.*76. *n.*1. *p.*7. *Recent.* Cum autem statutum de dividenda inter Canonicos massa communi, concernat solam communitatem & collegium Canonicorum, nec præjudicet Episcopo, sequitur &c.

179. Accedit, quod in tantum id non posset Capitulum, in quantum vel careret dominio talis massæ, de qua possit disponere, vel careret jurisdictione, qua possit statutum condere: atqui cassæ Capitularis pecuniæ omnes, utpote ad mensam separatam Capituli destinatæ, sunt in dominio ipsius Capituli, & solum illa statuta requirunt jurisdictionem in statuente, quæ respiciunt decisionem causarum, vel ligant alios tanquam subditos ad aliquid faciendum, vel omittendum, non vero illa, quæ respiciunt universitates ipsas, & negotia propria; nam certum est, universitates omnes facere posse statuta circa negotia ad eas pertinentia per *l.Omnes populi ff.de just.& jur.*&ibi Bart. ergo &c.

180. Solidius deinde videtur, id posse Capitulum statuere cum consensu Episcopi: I. quia Capitulum cum Episcopo potest restringere, ac supprimere præbendas, adeoque numerum Canonicorum, saltem si is non sit juratus, aut confirmatus a Papa, arg. *Cap.*8. 9. 12. *de constit.* & redditus sibi applicare: ergo potest saltem cum Episcopo redditus superfluos sibi applicare; præsertim cum hoc modo non minuatur cultus Divinus, sicut in suppressione præbendæ: II. quia Episcopus cum consensu Capituli licite & valide applicat suæ mensæ fructus Beneficiorum vacantium, ex Glossa *in Cap.unic. v.Constituat, ut Eccles.Benef.sine dimin.* & *in Cap.Si propter, v.Concedimus de resc. in 6.* ergo Capitulum cum consensu Episcopi licite ac valide applicat sibi fructus in sua cassa superfluos, eo magis quod non sint alteri debiti, sicuti fructus Beneficiorum vacantium, qui de jure debentur successori.

181. Nihilominus pro resolutione præmittendum est primo, casum procedere de eo Capitulo, in quo non solum divisa est massa capitularis a massa Ecclesiæ, sed etiam unicuique Capitularium assignata est determinata pars pro sua congrua præbenda; quia per hanc assignationem tacite insinuatur, illa eum

eum debere esse contentum, nec posse amplius lucrari, præter distributiones. Præmittendum est secundo, non procedere in eo casu, in quo residuum massæ sit totum ex illa portione, quæ pro quotidianis distributionibus detracta ex communibus Beneficiorum redditibus, vel ex fundatione, aut Fidelium voluntate, ex.gr.pro anniversario defuncti, assignata, est in illos distribuenda, qui certa die Officio intersunt; nam tale residuum accrescit totum præsentibus, ut loquitur Trident. *sess.21. cap.3. de ref.* Limites, dummodo ex eo non sit assignata determinata pars unicuique Præbendato interessenti: ut notat Castropal. *de Hor. Can. disp.3. p.8.*

182. His prænotatis, dico 1.Non potest Capitulum cum sui consensu Episcopi id, quod superest de massa post omnia onera persoluta, inter ipsos Canonicos distribuere. Probatur. Capitulum neque de consensu Episcopi potest quidquam statuere contra jus commune Pontificium, per *Can.Institutionis 25. quæst.2.* & *Cap. unic. de majorit. & obed. in 6.* atqui jus commune Pontificium est, ut, quod superest de massa, in communes usus, non autem in privatorum utilitatem, derivetur, *ex Cap. Cum M.9. de constit.* & Frances *de Eccles.Cathedr. cap.8. n.291.* ergo non potest Capitulum, neque de consensu Episcopi &c.

183. Dico 2. Multo minus id potest sine consensu Episcopi. Ratio est; quia Capitulum nequit sine Episcopo quidquam statuere, quod concernat non solum Capitulum, sed insuper directe tendat ad bona Ecclesiastica imminuenda, vel ad redditus communes cassæ capitularis in privatam utilitatem derivandos; siquidem talia bona, ac tales redditus sunt bona fabricæ, vel bona Dei, super quorum administratione Episcopus habet assistentiam generalem juris & fundatam intentionem, *Can.3. 5. 6. caus.10. q.1.* Trid. *sess.22. cap.9. de ref. & sess.24. cap.3.de ref.* Garcias *de Benef.p.3. cap.2. num.198.* Barbosa *ad Conc. Trid. sess.22. cap.9. n.5. de ref.* Neque obstat *Cap.Relatum 12. de testament.* in quo Capitulis tribuitur administratio bonorum Ecclesiæ acquisitorum cum exclusione Episcopi; nam ibi sermo est de iis bonis, quæ sunt derivanda in utilitatem Capitularium, puta de distributionibus &c. non autem de iis bonis, quæ derivanda sunt in utilitatem Ecclesiæ, & in augmentum cultus Divini, ut firmat Pichler *in decis. tom.1. dec.26.*

184. Hinc patet responsio ad objecta. Siquidem 1.negatur, quod tale statutum concernat solum Capitulum; etenim, ut diximus, tendit ad diminutionem rerum Ecclesiasticarum,& Divini cultus. Ad confir.negatur,etiam dominium talis massæ esse penes Capitulum; sed dicimus, talem massam esse in dominio Ecclesiæ, vel Dei: unde a Tridentino *sess.25. cap.1. de ref.* ejusmodi res vocantur *res Dei*, exceptis illis redditibus, qui non modo designati, sed etiam actualiter ex massa communi jam extracti, & Capitularibus extraditi sunt. Idem ferme ad illud de jurisdictione, quæ non est ad hæc.

185. Ad 2.respondetur, utilitatem, & necessitatem Ecclesiæ, vel augmentum cultus Divini esse in causa, cur illa liceant. At in nostra hypothesi nulla adest utilitas ac necessitas Ecclesiæ, aut Divini cultus augmentum, sed sola privatorum locupletatio.

186. Fer-

186. Fertur de Chrodegango Metensi Episcopo, quod regulam pro Canonicis sæculo Ecclesiæ octavo instituerit, & in ea præscripserit, ut Canonici facultates suas Ecclesiæ donarent, allegans illud S. Prosperi documentum, nempe *ut illi Clerici, qui de rebus Ecclesiæ vivere cupiunt, res proprias, quas habent, per instrumenta chartarum Deo, & Ecclesiæ, cui deserviunt, condonent, & sic rebus Ecclesiæ licentius absque maxima culpa utantur, ut sicut de rebus Ecclesiæ ipsi Clerici gaudent, ita & Ecclesia de rebus ipsorum Clericorum cum pauperibus suis sic aucta & meliorata gratuletur*. Ex quo apparet, quantum cavere debeant Capitulares, ne proprium sibi faciant, quod ad Ecclesiam pertinet; & ne Ecclesiæ detrahant, qui Ecclesiæ donare deberent. Cæterum dixi, utilitatem & necessitatem Ecclesiæ esse in causa, cur illa liceant; nam, ut Episcopus valide & licite applicet suæ mensæ fructus Beneficiorum vacantium, requiritur cum consensu Capituli justa & rationabilis causa, v.g. necessitas Episcopi aliunde non habentis congruam, aut unde solvat debita &c. vel magna Ecclesiæ utilitas, cujusmodi requiritur in unione facienda. Vid. Pikler *tom.* 1. *decis.* 84.

CAPUT IV.

Praxis ad tuendam pacem proponitur respiciens Capitulum.

187. UT Capitulum cum suo Episcopo ea qua decet concordia & amore semper conjunctum sit, expediet I. quammaxime, si Capitulares cogitent ac memoria repetant, gravissime eos a Deo vindice puniri, qui suo Episcopo molestiam creant, turbas excitant, ac dissensiones fovent. Argumento sit, quod narrat Spondanus *ad annum Christi* 199. Nam quidam homines S. Narcissum Hierosolymitanum Antistitem dicteriis & calumniis eocum adegerint, ut Episcopatu se abdicaret, & in solitudinem se reciperet, acerbissimas pœnas publice dederunt: *Quippe unus cum tota familia, suaque stirpe rapido flammarum ardore Divinitus immisso conflagravit: alius fœdo morbo ab extremis pedum digitis ad caput usque infectus contabuit: tertius pœnas aliorum intuens, reformidansque, reatum palam confessus, usque eo lacrymas fundere non destitit, quo ad utrumque oculum sibi penitus extinxerit*. Nec recentiora desunt in Episcoporum accusatores, imprudentesque litium excitatores, Divinæ ultionis exempla: etenim in Vita Venerabilis Dei Servi Fr. Joseph de Sebastianis Episcopi Bisiniani, ac Tipherni, *lib.* 4. *c.* 4. habetur, quod homines nonnulli graviter in ipsum cum exarsissent, negotium dederunt cuidam Canonico, ut Romam se conferret, ibique Sanctum Antistitem apud sacros Cardinalium cœtus vexaret, & confictis quammaxime ad similitudinem veri criminibus circumveniret. Has sibi partes Canonicus desumpsit, itinerique se commisit: *Ma fatte appena due, o tre miglia di strada* (sunt ipsa Historici verba) *sorpreso da un accidente d'apoplesia stramazzò da cavallo, e quasi morto fu riportato in città*. Et morienti adfuit Episcopus, qui hominis perfidiam atque impietatem egregia beneficentia & charitate rependit.

188. II. Expediet etiam ad pacem conservandam, ut Capitulares plane sibi

sibi persuasum habeant, Capitulum ab Episcopo, non autem Episcopum a Capitulo legem accipere oportere. Etenim tunc omnia perturbantur, quando subditi re ipsa, si minus voce, proterva illa Anastasii Imperatoris ad Hormisdam Pontificem verba proferunt, scilicet, se jubere velle, non juberi. Cavendum proinde est Capitulo, ne in hac ipsum esse sententia factis ostendat. Nullatenus autem id ostendet, si proponat quidem Episcopo quæ sibi opportuna, vel importuna, probanda, vel improbanda videantur; at liberum ipsi omnino relinquat suo ipsius arbitratu cuncta moderari, & sancte custodiat quidquid Episcopus in Domino judicaverit. Extant hac de re præclara sanctorum virorum exempla. S. Franciscus Salesius cum esset Præpositus Capituli Gebennensis Episcopo suo Granerio præsto erat, eidem rei propositæ difficultates sincere explicabat, ne sibi hæc, vel illa demandaretur provincia contendebat: at, ubi Episcopus, iis non obstantibus, præciperet, illico se promptum & expeditum in obedientia observantiaque præstabat. S. Carolus Borromæus *lib.8. c.3.* in sermone familiari cum suis Ecclesiasticis hæc non semel usurpavit: *Convien che l'uomo faccia quel che è in suo potere, rappresentando al suo Superiore quanto occorre, & haver poi per bene quel che da lui vien disposto.* Neque vero solum ejusmodi præcepta dabat ille, sed, quantum ei res & persona concederet, etiam factis id exequebatur; siquidem refert ibidem Historicus: *Il che egli operava esattamente, poichè soleva rappresentare a Sua Santità i bisogni, e le cause, che gli occorrevano, pigliando in bene poscia quanto gli veniva ordinato, come se fosse venuto dalle proprie mani di Dio.*

189. III. Profecto si ad justam horum Sanctorum normam se componerent Capitulares, nunquam, aut fere nunquam cum suo Episcopo decertarent. At, inquient ipsi, nos decertamus pro Capitulo, cujus jura sarta tecta esse volumus: cæterum singuli e nostro collegio Episcopi mandata facere vehementer cupiunt. Apposite in hanc rem, & strictim respondet Card. Bellarminus *in lib. de gemit. Columb. Ergo*, inquit, *si ita est, debebit esse Canonicus humilis, obediens, officiosus, Capitulum vero superbum, inobediens, inofficiosum.* Nemo non videt, quam male conveniant Canonici obedientes cum Capitulo inobediente, & quam iniquum sit, ut Episcopo Canonici pareant, Capitulum non obtemperet. Verum, quidquid id sit, meminisse oportet illud Cassiani *collat.16. c.6. Omnia etiam, quæ utilia ac necessaria æstimamus, postponenda esse bono charitatis ac pacis.*

190. IV. Expediet etiam ad arcendam omnem prorsus dissensionem, si Capitulum nihil omnino in patronorum gratia atque auctoritate opis, aut perfugii collocet: ex hoc enim fonte dimanant schismata inter subditos, & Prælatum, ut constat ex pluribus Ecclesiasticæ Historiæ monumentis, ac præsertim *ad annum Christi* 499. sub Symmacho Papa, quando patrocinantibus Festo, & Probino Senatoribus, & præcipue Theodorico Rege, Clerus Romanus divisus est a suo Pastore. Proximis vero temporibus sensit incommodum Ecclesia quædam illustris sub Ven. Dei Servo Fr. Josepho de Sebastianis Episcopo propter gratiam atque potentiam cujusdam viri principis, qui se nuncupabat ad ostentationem *il porto de' malcontenti*. At, Divina sic disponente Providentia,

tia, non raro contingit, ut, crescente lite, decrescant patroni, & qui dissensiones fovendo incendium excitaverat, ab eodem mature sanus longe recedat: ex quo illud consequitur, ut subditus omnium invidiam solus ferat, & offensi Pastoris judicium subire lucro apponat. Proinde caveat uniuscujusque Ecclesiæ Capitulum ita alicujus gravi patrocinio inniti, ut inde rixarum cum suo Episcopo ansam capiat; nam minime e sententia res eveniet, imo securi dum Capitulares quiescunt sub arbore, vigil sanctus de cœlo descendet, & dicet: *Succidite, & dissipate illam*: *Dan.*4. 20.

191. V. Minuentur demum lites, si unius, vel alterius præfervidi ingenii sermones contemnantur a Capitularibus: sæpe enim non desunt in morigeratis etiam cœtibus, qui statim exardescant, & ad extrema præcipites ruant: si patienter hoc, vel illud feramus, inquiunt, si novis his præceptis obtemperemus, si ab Episcopi judicio non appellemus, insolescet Prælatus, opprimetur Capitulum, jacebit nostra dignitas ac nobilitas. Hujusmodi sermones contemnant Capitulares memores illius *Eccl.*8. *Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent*. Certe non ita est, ut isti existimant, inquit Bellarminus *de 7.verb. cap.*3. Nam sæpe, ut Sapiens loquitur, *responsio mollis frangit iram*; nec raro patientia justi admirationi fuit persecutori, & de inimico amicissimum reddidit: imo omnino consultius erit Capitulo, si post Episcopi judicium, turbarum loco, Christianam, & Ecclesiasticam dimissionem substituat; nam, ut S. Hieronymus ait, *qui patienter sustinent quod de se judicatum est, isti & a Deo misericordiam consequuntur, & frequenter etiam ab hominibus revocantur in pristinum gradum & gloriam, quam amiserant*. Illud etiam quammaxime ad pacem proderit, si Capitulares non quærant quæ sua sunt, sed unice communi Ecclesiæ suæ bono, & Dei honori serviant; nam *dissensionis causa est* (inquit S. Thom. *in ep.*1. *ad Cor. c.*1. *l.*2.), *dum unusquisque partiale bonum quærit, prætermisso perfecto bono, quod est bonum totius*. Hinc ajebat Cassianus *collat.*16. *cap.*6. *Fundamenta veræ amicitiæ sunt in contemtu substantiæ mundialis, & omnium quas habemus rerum despectione*.

FINIS TERTIÆ PARTIS.



PARS QUARTA

QUID NON POSSIT EPISCOPUS SINE CAPITULO.

CAPUT I.

192. Idimus quid possit Capitulum sine, & cum Episcopo sede plena. Exposcit jam ordo doctrinæ, ut videamus, quid non possit Episcopus sine Capitulo; nam licet Episcopus in exercitio suæ jurisdictionis regulariter non pendeat a Capitulo, ex comm. apud Suarez *de leg. l.4. cap.5.* tamen aliquando debet necessario requirere consensum, vel consilium Capituli: tunc autem id debet, quando agitur de iis casibus, in quibus jus expresse exigit consilium, vel consensum Capituli, aut agitur de iis rebus, quæ specialem rationem, vel necessitatem præseferunt: in ejusmodi siquidem rebus prudentem Episcopum consiliariorum operam negligere nefas est; nam, ut ajebat Plato, *quiddam sacrum profecto consultatio est*. Hinc omnium suffragio, ex testimonio Suetonii, damnatur Julius Cæsar, qui nec in Dictatura, nec in Consulatu, consilio senatus usus est, unde & se & Rempublicam perdidit. Rem statim presse ac dilucide aggrediar. Ac primo ostendam, quid non possit Episcopus sine consensu Capituli; deinde quid non possit sine consilio ejusdem; postremo quæ notabilis exceptio universalem regulam limitet, & quæ observanda sint a Capitularibus in consilium adhibitis.

§. I.

Quibus in rebus exigatur consensus Capituli?

193. ANtequam exempla utriusque partis producam, & innuam quibus in casibus jus expresse id exigat, aut quibus in rebus ratio id postulet, operæ pretium erit statuere, in quo differat consensus a consilio; nam aliquibus in rebus requiritur a jure consensus, & aliquibus in rebus requiritur consilium Capituli.

194. Itaque consensus stat in hoc, quod major, & sanior pars Capitularium approbet illud, quod proponitur, illudque velit: consilium vero stat in hoc, quod ante rem statuendam adhibeatur consultatio cum Capitularibus capitulariter congregatis. Hinc est, quod, quando requiritur consensus Capituli, tenetur Prælatus sequi id, quod major & sanior pars Capitularium decreverit, alioquin nulliter aget, *ex Cap. 1. de his, quæ fiunt a Prælato*, quando vero requiritur consilium, sola consultatio cum Capitularibus capitulariter facta sufficiet ad validitatem actus, absque eo quod Prælatus eorum opinionem

nem sequi teneatur; ita tamen, ut irritus sit actus, si Prælatus tale consilium, seu consultationem non adhibeat, *ex Cap. Novit, de his &c.*

195. Jam vero jus expresse exigit consensum Capituli in subsequentibus: videlicet I. in alienatione rerum ad Ecclesiam, vel Capitulum pertinentium, dummodo res sint immobiles, vel mobiles pretiosæ; si enim res non fuerint ejusmodi, poterunt ab Episcopo alienari sine tali consensu: imo etiam poterunt, quamvis sint immobiles, si tamen sint exigui valoris, minus utiles Ecclesiæ, & subsit aliqua necessitas, *ex Can. Terrulas 22. q.2.* in quo tamen non comprehenditur terrula, quæ sit pars alicujus fundi majoris, ut notat Reiffenstuel; ea siquidem terrula, utpote accessorium, sequitur naturam principalis.

196. Talis porro Capituli consensus in alienatione rerum est necessarius, quando res, seu bona alienanda, sunt ipsius Ecclesiæ Cathedralis, vel sunt bona pertinentia ad mensam Episcopalem separatam a mensa Capituli, ut probant Clericat. *de Benef. disc.*52. & Card. Petra *tom.*5. *Comm. fol.*53. *num.*4. Ad aliarum vero Ecclesiarum bona alienanda sufficiet consensus Capituli Collegiatæ, vel Rectoris talium Ecclesiarum respective. Limites, nisi Episcopus ipse sit auctor talis alienationis; nam in tali casu requiretur consensus Capituli Cathedralis, ex Abb. *in Cap.*1.*de his, quæ fiunt &c.* & ex Molina *tom.*2. *de Just. disp.*468.

197. Præterea talis Capituli consensus debet esse expressus in alienatione perpetua, qualis est donatio, venditio, & commutatio: sufficiet vero consensus tacitus, idest consensus scientis, & non contradicentis, in alienatione temporali, qualis est locatio, vel oppignoratio, ex juribus & DD. apud Schmalzgrueber *lib.*3. *Decretal. tit.*10.

198. II. in collatione Beneficiorum, si ea communiter spectet ad Episcopum, & Capitulum ipsius. III. in suppressione Canonicatuum, & unione Beneficiorum simplicium, propter tenuitatem præbendarum in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ex Trid. *sess.*24. *cap.*16. *de ref.* IV. in unione Beneficiorum ex aliis causis facienda, v. g. ob evidentem necessitatem, vel utilitatem, *ex Cap. Exposuisti, de præbendis:* ubi notes obiter, posse quidem Episcopum unire Beneficia simplicia præbendis Ecclesiarum Cathedralium ob ipsarum tenuitatem, cum consensu Capituli; at non posse eadem unire mensæ Episcopali, vel ipsi Capitulo, ex juribus, & DD. apud Reiffenstuel *lib.*3.*Decr. tit. de his &c.* V. item necessarius est consensus Capituli, si agatur de augendo numero Canonicorum, *ex Cap. Cum accessissent, de constitutionibus*, & facit *regula* 29.*in* 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. VI. si agatur de subjiciendo Capitulo alicujus jurisdictioni, arg. *Cap. ult. de major.* sicuti etiam in omnibus negotiis, in quibus Ecclesiæ, & successoribus notabile præjudicium generari potest, quæque ad Prælatum, & Capitulum simul spectant, Abb. *in cit. Cap.*1. *tit. de his &c.*

199. VII. item Episcopus indiget consensu Capituli in ferendo præceptum de observando aliquo festo particulari, ex Suarez *t.*1. *de Rel. l.*2.*c.*11. cujus verba placet exscribere, cum plura ad rem nostram valde utilia explicet

cet enodetque. En eximii Doctoris verba: *Ulterius vero interrogari potest, an solus Episcopus possit hoc praeceptum imponere sine consensu Cleri, & populi; vel necesse sit horum consensum simul concurrere? Et ratio dubitandi est; quia ferre praeceptum de observatione festi, est actus jurisdictionis: sed jurisdictio est tantum in Episcopo, non in populo, vel Clero; nam ad laicum populum non pertinet legem ferre Ecclesiasticam, etiam particulariter, & cum Clericis, sed tantum obedire illis; Clerus autem cum sit subditus Episcopo, illius tenetur obedire praecepto, quia jurisdictio Episcopi, licet non sit suprema, est quasi monarchica in suo Episcopatu, & ideo illius praecepto tenentur subditi parere. Et confirmatur ex usu; quia Episcopi ad hujusmodi leges statuendas non solent populum, vel Clerum in consilium vocare, sed sua potestate eas condunt. Respondeo in rigore juris, Episcopum, non solum, sed cum Clero, & populo posse praescribere leges de peculiaribus festis in suo Episcopatu servandis. His enim fere verbis ejus potestas circa hunc actum limitatur in Cap. ult. de feriis, & in Cap. 1. de Consecrat. dist. 3. Quibus locis id notant Doctores, praesertim Abbas num. 4. ubi allegat Innoc. & alios, sequitur Angel. v. Feriae num. 5. Tabien. num. 10. Sylvest. v. Dominica num. 3. Anton. 2. par. tit. 9. c. 7. §. 1. Rationem vero deducit Abbas ex alio principio fortasse magis dubio, quod ea, quae possunt aliis afferre praejudicium, non possunt praecipi ab Episcopo sine approbatione, vel saltem non cum rationabili contradictione eorum, quorum interest. Quod principium ipse probat auctoritate Innocentii, Friderici, & Archidiaconi, non tamen ex jure, nisi ex Cap. Gesta, Cap. Ubi, dist. 74. quae prohibent Episcopis, ne aliquem invitum ordinent, aut consecrent, quod longe diversum est. Illud ergo principium, licet sit consentaneum rationi, existimo tamen in rigore solum procedere in casibus a jure expressis, vel contentis in aliqua juris regula. Quod mihi probat ratio dubitandi proposita; nam jurisdictio Episcopi de se monarchica est, nisi a superiore limitetur: limitari autem potest a jure communi, vel a Pontifice: ergo quando non invenitur talis limitatio, potest suos subditos obligare praecepto, aut lege sua, quae non sit manifeste iniqua. Quod si subditis gravis visa fuerit, non possunt sua resistere potentia, seu auctoritate, sed ad superiorem recurrere: secus vero erit, si potestas ejus jure sit limitata. In praesenti ergo omnes admittunt dictam resolutionem quo ad Cleri consensum, fatenturque, jurisdictionem Episcopi in hoc casu esse limitatam, ut sine Clero non possit hanc legem ferre ob dictum Cap. ult. de feriis, quod non est speciale, sed frequens in his, quae pertinent ad negotia Ecclesiastica, spectantia ad bona Ecclesiae, vel commune jus Clericorum, ut constat ex toto titulo de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli, ubi specialiter videri potest Panorm. in Cap. Novit: quamvis in his multum valeat consuetudo, ut decernitur in Cap. 3. de consuetud. in 6.*

200. Attendenda autem est in decernendis festivitatibus Constitutio Urbani VIII. *Universa*, in qua cavetur, ne festa nova, praeter ibidem enumerata, decernantur ab Episcopo, vel alio Ordinario: quae vero de consuetudine celebrantur in aliquo loco, non esse sub obligatione, nisi unum ex iis, quod celebratur pro uno de principalibus Protectoribus. Quare vix se se offeret

occa-

occasio, qua Episcopus uti debeat doctrina hactenus tradita circa festi indictionem.

201. Illud fortasse Episcopo non raro incumbet, ut Capituli consensum requirat pro translatione Corporum, & aliarum Reliquiarum Sanctorum; nam ad hanc requiri consensum Capituli docet Fagnanus *in Cap.* 2. *de Reliquiis &c. num.* 29. Ratio est; quia talis translatio reputatur inter ardua & gravia, quæ Episcopus sine consensu Capituli aggredi non valet, arg. *Cap.* 1. *de his, quæ fiunt &c.* Quæ Fagnani doctrina an sit recepta, haud satis scio: multas enimvero a S. Carolo factas fuisse sacrorum Corporum translationes lego, non autem lego expetitum super hac re Capituli consensum: quamquam in more esset S. Archiepiscopo ejusmodi translationes facere tempore Conciliorum Provincialium, ut majori cum honore & majori pompa res hæc tanta peragеretur.

202. VIII. Requiritur consensus Capituli in surrogandis novis Examinatoribus &c. extra Synodum, ex decreto Clementis VIII. *anno* 1593. apud Jordan. *l.* 10. *tom.* 3. & quidem, si in Examinatoribus propositis ab Episcopo fuerint qualitates requisitæ a Concilio Tridentino, injuste a Capitulo negaretur talis consensus: unde in tali casu juxta Pignatellum *tom.* 1. *consf.* 119. talis consensus supplendus esset per judicem; ac de facto praxis est, quod in tali casu fiat ab Episcopo recursus ad Sacram Congregationem, quæ vel dat licentiam supplendi dictum consensum, vel cogit Capitulum ad consentiendum, ex eodem *ibid.* & ex textu *in Cap. Nullus, de jure patronatus*. Imo Pignatellus *loco citato* expresse & in terminis ita docet: *Ex quo Ordinarius nominaverit Examinatores, & instituit penes Capitulum, ut præstaret consensum, atque illum sine causa præstare recusavit, habentur pro legitime deputatis, etiam dicto consensu non interveniente; iste enim consensus debet concedi ex justitia, & ideo pro concesso habetur, si præstari differatur*. Quod si in Examinatoribus propositis ab Episcopo non fuerint qualitates requisitæ a Concilio, & de hoc constet, debet Episcopus alios proponere. Qualitates autem requisitæ a Tridentino sunt infrascriptæ, videlicet, quod Examinatores sint Doctores, Magistri, aut Licentiati in Theologia, vel Jure Canonico: &, si tales prærogativæ non reperiantur in aliquo, tunc instituendi sunt Examinatores illi, qui ad id videntur magis idonei; & quidem possunt esse tum Clerici, tum Regulares Mendicantes, tum etiam sæculares: ubi notes, quod licet Regularis aliquis non sit insignitus doctoratu, non tamen propterea censendus est carere prærogativa requisita a Tridentino; tum quia ad talem effectum sufficit magisterium in Theologia; tum quia sicuti Concilium respectu Religiosorum eligendorum ad Episcopatum satis esse ducit testimonium & approbationem superiorum de eorum scientia, licet in aliis requirat doctoratum., ita videtur sufficere talem approbationem respectu eligendorum in Examinatores: & praxis Curiæ Romanæ in Tribunali Cardinalis Vicarii id confirmat. Ad extremum notetur in hac re, quod consensum semel præstitum valide, non potest amplius Capitulum revocare re non integra, ex de Luca *disc.* 1. *de Can.* & ex Suarez *t.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11.

203. Du-

203. Dubitabit hic aliquis ex data occasione, an inter qualitates eligendi in Examinatorem Synodalem sit, ut eligendus designetur sub nomine proprio, non vero sub nomine appellativo Dignitatis, vel officii; ita ut illegitime fiat, si designetur sic: *Rector Seminarii*: *Archidiaconus Cathedralis &c?* R. Videtur, talem qualitatem non esse necessariam, sed posse designari Examinatores sub nomine appellativo Dignitatis, vel officii; nam cum obtinentes talia officia, vel Dignitates, soleant esse personæ doctæ & qualificatæ, videntur recte posse Synodo satisfacere, & ab ea probari. Accedit, quod non raro ita factum legimus in pluribus diœcesanis Synodis: nec reprehendendi sunt de imperitia ii Synodales Patres, qui Rectorem Seminarii sub nomine appellativo Examinatorem renuntiarunt.

204. Nihilominus dicendum est, quod possit quidem Examinator designari sub nomine appellativo, sed sub tali designatione non comprehendantur successores, & subrogati in Dignitate, vel officio. Ita Castrop. *de Benef. disp.* 3. *p.* 1. §. 3. Garcias *part.* 9. *cap.* 2. *n.* 335. Tambur. *de excom. cap.* 3. citans Barbosam, Hurtadum, Dianam, aliosque. Ratio primæ partis est; quia etiam sub nomine appellativo Dignitatis satis exprimitur & dignoscitur persona designata; nam designans in Examinatorem Cajum actualiter Rectorem Seminarii, satis eum exprimit, & satis ille intelligitur sub nomine Rectoris Seminarii.

205. Ratio secundæ partis est; quia Concilium Trident. non est contentum illa generica designatione: quod inde colligitur, quia petit, singulis annis Examinatores designari, & supponit, designatos mori posse; quæ non cohærent cum designatione facta ratione Dignitatis. Confirm. ex decisionibus Rotæ apud Garciam *loc. cit.* & ex decreto Sac. Congreg. Concilii in una *Toletan. de anno* 1594. apud eumdem.

206. Neque obstant allata in contrarium. Nam, esto obtinentes talia officia soleant esse personæ doctæ; tamen non cognoscuntur immediate, nisi de præsenti eas obtinentes, non vero successores: immediatam autem eorum cognitionem in designantibus videtur Concil. Tridentinum requirere; & consequenter &c.

207. Deinde, esto in aliquibus Synodis ita factum legatur, unde tamen habes, quod designati fuerint successores per tale nomen appellativum? Fortasse designati fuerunt solum de præsenti obtinentes talem Dignitatem, vel obtentum fuit indultum a Sede Apostolica, ut ita posset fieri.

208. Ex altero capite, ex quo Episcopus debet requirere & habere consensum Capituli, nempe ex specialitate rationis, ac necessitate rei inexistente, aliqua sunt ulterius exponenda, quæ talem consensum exigunt. Verum notes, ex hoc capite non derivari talem obligationem, nisi ad summum per argumentum a simili, *ex Cap. Novit, de his &c.* ut advertit Suarez *de leg. loco citato*. Hoc prænotato, Episcopus debet habere consensum Capituli in illis legibus ferendis, quæ possunt cedere in præjudicium Capituli, & Cleri, v.g. si aliquid innovandum esset contra privilegium a superiore concessum Capitulo, vel contra legitimam & præscriptam Capituli consuetudinem. Hinc fortasse

tasse factum est, quod sacra Card. Congreg. a Clem. XI. specialiter deputata *anno* 710. in una *Alben.* declaravit, non posse Episcopum Confraternitates in Cathedrali instituere sine consensu Capituli; item non posse titulos Beneficiorum simplicium. & Parochialium Cathedralis, ac dioecesis immutare, tribuendo ex. gr. simplici Cappellano titulum Prioris, & simplici Plebano, vel Presbytero, titulum Archipresbyteri: & non posse Synodum dioecesanam indicere sine consensu Capituli, censet Pignatellus *tom.* 1. *conf.* 69. Verum quo ad hæc notetur exceptio, seu limitatio, quam infra apponemus. Item notetur, non esse penes Capitulum judicare, an talis, vel talis res possit hic & nunc cedere in præjudicium Capituli; nam non est licitum subditis constituere se judices contra superiorem, præsertim in causa propria: justitiam tamen Sedes Apostolica Capitulo non negabit, cum eam duxerit postulandam.

CAPUT II.

Consilium Capituli quibus in rebus exigatur.

209. Diximus hactenus, quando, & quibus in rebus exigatur consensus Capituli: superest, ut inspiciamus, quando, & quibus in rebus Episcopus debeat adhibere consilium Capituli? Pro quo etiam dicendum, tunc ex debito adhibendum esse tale consilium, quando jus expresse id exigit, & quando necessitas specialis rei inexistens id postulat, cum ea tamen limitatione, quam apponemus infra.

210. Jam vero jus antiquum exigit, ut adhibeatur consilium Capituli in promovendis personis ad sacros Ordines, *ex Can. Episcopus sine, dist.* 24. De facto tamen sufficit examen Ordinandorum instituere, juxta decretum Tridentini *sess.* 25. *de ref.* Item ex Jure novo Trident. *sess.* 5. *cap.* 1. *de ref.* Episcopus de consilio Capituli debet providere, ut habeatur lectio sacræ Scripturæ, vel Theologiæ. Item cum ejusdem consilio Magistrum eligere, qui Grammaticam Clericos gratis doceat. Item debet Episcopus consilium Capituli adhibere in distinguendo præbendas Canonicales in Subdiaconales, Diaconales, & Presbyterales, ex variis juribus apud Barbosam *de Canonicis cap.* 42. Item in Processionibus edicendis, decernendis, dirigendis &c. Et quidem hac in re, quod sufficiat consilium Capituli absque ejus consensu, sæpius declaravit Sacra Cong. Card. apud Barbosam *de Potest. Episcopi alleg.* 78. *de Canon. cap.* 42. & apud Jordanum *de Processionibus tom.* 2. *l.* 11. aliosque.

211. Necessitas rei inexistens tunc exigit consilium Capituli, quando res est ardua, & ad Ecclesiæ administrationem pertinens; nam in tali casu opus esse consilio docet nos pluribus in locis Scriptura: unde S. Dorotheus inquit: *Opus nobis auxilio præter Deum, opus coadjutoribus.* Quod autem opus sit consilio Capituli, docet in jure Alex. III. qui ad Patriarcham Hierosolymitanum *in Cap. Novit, de his quæ fiunt a Prælato*, sic scribit: *Non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium, & honestati tuæ, & SS. PP. constitutionibus contraire.*

212. Enim-

212. Enimvero etiam in profana republica senatus consilio non uti a sapientibus improbatur. Hinc, ut dixi, damnatur ipse Julius Cæsar, qui nec in Dictatura, nec in Consulatu consilio senatus usus est, teste Suetonio, unde & se, & Rempublicam perdidit. Limites tamen assumptum, dummodo ex petitione consilii a Capitulo non possit publica res detrimentum pati; quod sane contingeret, si negotium aliquod verteretur secreto admodum tractandum, aut quantocyus expediendum, ut fuse ostendit Card. Palæotus *in lib. de Sac. Consist.* Notes, quod, si Episcopus omitteret consulere Capitulum in rebus arduis, in jure non expressis, non proinde invalidaretur actus qui fieret ab Episcopo: siquidem irritatio pro tali casu non habetur in jure.

213. Porro Episcopus ad adhibendum consilium, vel exquirendum consensum Capituli, duplicem viam habet. Prima est negotium Canonicis capitulariter congregatis immediate, vel mediate proponere, ut, absente deinde Episcopo, ipsi rem ad trutinam revocent. Altera est, si Episcopus Capitulum extra ordinem congreget, votaque Canonicorum ipse præsens exquirat: nam Episcopus potest interesse Capitulo, dummodo de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur; quamquam talis exceptio non habeat locum, quando agendum sit de rebus ad Episcopalem dignitatem spectantibus, in quibus ipse Episcopus potest esse judex: ex Barbosa *de Potest. Episcopi allegat.* 73. *& de Canon. cap.* 35.

214. Locus autem talis convocationis censetur aula capitularis consueta, nec potest Episcopus Canonicos adigere ad cogendum Capitulum in proprio palatio, nisi forte is esset locus Capituli consuetus, aut nisi locus consuetus esset legitime impeditus, ex Jordano *de visitat. l.* 7. *tit.* 2. Cæterum Capitulum censebitur legitime congregatum, si convocati fuerint ab habente potestatem in locum unum omnes in loco præsentes, qui jus suffragii habent, & interesse possunt: text. & DD. *in C.* 42. *de elect.*

CAPUT III.

Notabilis exceptio proponitur.

215. HActenus dicta de expectando consensu, vel exquirendo consilio Capituli, habent locum dumtaxat, ubi, & quando contraria consuetudo Prælatorum non fuerit legitime præscripta: nam, ubi fuerit talis contraria consuetudo, non solum est attendenda, sed æquiparatur privilegio Prælati, *ex Cap. Ea noscitur, de his quæ fiunt a Prælato*. Unde tunc Prælatus veluti ex privilegio in casibus expressis potest operari sine consensu, & sine consilio Capituli quo ad validitatem actus, ex Reiffenstuel *lib.* 13. *tit* 10. Limites cum Barbosa, ut id non procedat iis in rebus, quæ nulla possunt consuetudine præscribi: sub qua limitatione puto intelligendum esse Lambertinum *de Jure pat. p.* 3. *lib.* 2. *q.* 1. apud Garciam, docentem, *hodie posse asseri, titulum de his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli, recessisse ab aula; siquidem Episcopi hodie fere omnia expediunt sine consensu Capituli.*

216. Ibi autem plene probabitur, talem esse consuetudinem agendi sine con-

consensu, vel consilio Capituli, ubi duo saltem testes deponunt, ac simul testantur, se vidisse sic observatum esse a Prælatis in illo loco, scientibus & præsentibus multis, toto temporis spatio quod ad introducendam consuetudinem requiritur; vel deponunt, ac simul testantur, se ita vidisse, & a majoribus audisse sic observatum, quin viderint, aut audierint aliquid contra fieri, vel unquam factum esse, ex Castrop. aliisque quamplurimis apud ipsum *tr. 3. disp. 3. p. 6. n. 6.*

217. Demum hactenus dicta de requirendo consensu, vel consilio Capituli, locum habent, quando Episcopus procedit jure ordinario; nam in illis, in quibus procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ, nullam Episcopus habet communionem cum Capitulo, sicque non indiget hujus consensu, vel consilio quo ad validitatem actus: ex Fagnano *Cap. Ad audientiam, de Eccl. ædif. n. 53. 54.*

218. Illud autem observandum est a Capitulo diligenter, quando ab Episcopo ejus postuletur consilium, ut scilicet fidele se se illi præstet in servando secreto: siquidem senatores & consiliarii debent esse tenacissimi arcanorum; tum quia eo ipso quod funguntur munere consiliarii, censentur ex sua parte suscipere onus servandi secretum, & non manifestandi res sibi propositas, quæ illo indigent; tum quia locus in quo agitabantur olim a Græcis consultationes, vocabatur Silentium, & Silentiarium; tum quia *character hominis prudentis, est taciturnitas, atque silentium*, ex B. Petri Forerii Vita *lib. 2. cap. 11.* tum quia libertas vulgandi aliis ea quæ in secreto tractata sunt, est valde noxia Principi, & reipublicæ, sicut e contrario saluberrima est fides silentii; tum demum quia alicubi datur juramentum de servando secreto, cujus maxima habenda est ratio.

219. Quod si aliquis quærat, an semper damnandus sit de peccato mortali quisquis aperit aliquod secretum? ℟. ex Gobat *de Juram. n. 565.* & ex Sanchez *de Juram. in Decal. l. 3. cap. 14.* non statim damnandum esse de mortali frangentem secretum in quavis re modica, sed, juxta materiam quæ detegitur, judicandam esse culpam; si enim ea sit gravis momenti, detectio erit mortalis; si autem levis, erit venialis. Neque obstabit juramentum; siquidem qui negligit præstare rem parvam sub juramento promissam, non peccat mortaliter, sed venialiter, juxta graves DD. Castrop. *tr. 14. disp. 1. p. 6.* Illsung *tr. 5. n. 52.* Cardenas *in 2. Crisi disp. 17. n. 19.* contra Lessium, Toletum, Valentiam, & alios: qui vero rem aliquam de se gravem indefinite promittit cum juramento, & deinde leve quid ex ea omittit præstare, conveniunt Doctores, quod iste non peccat mortaliter.

220. Quamquam rei gravitas & levitas non pensanda est dumtaxat secundum se, sed etiam secundum circumstantias, & respective, ac præsertim ex intentione, seu fine præcipientis secretum, cui multoties graviter nocebit leve aliquod ac tenue rei datum indicium, unius, vel alterius verbi simplex aperitio, unde callidi deinde auditores rem totam facile intelligant. Certe ex unico & æquivoco verbo, quod quidam secreti particeps protulit reo damnato ad mortem, tota olim detecta fuit Neroniana conjuratio. Imo non raro nutus aliquis, motus corporis, habitudo vultus, poterit graviter nocere fini intento a præ-

a præcipiente secretum; nam, ut optime ajebat Cassiodorus, *sollicitis inquisitoribus sæpe vultu proditur, quod tacetur*.

221. Quamobrem operam dare debent Canonici, utpote Episcopi consiliarii, ut a detegendo quolibet minimo secreto abstineant (nisi quandoque lex Divina, aut naturalis aliter mandet, sicuti aliquando docet mandare S. Thom. 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1. puta, si secreto commissa pertineant ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel quid aliud hujusmodi); nec facile sibi persuadeant, rem esse levem; nam sæpissime res etiam leves, plurimum interest, sub secreto servare. Hinc sapienter olim enunciavit Valerius Maximus, *taciturnitatem maximum esse ac tutissimum rerum administrandarum vinculum*.

222. Præter fidelitatem in tegendo secreto, debent Capitulares adhibiti ab Episcopo in consilium, exhibere illi charitatem, dando consilia sana, & plena æquitatis ac justitiæ. Quod præstabunt, si Deum præ oculis habeant, & bonum Ecclesiæ, non privatum commodum, aut propriam existimationem. Opportune in hanc rem cadit, quod legitur in Vita S. Vincentii Ferrerii apud Bolland. *lib.* 2. *c.* 4. *Cum in Constantiensi Concilio inter omnes illos doctissimos Patres, qui in eo convenerant, diu fuisset magna quædam quæstio agitata, nec unquam tantæ rei veritas inveniri potuisset, tandem constituerunt, ut ad B. Vincentium mitteretur, qui de ea re eos faceret certiores. Itaque una omnium voce missus est ad eam Joannes tunc Cardinalis S. Angeli, cujus fuerunt comites quatuor, quorum duo erant Theologi, duo vero utriusque juris consulti, omnium illius ætatis eruditissimi. Venienti igitur ad se Cardinali, & sui adventus ei causam exponenti, Vincentius lacrymans respondit: Unde mihi, ut tantus talisque vir ad me veniat? Breves litteræ me usque ad Constantiam advenire facile fecissent, etiamsi in extremis partibus fuissem Orbis. Illud vero vehementer admiror, quod tanta virorum doctissimorum multitudo, quantam scimus ad Constantiense Concilium convenisse, nequiverit veritatem rei aperire. quam ego tam facilem, tamque manifestam existimo: sed hanc ignorantiam non ob aliud evenisse puto, nisi ob superbiam nonnullorum ex eis, qui sunt in ipso Concilio, qui omnia, non propter Deum faciunt, sed ut humanam gloriam consequantur. Hæc postquam ab eo dicta sunt, statim Cardinali, & eis qui eum comitati sunt, explanavit quod illi voluerunt*. Profecto si consiliarii Capitulares quærant quæ sua sunt, ignorabunt sana & salubria consilia quæ Episcopo suggerant, atque inde grave non raro in Ecclesiam resultabit incommodum. Quare interroganti olim, quisnam esset opportunus reipublicæ consiliarius? reposuit Titus Romilius: *Is optimus est consiliarius, qui sententiam suam, non ad gratiam, aut ad privatas amicitias, & rationes, sed ad communem utilitatem refert*.

223. Tandem Capitulares adhibiti in consilium a suo Episcopo debent libere, sed reverenter, id quod sentiunt, aperire, ita ut, per se loquendo, graviter peccarent dando consilium aliter atque in mente judicant. Ratio est; quia hoc esset abuti munere consiliarii, & proximum decipere, atque idcirco esset ex objecto culpa gravis, continens injustitiam: quamquam, si deceptio

fue-

fuerit in re levi, erit culpa tantum venialis; ſicuti etiam raro erit mortalis, ſi deceptio non fuerit formalis, & ex intentione, ſed ſolum materialis: ex Suarez *de Relig. tom.* 3. *l.* 5. *c.* 9. Correa *de Conſil. diſp.* 1. §. 5.

224. Dixi, reverenter: non ſolum quia ſic poſtulat Epiſcopalis Dignitas, coram qua loquuntur Capitulares; ſed etiam quia, ut bene notat Cornelius a Lapide *in Prov. cap.* 27. *ſaniora & ſuaviora ſunt conſilia quæ matura & modeſta ſunt, quam quæ ſunt ardentia & temeraria:* ejuſmodi autem regulariter erunt, quæ nullo habito reſpectu vel ad Epiſcopum, vel ad Collegas, inurbane, & audacter proferuntur.

225. Cæterum meminerint Capitulares, decus, vel dedecus ſui Epiſcopi ſe in ore, & manu ſua portare: conſiliariorum enim imprudentia & fatuitas Prælato, qui eos adhibuit, imputatur, & aſcribitur; ſicut viceverſa prudentia & ſapientia miniſtri, vel conſiliarii, Prælato tribuitur. Hinc Alphonſus Aragonum Rex dictitabat, *Regum conſiliarios aut Reges eſſe, aut Regum animos habere oportere*. Enimvero tantæ molis eſt, probos ac ſapientes eſſe Epiſcopi adminiſtros, ut ex hoc optima ejuſdem gubernatio quammaxime pendeat. Memorabilis eſt ſententia Homulii Senatoris Romani dicentis, *optare ſe potius malum Principem, qui bonos haberet conſiliarios & amicos, quam bonum, qui malos haberet, quibus adminiſtrationem committeret*. Scio, nunc rerum adminiſtrationem ab Epiſcopis Vicario Generali demandari, non autem Capitulo, aut Capitularibus: at, ſi Capitulares concorditer vixerint cum ſuo Epiſcopo, certe illorum opera ipſe in multis utetur, ac propterea multum eorum virtus tum Epiſcopi exiſtimationi, tum Eccleſiæ utilitati deſerviet.

226. Dubitabit hic aliquis, an, ſi Epiſcopus quidpiam minus recte faciat, vel mandet, ipſe autem excuſetur a culpa propter ignorantiam, vel inadvertentiam invincibilem, teneantur Capitulares non requiſiti illum monere? ℞. teneri, per ſe loquendo. Ratio eſt; quia proximi miſeria, quæcumque ea ſit, ſublevanda eſt per miſericordiam, v. g. dando conſilium, docendo &c. cum autem ipſa ignorantia in rebus pertinentibus ad rectam gubernationem ſit quædam miſeria, & ratione illius poſſint plura incommoda in proximum dimanare, ſequitur, quod ea ſublevanda ſit, ſi minus ex vi præcepti correctionis, ſaltem ex vi præcepti miſericordiæ quo ad dandum conſilium, docendum &c. quod præceptum ſtrictius obligat eos, ad quos veluti ratione ſtatus hoc munus ſpectat, ut ſunt Capitulares reſpectu ſui Epiſcopi. Vid. Suarez *de Charit. diſput.* 8. *ſect.* 2. *num.* 6. Hinc olim Dei Servus Illuſtriſs. Epiſcopus Ruzzini cum intellexerit, ſuum Archiepiſcopum per errorem putare, melius eſſe, ut eleemoſynæ a ſe omnes fierent in occulto, prout de facto exequebatur, Mediolanum ſe contulit ad hunc dumtaxat finem, ut Archiepiſcopum ſuum de hac re commonefaceret, & aliquarum eleemoſynarum publicitatem Epiſcopo convenire edoceret.

227. Dixi, in tali caſu præſtandum eſſe tale remedium ex vi præcepti miſericordiæ, ſeu charitatis, non vero ex vi præcepti juſtitiæ; nam regulariter loquendo obligatio ex officio ad conſulendum, ſolum obligat ad dandum conſi-

lium, quando petitur, non ad præveniendum: ut ostendit Correa *de Consil. disp.* 1. *n.* 81. Cum autem in hypothesi Capitulares non requirerentur, sequitur &c.

228. Dixi etiam, per se loquendo; nam plures possunt occurrere circumstantiæ excusantes ab ea obligatione, ut fuse tractant Doctores agentes de correctione. Quod vero olim Card. Bellarminus Archiepiscopo Rothomagensi dedit consilium, curent Capitulares, ut aliquam nacti occasionem, etiam non requisiti, commode suo Episcopo insinuent. Ecce illud: *Illustriss. Dominatio Vestra petit a me*, inquit Venerab. Card. *ut formam Pastoris sancti præscribam, ut in se eam possit imprimere. Optima postulatio: imo ego ipse concupivi ardentissime hoc ipsum, & toto corde indagare curavi, quomodo possem evadere sanctus Archiepiscopus: & quia non successit, Deus permisit, ut Sanctissimus Pontifex Paulus V. præceperit mihi, ne Roma discederem. Quia vero tolerare non poteram absentiam ab Ecclesia mea Pastorali curæ commissa; existimavi in conscientia, me eam debere alteri resignare, qui suo muneri satisfaceret: atque ita Divina Providentia meum videns imperfectum, me eo onere liberavit. Quare si ego viam invenire non potui ut essem sanctus; quomodo eam potero aliis demonstrare? Tamen, si Dominatio Vestra Illustrissima cogit me, ut explicem, quem modum observare statueram, ut bonus Pastor evaderem, dum per triennium fui Archiepiscopus in nobili & perantiqua Civitate Capua, dicam. Ego tanquam ad speculum oculos animumque converti, ad Vitas scilicet eorum qui optimi & laudatissimi Episcopi fuerunt, legendo illorum historias ac gesta, & adnitendo, ut illis per Dei gratiam efficerer simillimus, eorum actiones imitando: quare Sanctorum Episcoporum Vitas semper præ manibus habebam, & perpetuo in mea mensa erat aliquod Surii volumen apertum, ut ordine percurrerem Vitas tantorum Sanctorum Episcoporum, Ambrosii nimirum, Martini, Augustini, Germani Antisiodorensis, Anselmi Cantuariensis, Antonini Florentini, Laurentii Patriarchæ Veneti, &, ut alias prætercam, cum voluptate legi Vitas duorum Prædecessorum tuorum Ausberti, & Audemii, qui in officio Pastorali eminentes fuerunt, subditorum animas prædicatione verbi Dei, corpora profusis eleemosynis, semetipsos orationis pabulo nutriendo. Si Dominatio Vestra Illustrissima in hæc specula intendere voluerit, & per eorum vestigia incedere, absque dubio sanctus Archiepiscopus evadet: neque ego auctor esse illi possum melioris consilii &c.*

229. Hoc certe consilium exquisitissimum est, ac plane dignum quod a Capitularibus detur, & vicissim accipiatur; ita ut ipsi etiam imitentur sanctos Capitulares, nempe S. Joannem Nepomucenum Canonicum Pragensem, S. Benignum Archidiaconum Beneventanum, B. Ferdinandum Archidiaconum Conchensem, S. Odulphum Canon. Trajectensem, S. Leodegarium Canon. Portensem, S. Amandum, S. Aderaldum, S. Gilduinum, aliosque Sanctos Canonicos sæculares, videndos apud Raynaudum *tom.* 8. & Sarnellum *tom.* 1.

CA-

CAPUT IV.

Casus proponitur, ac resolvitur.

230. CAsus est: Episcopus excommunicavit aliquos Presbyteros, qui licet suspensionis censuræ essent obnoxii ob violatum præceptum Episcopi de abstinendo a negotiatione sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ, nihilominus post ipsam cedulonum affixionem, qua in suspensionem incurrisse declarabantur, sacris se immiscere, & rem Divinam facere ausi sunt: cum autem talis excommunicatio lata fuerit sine consilio Capituli, nulla ulteriori monitione, aut citatione præmissa, quæstio orta est, an talis excommunicatio fuerit valida? Quæritur proinde, quid juris? ℞. Videtur, quod non fuerit valida. I. Quia Episcopus indiget consensu, aut saltem consilio Capituli in inquirendis, puniendis, & corrigendis delictis subditorum, alioquin irrita est sententia Episcopi, *Can. Episcopus nullius* 15. *q.* 7. & concordat *Cap.* 1. *de excessibus Prælat.* ubi prohibetur, ne Episcopus Presbyteros sine judicio Capituli suspensioni, vel eorum Ecclesias judicio subjicere attentet. Quare, cum talis consensus, vel consilium non intervenerit, irrita fuit talis excommunicationis sententia.

231. II. Quia censuram debet præcedere admonitio, idque exploratum est in jure, & quidem de excommunicatione expresse traditur *in Cap. Sacro* 48. *de sent. excom.* de suspensione *in Cap. Reprehensibilis* 26. *de appellat.* de interdicto *in Cap. Statutum* 13. *de sent. excom. in* 6. ita ut censura nulla sit, si omnis prorsus præcedens admonitio excludatur, ex Suarez *disp.* 3. *de cens. sect.* 12. Præterea hæc admonitio fieri debet sub comminatione talis censuræ, neque sufficit præcessisse comminationem censuræ alterius distinctæ, prout in hoc casu contigit, ubi præcessit comminatio suspensionis a Divinis, & hujus per inobedientiam incursæ declaratio; nam, ut bene Suarez *sect.* 8. *disp.* 3. *de censuris* notat, ut nova censura incurratur, nova videtur opus esse contumacia, & consequenter nova admonitio est facienda; atque adeo censura non potest ferri absolute, & sine respectu ad futuram contumaciam, vel resipiscentiam: in quo respectu jam includitur quædam admonitio, & effectus censuræ suspenditur ad tempus, quod contumaciæ deponendæ ferens ita censuram præscripsit, ita ut tunc primum incurratur, si præcepto ita lato subditus non paruerit: quare in casu, cum non præcesserit admonitio, vel non præcesserit sub comminatione talis censuræ, nempe excommunicationis, sed absolute lata fuerit sententia ob delictum præteritum, sequitur &c.

232. III. Quia Episcopus non potest declarare excommunicatum aliquem sine citatione, qua ille vocetur in judicium ad allegandum pro se, ut fuse probant Soto 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. Diana *tom.* 5. *coord. resol.* 6. Avila *de censuris p.* 2. *c.* 5. *dis.* 1. *dub.* 5. & Juristæ communiter, quos ad satietatem refert Chartarius *in decis. crimin.* 61. Atque hæc doctrina taliter procedit, ut, si fiat declaratio excommunicationis absque citatione, ea declaratio non pariat suum effectum, nec constituat reum in mora, *ex Cap. Gratum, de offic. delegat.*

Cap.

Cap. Bonæ, *de elect.* atque id communiter docent Juristæ videndi apud Dianam *loco citato*. Neque obstat asserere, quod delictum fuerit notorium, & quod, quando delictum notorium est, non requiritur citatio, ut docent Abbas *in Cap. Reprehensibilis*, *de appell.* aliique; nam hoc procedit, quando cum notorietate facti stat etiam, notorium esse, quod nulla subsit exceptio, qua reus juste tueri se possit, ut bene expendit Castrop. *tom.* 3. *disp.* 1. *p.* 5. apud citatum Dianam. In casu autem non dabatur talis notorietas; siquidem illi poterant allegare ignorantiam facti, nempe ignorantiam de affixione cedulonum, ob quam Divinis se se immiscere non dubitarunt.

233. Dicendum tamen censeo, talem excommunicationem valide latam esse, adeoque necessitatem imposuisse talibus Presbyteris, ut saltem in facie Ecclesiæ ab iis abstinerent, quæ per censuram prohibentur, donec a judice, qui validam sententiam tulit, vel ab ejus superiore absolverentur.

234. Prob. quia toties excommunicationis sententia valida est, quoties in judice illam ferente est actualis & expedita jurisdictio, fertur ob commensuratam culpam, & nullus substantialis ordo judicii prætermittitur: cum igitur in Episcopo esset actualis & expedita jurisdictio, culpa esset pœnæ commensurata, siquidem juxta externi fori præsumptionem, & legitimas probationes, erat gravis inobedientia, & contemtus præcepti Episcopalis declarantis eos suspensos a Divinis, & consequenter prohibentis Divinorum exercitium, præterea nullus substantialis ordo judicii prætermissus est, ut patebit solutione objectionum, sequitur &c.

235. Quod autem ex validitate talis sententiæ oriretur respectu talium Presbyterorum obligatio abstinendi a prohibitis a censura, donec absolverentur, etiamsi coram Deo culpa vacarent, suadetur; quia obligatio observandi talem censuram validam in foro externo, non oritur præcise ex obligatione charitatis præcipientis, ne detur scandalum, sed oritur etiam ex præcepto Ecclesiastico incluso in tali sententia justa in foro exteriori, imperante pro eodem foro observationem talis censuræ, ut removeatur scandalum, nec ingeneretur existimatio, quod is, qui ita percellitur excommunicatione, contemnat claves Ecclesiæ; uti docent Suarez *disp.* 4. *de cens. sect.* 7. *n.* 15. Sayrus *lib.* 1. *de cens. c.* 17. aliique: unde fit, quod tali censura innodatus si actum aliquem a censura prohibitum exerceat coram iis, qui ejus innocentiam sciunt, & consequenter sine scandalo, non peccet fortasse in foro conscientiæ; at si juridice de hoc actu convincatur, juste possit a judice puniri, ex Suarez *loc. cit. n.* 18. Dixi, fortasse non peccet in foro conscientiæ; nam mihi exploratum non est, quod in tali casu absit culpa pro foro conscientiæ: licet enim tale præceptum Ecclesiasticum, ut obligans in foro conscientiæ, sit dumtaxat in ordine ad vitandum scandalum, & contemtum clavium, tamen, cessante hoc fine, seu evitato hoc inconvenienti in aliquo speciali casu, & circa aliquas particulares personas, non crediderim esse immunem a peccato, qui actum a censura prohibitum exercet; siquidem in tali particulari casu evitaretur quidem speciale periculum scandali, at non evitaretur generale periculum illius: & consequenter præceptum illud Ecclesiasticum, quod est ad vitan-

vitandum generale periculum scandali, non autem solum speciale, adhuc in conscientia obligaret, & qui in tali casu ita se gereret, delinqueret. Ita juxta doctrinam Castropalai *disp. 5. de legibus p. 1.* Verum de hoc alii viderint; cum mihi satis sit ostendisse, latam excommunicationem validam fuisse: quamquam, si contendere vellem, talem excommunicationem validam juxta allegata & probata obligare præsumptos reos, ut etiam in occulto, & citra scandalum pareant præcepto prohibitivo, excommunicationi annexo, de non communicando cum aliis, de non celebrando &c. si, inquam, id contendere vellem, adesset mihi auctoritas omnium ferme antiquorum, videlicet Alexand. S. Thomæ, Riccardi, Durandi, Sylvestri, Paludani, aliorumque asserentium, absolute parendum esse sententiæ excommunicationis validæ sine distinctione, an id procedat in secreto, vel in publico: adesset optima ratio adducta a Vasquez *in Opusc. de excomm. dubio undecimo*, ubi ait: *Non abs re putarunt antiqui, quod etiam in occulto parere tenemur præcepto prohibitivo excommunicationi annexo .... quoniam præsumptio & est juris, & de jure, & judici potestas confertur id faciendi non tantum ob culpam veram, sed cum more humano illi constat juridice infligendam esse talem pœnam: unde licet lex fundata in præsumptione, quando tantum est præsumptio juris, non obliget, tamen hæc cum habeat præsumptionem juris, & de jure, obligat &c.* Hactenus Vasq. *loc. cit.*

236. Neque obstant rationes in contrarium adductæ. Nam ad I. ℞. id procedere de jure communi, non autem procedere ubi est legitima ac præscripta consuetudo in contrarium, qualis ferme ubique est in Italia; siquidem Episcopi sine consilio Capituli Presbyteros censuris obstringunt, subditos quoscumque corrigunt &c.

237. Ad II. ℞. esse in jure indictam excommunicationem ferendam contra illos, qui Episcopi decreto non parent, aut censuras violant: siquidem *in Cap. Si quis, de majorit. & obed.* edicitur, ut excommunicetur, qui fecerit contra decretum Episcopi: & *in Cap. Si quis, de Cleric. excomm.* mandatur, ut Clericus suspensus, qui per contemtum & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & postea ab Episcopo correptus in incepta præsumptione perduraverit, *modis omnibus excommunicetur.*

238. Quando autem in jure indicitur excommunicatio ferenda contra aliquem, tunc excommunicatio in illum ferri potest sine ulteriori monitione: ut firmant Sanchez *lib. 2. de Matr. disp. 29.* Bonacin. *disp. 1. q. 1. p. 9.* Filliucius *de censuris c. 1. q. 3.* & omnes fere Theologi hanc esse sententiam satis probabilem affirmant. Ita Castropalao *de cens. disp. 1. punct. 5.* Layman *de censuris cap. 5. num. 6.* Avila *dub. 5.* Pirhing, Reiffenstuel, aliique Canonistæ, qui sub aliqua limitatione vel gravitatis causæ, vel notorietatis delicti, id passim permittunt. Suffragatur Barbosa *in Cap. Sacro, de sent. excomm.* asserens, posse excommunicari sine alia monitione illum, qui non paret Episcopo præcipienti; nam, ut ipse ait, *satis monet judex eo ipso, quod aliquid juste præcipit, vel prohibet.* Suffragantur Hurtadus, & Diana *tom. 5. coord. tr. 1.* asserentes, ad ferendam excommunicationem sufficere, quod præ-

præcesserit contumacia contra præceptum Ecclesiæ, etiamsi tale præceptum latum non fuerit sub pœna excommunicationis.

239. Cum igitur in casu tales Presbyteri immiscendo se Divinis fecerint contra decretum Episcopi suspendentis eos ab exercitio Divinorum, & cum de tali temeritate correpti ab Episcopo per affixionem cedulonum perstiterint in incepta præsumptione, nec ullam deinde dederint satisfactionem, valide ab Episcopo excommunicati sint, nulla ulteriori monitione præmissa.

240. Nec relevat, quod sententia relata supra ad secundum, sit probabilis, non autem certa; nam judex & legislator in usu suæ potestatis (secus autem in judicando) potest se conformare sententiæ probabili non minus, quam privatus, & proinde eo casu subditi tenentur obedire. Ita Præp. *in* 3. *p. S. Thomæ q.* 1. *de cens. in com. dub.* 9. Reginald. *in praxi tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 8. Diana *tom.* 5. *tr.* 1. *coord. resol.* 31. Hinc Bordonus *in conf. reg. t.* 2. *ref.* 78. ait: *Quando clare constat, sententiam fuisse nullam, & invalidam, in hoc casu censuratus non tenetur timere, neque servare sententiam; quia non ligat neque apud Deum, neque apud Ecclesiam, quæ neminem inique, & contra justitiam ligat, quæ unicuique mandat servari jus suum illæsum: quod si in opinione sit casus, & utrinque sint Doctores communiter, ita ut opinionem reddant probabiliorem, vel probabilem ex parte judicis, in foro Ecclesiæ sententiatus tenetur timere, & servare censuram; quia tunc casus censetur dubius: in dubiis autem obediendum est Judici, & Prælato.* Hactenus citatus Auctor.

241. Ad III. ℞. non requiri citationem partis, quando crimen est notorium, & liquido & certo constat, nullam defensionem esse reo; quia citatio est, ut citatus se defendat: ergo ubi certo constat, non esse defensionem, frustra est citatio. Sic Panormitanus *in Cap. Causam, de rescr.* Sylvester *verb. Citatio*, aliique tum Theologi, tum Canonistæ videndi apud Sanchez *lib.* 3. *consil. cap. unic. dub.* 4. Cum autem in casu crimen esset notorium, & liquido constaret nullam adesse reo defensionem, non requirebatur citatio.

242. Nec quidquam facit, quod iniquum videbatur punire reum inauditum; nam iniquum non est illum sic punire, quando ejus delictum notorium & inexcusabile est: sicuti etiam quando supremus Princeps magna & justa de causa uteretur plenitudine suæ potestatis: præsertim quia, ut bene notat Card. Pallavicinus *in hist. Concil. Trid. l.* 1. *c.* 9. *n.* 11. *E' proprio de' litiganti condannati, li quali sempre si querelano, che il Giudice non gli ha uditi, perchè non avrebbero voluto mai, che si finisse l'udienza, e si profferisse la decisione:* & *cap.* 10. *num.* 6. ait: *Niun Giudice benchè non supremo accettarebbe o l'obbligo, o l'uso di non condannare alcun reo, senza prima convincerlo del suo torto colle parole, e senza disputare con lui, finchè egli si dichiari di non aver che più replicare.*

CA-

CAPUT V.

Praxis ad tuendam pacem proponitur respiciens Episcopum, & Capitulum.

243. PRæter ea quæ supra recensuimus conducentia ad tuendam pacem Capitulum inter, & Episcopum, alia quædam hic in fine Operis subnectam, quæ venerabiles Antistites, piissimosque Sacerdotes in usu habuisse, memoriæ proditum est. Et primo quidem valde ad pacem conferet, si Episcopus in rebus statuendis, etiamsi non teneatur, tamen sui Capituli consilium adhibere non respuat. Profecto id Cardinali Bellarmino Archiepiscopo Capuano causæ fuit, cur ipso regente omnia non solum summa concordia, sed uno eodemque spiritu ductuque agi viderentur. En ipsissima P. Bartoli verba *in ejus Vita lib. 2. cap.* 8. rem hanc luculenter testantis: *Invitava sovente a tener Capitolo i Canonici della Cattedrale: e tuttochè sì fatte adunanze sogliano riuscire paurose a' Prelati per l'animosità, che suol dare ogni congregazione per vedersi un corpo di molte forze, nel quale a ciascuno pare esser tutto, e poter solo quello, che può insieme con gli altri; nondimeno fu sì lontano il Cardinale dall'avere onde temerne, e'l Capitolo dal mai essergli nè mostrarsi in nulla spiacevole, nè ritroso, che anzi questo adunarsi a discutere, a consigliare, a stabilire le provisioni da prendersi, fu il più soave, e'l più valido spediente, che si adoperasse a condurre la non piccola, e permanente riformazione, che si facesse di quella Chiesa.* Deinde addit idem Historicus *eodem capite*, miram semper fuisse consensionem inter Episcopum, & Capitulum, ita ut mutuis decertarent officiis, & quo plus sibi credi, quo liberalius tractari se videbat Capitulum, eo libentius, ne videlicet humanitate vinceretur, in propositi ab Archiepiscopo negotii procuratione promptum ac studiosum se exhibebat.

244. II. Conferet etiam quammaxime ad pacem, si Episcopus susurrones, eosque, qui alterius rebus bene factis, vel certe indifferentibus malam intentionem affingunt, a se penitus arceat: item si delatoribus ita unam aurem præbeat, ut semper alteram reo reservet absenti: nam *homo perversus suscitat lites, & verbosus separat principes, Prov. c.* 16. &, ut vertit Vatabl. *Vir perversus occasiones contentionis injicit: & delator sæpe inter magnates dissidia concitat.* De facto legimus in Vita Sancti Francisci Salesii *cap.* 8. Episcopum Granerium propter perversorum hominum delationes, & calumnias, plurimum de benevolentia erga optimum Sacerdotem Franciscum remisisse: *Composero maliziosamente certe detrazioni, e maledicenze contra questo innocente con tanto artificio, che le fecero arrivare all'orecchio di Monsig. Graniero, e tanto operarono, che il buon Vescovo nel sentirle ritirò non poco il cuore, e l'affezione sua da quello, che non pure riguardava con buon occhio, ma riteneva con applauso come primo ministro.* Hinc sacri canones tam cautum hac in re volunt Episcopum, ut jubeant, depositiones contra eum non recipi, qui infamia non laborat, etiamsi tres, vel plures jurati affirment, se vidisse

 illum

illum crimen committentem: ut patet *ex Cap. Inquisitiones, de accusat.* Præclare id obſervabat S. Thomas de Villanova Archiepiſcopus Valentinus, ut conſtat *ex toto cap. 10. lib. 2. Vitæ ejuſdem*: quare, habita delatione contra aliquem Eccleſiaſticum, non ſtatim credebat, ſed rem totam vel per ſe, vel per idoneos viros omnibus veſtigiis indagabat leviter, ac ſine tumultu, & delatorem non ſemel coarguit, inquiens: *La collera, con che ſete venuto a lamentarvi del voſtro proſſimo, ſenz' avergli prima fatta la correzione particolare, conforme alla dottrina del Vangelo, penſate voi, che non ſia peccato mortale?*

245. III. Multum proderit ad pacem, ſi aliquando, & cum debita diſcretione, ipſe Epiſcopus Capituli voluntati ſe accommodet, & a Canonicis exorari ſe aliquando permittat. Exemplo ſit idem S. Thomas de Villanova, qui licet paupertatem ſummopere diligeret, & omnem veſtium ornatum abhorreret, tamen ad Capituli enixas preces ſericum capitis tegumentum induere non recuſavit: *Lo pregarono, che il berrettino, che egli portava in capo, lo faceſſe fare di raſo, e così fece perſuaſo dalle loro preghiere, e per contentarli: cit. l. 2. c. 2.* Nec timor ſubſit detrahendi aliquid auctoritati; nam, ut optime ajebat Cardinalis Bellarminus: *Vale più un'oncia di carità, che ogni peſo di onorificenza.* Aliquando etiam proderit amice, & non judicialiter, rem ipſam, quæ in controverſiam vocatur, cum ipſis Canonicis agere. Id ſummopere profuit S. Franciſco Saleſio ad dirimendam litem, quam habuit cum Canonicis: *Congregò i Canonici*, inquit Hiſtoricus *lib. 3. cap. 4. e diſſe loro, che quantunque poteſſe valerſi dell'autorità, amava meglio d'uſar preghiere: pregarli dunque di non aſtringerlo ad uſar rigori, de' quali ſi ſerve la Chieſa per reprimere gli oſtinati: eſortarli per tanto con un affetto paterno a ſottometterſi. E tanto diſſe, che gli riuſcì di guadagnarſi i lor cuori.*

246. Ad extremum meminerit tum Epiſcopus, tum Capitulum, quod Chriſtus Dominus ex hoc mundo diſceſſurus pacem reliquit, *Joan. 14.* in quem locum ait Cornelius a Lapide: *Super omnes divitias hujus ſæculi pax eminet.* Imo idem Auctor *in Proverb. cap. 20.* fuſe probat hanc aſſertionem, quod honor, & gloria hominis eſt litem non inchoare, &, ſi inchoata ſit, ab ea ceſſare. Probationes autem ſunt ejuſmodi: I. quia lites mille afferunt curas, moleſtias, mœrores, pericula, ignominias, profuſionem opum &c. & longe plus damni afferunt, quam ſperari poſſit lucri, etiamſi illæ nobis adjudicarentur, quod tamen anceps eſt, & dubium: II. quia lites auferunt pacem, & charitatem, quæ præſtat omnibus Mundi bonis: III. quia lites niſi ſuccidantur, creſcunt in immenſum, fiuntque immortales, & irrevocabiles; hinc lis una ſerit aliam, & aliam ſine fine: IV. quia lis cum proximo parit litem internam cum animo; anima enim irati, & litigantis, mille paſſionibus æſtuat, præſertim ſecum diſceptat, & litigat, cum ira & cupido vindictæ cum recta ratione illam vetante decertant, & digladiantur &c. Hæc ille, quæ tum Epiſcopi, tum Capitulares ſedulo cogitent.

247. Illud etiam mantiſſæ loco ſuperaddam, quod, ſi tam Epiſcopus, quam Capitulum lites evitaverint, proſpere utrique, & ex voluntate, Deo

ſic

ſic diſponente, res cedet, ita ut ſine litibus obtineant, quod nunquam fortaſſe per litem impetraſſent. Præclarum hac in re exemplum extat de S.Ignatio apud Maffejum *in Vita lib.3. cap.9.* ubi habetur, quod *pacem & concordiam (quo ad officium, & Dei gloria pateretur) non modo cum ſuis, verum etiam cum alienis omni cura ſtudioque retinuit ſemper, & cavit, ne aut per ſe, aut per ſuos facto dictove quemquam offenderet.... Anno Chriſti nati* M.D.LIII. *cum Societas in Hiſpania, Deo adjuvante, majorem in modum creſceret, gravia in noſtros crimina repente conficta ab iniquis, & ſpiritualium Exercitiorum Liber in ſuſpicionem apud ſacros Inquiſitores magno apparatu artificioque vocatus eſt; quo nuntio Romam allato, multi auctores Ignatio fuere, ut ſe, ſuoſque omni ope tueretur, accuſatorum calumnias, & improbitatem in tanta præſertim ſuæ exiſtimationis ac famæ periculo redargueret. At ille conſcientiæ teſtimonio, ac Dei bonitate ſubnixus, nihil extimuit, remque totam ſine tumultu magiſtratibus agnoſcendam reliquit, quorum opera & veritas brevi patuit omnibus, & ex eo tempore Societas feliciores in dies habuit progreſſus.* En ut hic Sanctus a litibus abſtinens, quod optabat maxime, impetravit. Quod etiam contigiſſe Eminentiſſimo de Alte Epiſcopo Anconitano teſtatur Hiſtoricus *in ejus Vita cap.*18. Sic multoties ſuum jus Capitulum, ſuum ſervabit illæſum Epiſcopus, ſi a litium tumultu, & a contentionibus utraque pars temperaverit.

CONCLUSIO TOTIUS OPERIS, ET ADJUMENTA QUÆDAM AD PACEM TUENDAM.

248. PRoductis, quantum pro viribus aſſequi potui, iis quæ ad theoricam & praxim tuendæ pacis conferunt, veniendum eſt in fine hujus Libri ad quædam adjumenta utilia eidem paci ſtabiliendæ confirmandæque, quæ ſimul erunt ſtimuli quidam ad abſtinendum a litibus, & a turbis concitandis. Erunt autem numero quinque.

ADJUMENTUM I.

Exemplum Philoſophorum.

249. PRima in acie proferam *in confuſionem noſtram* (ut loquitur S. Hieronymus diſputans adverſus Jovinianum exemplo continentium & abſtinentium Gentilium) proferam, inquam, exemplum Philoſophorum, & Ethnicorum, qui concordiam & pacem ſummopere retinendam & procurandam inter ſubditos præſertim ac dominos, liteſque fugiendas contendunt. En quid pronunciaverit Seneca: *Turpius nihil eſt, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris.* Cicero vero laudat Servium Sulpicium non tam ob admirabilem, & pene divinam Juris ſcientiam, quam quod ſemper maluerit litium controverſias tollere, quam actiones inſtituere. Et Iſocrates *in ſuo Areopagetico* laudat priſcos Athenienſes, quod foro fugerint, neque

eo descenderint unquam, nisi coacti & magno pudore. Præclarum est illud Catonis censorii, qui forum muricibus, id est præacutis lapidibus sternendum curavit, ut videlicet eo rari adventarent litigantes, & qui adventassent, haud diu hærerent. Themistocles etiam apud Ælianum *lib.9.variar. hist.* adeo abhorrebat a forensibus litibus propter damna inde emergentia, ut per exaggerationem dixerit, e duabus viis, quarum altera ad tribunal, altera ad inferos duceret, prælecturum se eam, quæ recta ad inferos tenderet. Musonius in sermone, an Philosophus actionem injuriarum contra aliquem suscepturus sit, *satius est*, inquit, *& excelso viro dignius injuriam vincere, quam litem. Magnanimus quisquis est, litem excindit, & adversario parcit.* Sic Ethnici sentiebant de litibus. Quare libet exclamare cum S.Hieronymo *ep.4. ad Hel.Hæc in sugillationem nostri breviter dicta sint, si non præstet Fides, quod exhibuit infidelitas*, scilicet alienum animum, & abhorrentem a litibus.

ADJUMENTUM II.

Theologorum, & Canonistarum auctoritas.

250. THeologorum, & Canonistarum auctoritas, qui rem suis librant ponderibus, a lite ac judiciali contentione quo ad fieri potest abesse nos docet. Et quidem Card.Cajetanus *in cap.9. ad Cor.* existimat, alterutrum litigantium semper delinquere, quia alteruter fovet injustam causam, nisi per ignorantiam excusetur. Layman vero *tract.4. cap.31.* valde consultum judicat esse Christianis, ut, orta inter eos aliqua controversia, transactioni, vel amicabili compositioni, aut arbitrorum judicio causam committant potius, quam ut judiciali lite longo tempore se fatigent. Cornelius a Lapide *in Proverb. cap.20.Honor*, inquit, *& gloria hominis est litem non inchoare, &, si inchoata sit, ab ea cessare.* Gonzalez *in tit. de transact. Cap.1. Plerumque*, ait, *fructuosius est liti cedere, quam litigare, l.Etenim ff. de minoribus, & commendanda est verecundia lites execrantium, l.4. §.1. ff. de alien. judicii, præcipue in Ecclesiasticis personis, quarum officium est litem habentes ad pacem revocare, Cap. Placuit, dist.90. ideoque litigiosi ordinari non possunt, Cap.1. § Ecce, 46. dist. Accedit, minuendarum litium studium utroque jure esse commendatum, cum per lites foveantur inimicitiæ &c.* Theophilus Raynaudus ait, quod Episcopi sui sententiæ non acquiescere, & ad aliud tribunal provocare, sit dispendium plerumque potius, quam compendium; & refert in hanc rem exemplum insigne *ex lib.5. Vit. Patrum*, ubi duo cum delictum quoddam commisissent, ab Alexandrino Episcopo excommunicatione percussi provocarunt ad Hierosolymitanum Antistitem: quo ratam habente excommunicationem, ad Antiochenum Patriarcham primo, deinde ab eo quoque renovata excommunicatione ad Rom. Pont. adiverunt: at, Summo Pontifice anteriora omnia judicia firmante, causati blandientium sibi invicem Præsulum studia, migrarunt in Cyprum ad S. Epiphanium, sperantes fore, ut per eum aliquid impetrarent. Adventantes S. Epiphanius Divinitus præmonitus jussit extra

extra urbem manere utpote excommunicatos. Itaque compuncti corde redierunt ad suum Alexandrinum Episcopum, illique se subjecere. *Consultius fecissent, si id jam ab initio exhibuissent*, inquit citatus Auctor. Tobias Lonher ostendit, lites identidem a dæmone excitari, quod confirmat Matthiolus *in sua Sylva historiali* facto quodam, quod contigit Moguntiæ *ad annum Christi* 1055. ipso Pentecostes die, quando opera dæmonis lis orta est, & contentio inter ministros Archiepiscopi, & familiares Abbatis Fuldensis circa præeminentiam quo ad locum adeo gravis, ut multus hinc inde sanguis effunderetur: cum vero Sacerdos ad Aras operans recitaret versiculum illum: *Hunc diem gloriosum fecisti*: vox exaudita est: *Hunc diem bellicosum ego feci*. Scilicet discordiarum parens inter ipsos sacros ministros, & diebus magis sacris lites concitat: ac propterea S. Gregorius 3.*p. Past. Admonendi sunt*, inquit, *qui jurgia seminant, ut, cujus sint sequaces, agnoscant*. Hæc in unum congessi, non quia ab ea recedam sententia, qua *Part*.2. ostendi, lites aliquando judiciales etiam ab Episcopo suscipi posse; sed quia plane omnibus persuasum velim, eas non esse suscipiendas, nisi ex necessitate, & dumtaxat quando majori bono compensantur.

ADJUMENTUM III.

Auctoritas SS. Patrum.

251. SAncti Patres pluribus in locis Christianos, & præsertim Ecclesiasticos a litibus deterrent. S. Gregorius *lib*.7. *epist*. 27. *Sicut grave*, inquit, *& plenum vituperationis est, inter personas omnipotenti Deo militantes, de sæcularibus negotiis ortam diu controversiam permanere; ita laudabile, & studio est religioso conveniens, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, & ex rebus transitoriis mansura semper charitatis lucra mercari*. S. Ambrosius *lib*.3. *de Virgin. Christus est pax: in foro lites. Christus Fides est: in foro fraus atque perfidia*. S. Augustinus *Enchirid*.78. lites etiam justas vix suscipi, ait, sine peccato saltem veniali; quia fere procedunt ex nimio amore rerum temporalium, & vix carent periculo odii, malevolentiæ, calumniæ &c. S. Hieronymus *in cap*.5.*ad Galat*. sic habet: *Septimum locum inter carnis opera contentio possidet, quodam quasi sacrato & eminenti inter vitia numero collocata; servum enim Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem longanimem cum mansuetudine audientem etiam eos, qui e contra disputant*. Salvianus *lib*.3. *de Provid. Videamus*, inquit, *si in illis saltem religiosæ devotionis obsequiis, quæ minora atque communia in summa quiete & omni tempore omnes Christiani obire possumus, præceptis Dominicis respondere tentamus. Jubet Christus, ne litigemus. Quis jubenti obtemperat? Nec solum jubet, sed intantum hoc jubet, ut ea ipsa nos, de quibus lis est, relinquere jubeat, dummodo litibus exuamur: si quis enim, ait, voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque & pallium. Interrogo, qui sint qui spoliantibus adversariis cedant, imo qui sint, qui adversarios suos non spoliare*

liare conentur &c ? Ubi obſerves zelum hujus Sancti contendentis omni ope a litibus nos avertere; ſed teneas, abſolute loquendo, & iis ſecluſis quæ vitio litigantium obrepunt, lites in judicio forenſi agitare, non eſſe prohibitum a Chriſti lege. Salvianus autem prohibitionem agnoſcens, intelligendus eſt de illis eventibus, in quibus per accidens admiſcetur iniquitas: verum cum, attenta humana fragilitate, ea ſe ſe facile immiſceat, idcirco Eccleſiaſtici præſertim viri lites evitare vehementer ſtudeant, non quidem taliter, ut omni prorſus caſu id ſibi illicitum putent, ſiquidem ipſe B.Petrus Damiani ad Alexandrum II. ſcribens illi ſuaſit, ut conſuetudinem aboleret, quæ tunc temporis invaluerat, ne Epiſcopi a Presbyteris apud Metropolitanum, vel Primatem accuſari poſſent; ſed taliter, ut nonniſi ex magna neceſſitate lis intentetur. Nam *juſtum bellum*, ajebat Livius, *quod neceſſarium, & pia arma, quibus nulla, niſi in armis, relinquitur ſpes*.

ADJUMENTUM IV.

Exemplum Sanctorum veteris & novi Teſtamenti.

252. EXempla Sanctorum ex utroque Teſtamento id ipſum hortantur. Nam Abraham *Gen.* 13. advertens, rixas inter ſuos, & fratris paſtores exortas eſſe, dixit ad Loth: *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt: recede a me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam*. S. Petrus cum Gentiles in Eccleſiam admiſerit, diſceptarunt adverſus illum qui erant ex circumciſione, dicentes: *Quare introiſti ad viros præputium habentes*? At ille non iratus eſt, quaſi a ſubditis de ſua actione ratio exigeretur, ſed pacifice cauſas expoſuit: unde ait S. Gregorius: *Querelæ Fidelium, non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit*. Meminerint hoc Prælati. S. Paulus licet oraculo Spiritus Sancti ab initio cum S. Barnaba conjunctus fuerit, tamen quia poſtea diverſitas opinionum inter eos exorta fuerat, ſe ab eo ſegregavit, ne contentio inter eos exurgeret, uti S. Chryſoſtomus teſtatus eſt, dicens: *Mihi diſerte videtur ſeparatio Pauli a Barnaba facta, quod inter ſe dixerint: Quoniam ego non volo, nec tu vis, ne pugnemus, diſtribuamus provincias, & ita ſibi invicem multum cedentes hoc fecerunt*. Unde idem Sanctus Paulus Corinthiis poſtea ſcripſit: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*. S. Ephrem teſtamentum conſcripſit, non fortunæ rebus, ſed meritis opulentum, in quo gratias agit Deo, quod nunquam litigarit cum ullo homine. Petrus Abbas Cluniacenſis cum per litteras queſtus eſſet cum Ciſtercienſibus, eo quod ab Innocentio Pontifice ipſi impetraverint, ne ſuo monaſterio decimas perſolverent, ſtatim ac intellexit, id parum illis gratum accidiſſe, excuſatorias alias litteras dedit, quibus charitas, quæ aliqua ex parte inter eos læſa videri poſſet, arctiori vinculo, imo inſolubili glutino

tino compacta consisteret: unde apparet, inquit Baronius *ad annum* 1131. quales esse consueverint inter Sanctos querelæ & dissensiones, in quibus ne charitas, quæ est vinculum perfectionis, disrumperetur, magna in primis adhiberi consuevit industria. S. Thuribius Limanus Archiepiscopus variis identidem ortis contentionibus invictam, inquit Historicus, objecit patientiam & æquitatem: quod si aliquando rei gravitas eum impulit, ut severitatis Ecclesiasticæ aculeos in Clericos nonnullos exereret, statim solitam cum illis amicitiam redintegravit, & Præfecturam quamdam, de qua lis erat, concessit; nam, ut subdit idem Historicus, *Sancti facile placabiles iras gerunt, imo nonnihil sui juris paci resarciendæ, vel conservandæ libenter condonant*. Ven. Fr. Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracharensis cum varias senserit excitari turbas a Canonicis suæ Metropolitanæ propter erectionem Seminarii, quam ipse meditabatur, recusantibus Canonicis quidquam de suis præbendis & distributionibus contribuere juxta ac mandaverant litteræ Pontificiæ, ipse non insurrexit, non litem instituit, sed blande & humaniter primo animorum motus compescuit, deinde, ut litterarum Pontificiarum rigor in aliquibus punctis temperaretur, permisit, imo sibi desumpsit has partes scribendi ea super re ad Romanam Curiam, ut per ipsam ejusmodi temperamentum liceret: qua quidem humanitate mirifice deliniti Capitulares, ultro se Archiepiscopi voluntati accommodarunt, *ut in ejus Vita lib.* 3. Habes sparsim in decursu Operis, quæ S. Anselmus, S. Thomas de Villanova, S. Franciscus Salesius, Ven. Card. Bellarminus, aliique exempla hac in re dederint, nobisque omnibus proposuerint.

ADJUMENTUM V.


Doctrina & exemplum Christi Domini.

253. CHristus Dominus qui est via, veritas, & vita, verbo & exemplo nos docuit pacem & concordiam diligere. Etenim Apostolos alloquens ex hoc Mundo abiturus, *pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis*, idest, ut explicant Jansenius ac Toletus, *mutuam inter vosmetipsos concordiam*. Hinc S. Augustinus *de verbis Domini secund. Joan.* ait: *Non poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentum pacis noluerit observare: nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano*. Imitantur quidem sacri ministri, ac præsertim Prælati, Christum Dominum, dum passim sacra inter mysteria repetunt, *Pax vobis*: sed optime advertit S. Chrysostomus: *Si Pax non habetur in corde, quasi in scena res agitur, & ludo, cum Christus pacem, non ex ore, sed ex corde desideret, & affectu velit proximum salutari, non labiis*. Accedit, quod absolutissimum in hac re ipse se nobis exhibuit exemplar; etenim non solum cum suis Apostolis, viris ante acceptum Spiritum Sanctum idiotis ac rudibus, patientiam, mansuetudinem, & charitatem plane admirabilem exercuit, verum etiam in ipsa Cruce suis crucifixoribus ignovit, & pro eisdem oravit. Quare non pigeat Chri-

Chriſtianum, præſertim Eccleſiaſticum, quod fecit ac docuit Chriſtus: & priſca illa primorum Chriſtianorum tempora refloreſcant, quando multitudinis credentium erat cor unum & anima una.

254. Supereſt, ut cum S. Bernardo rem ſic abſolvam: *Si quid erupit, quod non fuit, aut ſecus quam fuit dicendum, ſit quæſo apud vos quaſi non dictum: ubi vero dixi quod oportuit, aut ubi oportuit, ſit non fruſtra dictum.* Cæterum hoc quidquid eſt Operæ, Catholicæ Eccleſiæ, & ejus viſibilis Capitis judicio, perpetuo ſubjectum eſſe volo.

F I N I S.



INDEX

INDEX MATERIARUM.

A

B

D

E

Exa-

In-

L.

Li-

Offi-

Q

R

eos

S

T

V

X

Z

FINIS.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 100. *n*.5. *lin*.2. multum fidere	*Lege* non multum fidere.
114. *lin*. 1. Nam ſtatim	Non ſtatim.
153. *n*. 176. *lin*. 8. non eP	non eſt.
259. *lin*. 1. ſeu non finita Hora	ſed non finita Hora.
351. *lin*. 12. functiones per Pontificales	functiones Pontificales.
402. *n*. 222. *lin*. 10. miſſus eſt ad eam	ad eum.





